PARTHENOLOGIA
HISTORICO-MEDICA,
HOC EST,
VIRGINITATIS CONSIDERATIO,
QUA
AD EAM PERTINENTES
PUBERTAS & MENSTRUATIO,
CUM IPSARUM MATURITATE,
ITEM
VARIA DE INSOLITIS MENSIUM VIIS
ATQUE DUBIIS VIRGINITATIS SIGNIS,
NEC NON
DE PARTIUM GENITALIUM MULIEBRIUM,
PRO VIRGINITATIS CUSTODIA,
OLIM INSTITUTA
CONSUTIONE ET INFIBULATIONE
VARIIS ATQUE SELECTIS OBSERVATIONIBUS
CUM INDICE LOCUPLETISSIMO
TRADUNTUR
A

D. MARTINO SCHURIGIO,
PHYSICO DRESDENSI.

DRESDÆ & LIPSIÆ,
APUD CHRISTOPHORI HEKELII B. FILIUM,
M DCC XXIX.

219564
II

PRÆFATIUNCULA.

IMmediate equidem *Muliebribus* ſive Tractatui noſtro de Mulierum Organis genitalibus primarius eorundem uſus, Generatio ſcilicet atque Conceptio, annectendus eſſet; Quia vero pro hoc ſcopo non quælibet puellarum ætas apta atque idonea eſt, ſed certa maturitas atque perfectæ Virginitatis tempus requiritur, ſtatim hujus deſcriptionem ſeu Parthenologiam præmittere volui. Ad cujus proinde perfectionem cum ſimul Pubertas atque Menſtruatio pertineant, hunc Tractatulum in tribus ſectionibus proponere animus eſt, quarum prima de Pubertatis principio & fine, item de ejusdem ſignis & vera feminarum ad humani generis procreationem maturitate agit; ſecunda Emmenologiam ſeu doctrinam de Menſtruatione explicat, ab ordinaria Menſium proruptione atque ceſſatione incipiendo, ſimulque varia extraordinaria tum ratio-

ne infantiæ & juventutis, tum ratione ſenii exempla allegando menſtruique ſanguinis modo conſuetas modo inſolitas & quidem per omnes fere totius corporis partes effluentis vias monſtrando ; quibus etiam multa a Menſium ſuppreſſione dependentia ſymptomata periculoſa annectuntur. In tertia porro ſectione ipſa Parthenologia ſive Virginitatis deſcriptio, encomium & honor ; ſigna item, partim ex variis miraculis, partim ex Corporis partibus deſumenda recenſentur, eorumque veritas vel potius incertitudo indagatur. Denique etiam Virginitatis, per Vulvæ conſutionem & Infibulationem conſervandæ, modus, item Virginum Caſtratio & alia curioſa ex variis Autoribus adducuntur. Quibus, ſi benevolo Lectori tenuis hic Collectanea mea edendi modus arriſerit, in poſterum Feminarum Congreſſum, conceptionem & alia huc pertinentia annectere allaborabo.

PARTHE-

PARTHENOLOGIÆ

SECTIO I.

DE PUBERTATE.

CAPUT I.

De Pubertatis Tempore.

§. 1.

DIcitur pubertas a pube, quod vocabulum non tantum illam partem in infima ventris regione, cui circa pubertatis annos crines increſcere in Muliebr. Sect. 1. c. 2. p. 11. diximus, ſed ipſam quoque lanuginem ſeu pilos ſupra pudendorum regionem progerminantes, denotat; ipſaque ætas, qua dicta lanugo erumpere incipit, pubertas vocatur. Non autem ſolummodo in hac pubis parte, ſed etiam ſub alis ſeu axillis utriusque ſexus, inſuperque in maribus circa mentum & in aliis partibus dicta ætas lanuginem protrudit; & circa hunc dictorum pilorum proventum uterque ſexus ad generationem & propagationem habilis judicatur. Siquidem juxta Paul. Zacch. *Quæſt. med. legal. Lib. 1. Tit. 1. Qu. 6. n. 5. fol. m. 17.* Pubertas id vitæ ſpatium dici poteſt, in quo, primum pube in pudendis aliisque corporis partibus erumpente, primum ad generandum aptus homo fit: Videtur enim hujus proprium, pilos in prædictis partibus procreare, quibus omnino deſtituta reperitur ſuperior ætas. Juxta Mich. Albert. *Jurispr. Medic. cap. 2. §. 2. p. 21.* Periodi pubertatis tantum complectuntur terminum, qui a prima nativitate usque ad proximam facultatem generandi & concipiendi ſeſe extendunt. *Derivatio.*

§. 2.

Pubertatis tempus.

Discrepant tamen Autores circa tempus pubertatis, tam ratione principii, quam finis, dum Johannes Fernelius *Physiolog. Lib. 3. c. 10. p. m. 77.* Pubertatem ab anno decimo ad decimum octavum provehi statuit. Theodoro Craanen *Dissert. de Homin. c. 161. pag. 707.* puellæ maturæ dicuntur, cum annum agunt duodecimum, masculi vero, cum annum habent decimum quartum. Alii puellas post impletum duodecimum annum, & mares post excessum decimi quarti puberes æstimant. Imprimis autem Medici pubertatis terminum plerumque in nostris regionibus ab anno decimo quarto puellarum inchoare defendunt. Juris periti vero hunc annum masculis, feminis autem duodecimum attribuunt. Inquit enim Paulus Zacchias *l. a. n. 28. fol. 18.* Terminus hic quatuordecim annorum locum habet in masculis, secundum legum peritos, nam in feminis aliud procedere voluerunt, scilicet quod hæ in duodecimo ad pubertatem perveniant. Et Septimius Florens Tertullianus *de Virginib. veland. Oper. fol. m. 454.* inquit: Ethnici tempus observant, ut ex lege naturæ jura sua ætatibus reddant: Nam feminas quidem a duodecim annis, masculum vero a duobus amplius ad negotia mittunt, pubertatem in annis, non sponsalibus aut nuptiis decernentes, hoc est, ex annorum numero, non habitu corporis judicantes. Id ipsum & Macrobius *Lib. 7. Saturnal. cap. 7.* confirmat, inquiens, secundum jura publica duodecimum annum in femina, & quartum decimum in puero definire pubertatis ætatem. vid. Henr. Salmuth. *Comment. in Guidon. Panciroll. L. 1. Tract. 43. p. 156.* ubi pergit: Pubertatem non uno eodemq; modo æstimatam fuisse a veteribus, Ulpianus in fragmentis docet *Institutit. 11. §. ult.* Aliam enim Cassianorum hac de re fuisse sententiam: Aliam Proculejorum: Aliam item Prisci. Puberem, ait Ulpianus, Casiani eum esse dicunt, qui habitu corporis puber apparet, hoc est, qui generare potest. *Proculeji* autem eum dicebat esse puberem, qui quatuordecim annos expleverat; verum Priscus, in quem utrumque concurrit, & habitus corporis & annorum numerum puberem definivit. At licet Ulpianus non exprimat, quænam ex his obtinuerit sententia, prævaluisse tamen Proculejos, non obscure innuit Tertullianus loco citato, & alii, v. g. Galenus *in Aphorism. Hippoc. Com. 4. Aph. 27. f. 322.* pueros quidem post annum quartum decimum pubescere incipere inquit: Qui vero prope hanc ætatem accedunt, sunt qui duodecimum, aut tertium decimum aut quartum decimum etiam agunt annum. §. 3.

§. 3.

Quamvis etiam nonnunquam pueri ante ordinarios pubertatis annos generantes, atque puellæ pari modo concipientes ac parientes a Medicis annotentur, vid. Spermatalog. noſtr. *cap. 4. §. 16. pag. 185. ſeqq.* ordinarie tamen Jurisconſulti atque Politici, hoc in paſſu, communem Medicorum ſententiam ſecuti, veram pubertatem vel in medium annorum diſcretionis tempus, ſive in dictos annos vel etiam maturiorem ætatem ponunt, uti Medicus quidam Batavus J. V. E. *in Tract. Venus Minſieke Gaſthuis pag. 126. ſeq.* tam de Jurisconſultis quam Politicis ſequentia ſcribit: Nu ſal ik ſeggen van d'ouderdommen der Menſchen, die de Rechtsgeleerden, in dusdanige ſtoffe gewoon't gevoelen der Geneesmeeſteren gemeenelijk te volgen, vaſt geſtelt hebben tot en tyt om de trouwen, op't midden van de jaren van beſcheidentheit. En om dat de gene uitnemend ongemeen zyn, die mit haer 9. of 10. jaren beginnen de teelen, ſo wel als de gene, die dat op hare 16. of 18. jaren niet ſouden konnen doen, ſo hebben ſy vaſt geſtelt den ouderdom van veertien jaren voor de Jongelingen, en twaelf vor de dochteren, deſe jaren kommende in't midden van de houbaerheit; ſoo dat de gene, die onder deſe laeſte jaren zyn, onmondige geacht worden; en de wet laet niet toe haer van Overſpel te beſchuldigen, noch te mogen trouwen. Indien iemand haer ſchend door een gants onryp houwelijck, de Richters verklaren dat houwelijck nul en van geender waerden, en ſtellen de gene, die dat besloten mogten hebben, in den ſelfden ſtaet, daer ſy van de voren in waren; om dat het, ſeggen ſy, tot de weſentlijkheit van't houwelijck dient, in ſtaet de zyn van een Kind de teelen, en ſy die onder deſe jaren zyn, worden niet gedacht daer toe bequaem de weſen. De Staets-lieden, die in acht nemen de geduurſamheit van een bloienden ſtaet, zyn niet van 't gevoelen der Rechtsgeleerden, over den tijt wanneer de jonge lieden moeten trouwen. Sy weten, dat het niet alleenig is de goetheit van't geweſt, de vruchtbaerheit van het aerdrijk, noch de rijkdommen der inwoondern, die een Monarch ontſacchelijk maken, maer de Geſontheit en friſſe-Kloekheit der Volkeren, die onder hem wonen. Den Ouderdom van twalf of van veertien jaren is al te ſwak, om een geſchenk aen den Staet de doen van vernunftige en wakere mannen: En deſe ſelfde Staets-lieden lee-

ren van de Geneesmeestern, dat men een hooger ouderdom hebben moet, om mannen te teelen, bequaem om een Konigkrijk de beheerschen, of om een vryen Staet de bestieren. In der daed de buik eener Vrouw is al te eng in desen Ouderdom, om wel-gemaekte Kinderen voort te brengen: hare inwendige deelen zyn noch niet wyd genoeg, om die de voldragen; en een soo jonge Vrouw kan geen genoegsame Kracht hebben, om de gelijk haer selven noch de doen aen wassen, en hare vrucht de voeden. De Kraembedden moeten haer gemeenelijk seer drowig zyn, en har doen vreesen het leven te sullen verliesen met dat het aen een ander te geven. Aen d'andere zyde heeft een man 't verstand en het lichaem noch veel de swack ob den ouderdom van vertien jaren; sijn zaed is noch niet genoegsam gekookt, noch genoeg door wrocht om een kloek en verstandig Kind voort te brengen; en indien men dan bequaem is om te teelen, die Kinderen, die darvan voortkomen, zyn of veel de klein, of veel te teer. Vel juxta verba Nicolai Venette *de la Generat. de l'Homme Part. 2. cap. 3. Art. 3. pag. m. 119. seq.* Je diray, pour continuer à parler des âges des hommes, que les Jurisconsultes, qui dans ces sortes de matiere ne suivent pour l'ordinaire, que le sentiment des Medecins, ont fixé un temps pour le mariage au milieu de l'âge de discretion. Et parce que ceux-là sont extrement rares, qui commencent à engendrer à 9. ou à 10. ans aussi bien, que celles, qui ne pouroient le faire à seize ou à dixhuit, ils ont determiné l'âge de quatorze ans pour les garçons, & de douze pour les filles, ces années se rencontrant dans le milieu de la puberté, si bien que ceux, qui sont au dessous de des derniers âges sont estimez pupilles; & la loy ne permet pas, qu'ils soient accusez d'adultere, ny qu'ils puissent se marier. Si quelqu'un la viole par un mariage prematuré, les Juges déclarent ce mariage nul & invalide, & mettent ceux, qui l'auroient contracté au mesme estat, qu'ils estoient auparavant, parce qu'il est, disent ils, de l'essence du mariage d'estre en estat de faire un enfant, & que ceux, qui sont au dessous de ces âges, ne sont presumez pas en estre capables. Les Politiques, qui considerent la durée d'un estat florissant, ne sont pas du sentiment des Jurisconsultes, pour le temps, qu'il faut marier les jeunes gens. Ils savent, que ce n'est pas seulement la bonté du climat, la fertilité de la terre, ny

les

les richeſſes des habitans, qui font un Monarque rédoutable, mais la ſanté & la vigueur des peuples, qui luy appartiennent. L'âge de douze & de quatorze ans eſt un âge trop foible pour faire un preſent a l'eſtat d'hommes ſpirituels & robuſtes, & ces mesmes Politiques apprennent des Medecins, qu'il faut un âge plus avancé pour engendrer des hommes, capables de gouverner un Royaume, ou de menager une Republique. En effet le ventre d'une femme eſt trop étroit à cet âge la, pour engendrer des enfants bienfaits; les parties internes ne ſont pas aſſez larges pour les porter à terme; & une femme ſi jeune ne peut ſuffire tout enſemble & à ſon propre accroiſſement, & à la nourriture de ſon enfant. Les couches doivent eſtre ordinairement funeſtes, & doivent luy faire apprehender de perdre la vie, en la donnant à un autre. D'ailleurs un jeune homme a l'eſprit & le corps trop foibles à l'âge de quatorze ans; ſa ſemence n'eſt ny aſſez curte, ny aſſez digerée, pour produire un enfant fort & ſpirituel; & s'il eſt alors capable d'engendrer les enfans, qui en viennent, ſont ou trop petit, ou trop delicats.

§. 4.

Pubertatis nullus certus terminus.

Rationem, cur non unus omnium ſit certiſſimus pubertatis terminus, Galenus *l. a.* a caliditatis & frigiditatis temperatura deſumit; calidi, inquiens, citius, frigidi vero tardius pubeſcunt. Theodorus Craan *de Homin. cap. 161. pag. 707.* poſt deſcriptionem ſucceſſivæ pubertatis pergit: Videmus, pubertatem venire cum annis. Ita puellæ maturæ dicuntur, cum annum agunt duodecimum; maſculi vero cum annum habent decimum quartum. Sed diverſa temperamenta hic etiam multum conferunt, nec non diverſitas regionum, in quibus degunt, hinc alii citius, alii tardius ad maturitatem & pubertatem accedunt; hinc eſt, quod in India puellæ ſeptimo anno patiantur menſes, hic demum decimo quarto, decimo quinto, decimo octavo & decimo nono anno; illic calor eſt major, hic minor, hinc temperamentum exoritur calidum vel frigidum, hinc pubertas citius vel tardius exoritur. Ex J. C. Dietrich. hæc allegat Georgius Francus in Paul. Zacch. *Quæſt. Med. leg. l. a. fol. 18. pag. 28.* ex ortu pilorum barbæ & pubis naſcitur juſta pubes, atque ſolent alii aliis citius & pubeſcere & barbeſcere, aliasque ætatum mutationes ſubire. Varietatis hujus cauſæ diverſitas temperamentorum ſive naturarum, & locorum, in

quibus habitatur, & ratio victus, sub qua & studia hominum complectenda. Quo fit, ut pubertas certo definiri tempore nequeat, quia ab anno decimo per subsequentes ad duodevigesimum errat. Quod confirmat Henricus Snellen *de Theor. Mechanic. Part. 2. pag. 94.* pubertas, inquiens, certo & constanti tempore non efflorescit, & rarissime secundo septenario contingit, sed ab duodecimo anno ad vigesimum communissima sunt tempora, etiam absque ullo feminarum incommodo. Hermanno Friderico Teichmeyero *Instit. Medicin. Forens. cap. 1. pag. 5.* hæc femellarum ætas duodecim annorum nimis præcox videtur, quia puella concipere nequit prius, quam menstrua patiatur; experientia vero docet, femellarum vix centesimam anno decimo quarto purgationem sustinere. Maturitatem autem seu pubertatem virginum variis etiam modis accelerari posse, scribit Georg. Frideric. Rallius *de Generat. animal. Sect. 5. pag. 164.* nullum, inquiens, est dubium, quin juvencularum etiam uterus non raro ob familiarem sæpiusque institutam cum maribus conversationem, accedentibus imprimis blandis lascivisque de rebus venereis confabulationibus, mutuis amplexibus & osculis, aliisque amoris, præsertim lascivientis, illecebris, ad maturitatem disponatur, citius etiam, quam alias fieri consuetum est, dum nempe his & *similibus de causis spiritus*, alias sopiti, commoventur, *adque partes genitales* copiosius ruentes, earum temperiem sensim immutant & ad maturitatem debitam easdem perducunt. Idemque simili modo maribus etiam adolescentulis evenire, nec a ratione, nec ab experientia alienum est. Ob hanc causam præstitutum alias a natura ordinarium maturitatis terminum non raro ab utroque sexu anticipari, non est, quod dubitemus asserere. An pubertas a fermento dependeat, vid. Melchior. Geuderi *Diatrib. de Ferment. cap. 11. pag. 224. seq. & cap. 12. pag. 242. seq.*

§. 5.

Cur feminæ citius maribus pubescant?

Alii vero rationem, cur pubertatis tempus femellis duobus annis minus, quam masculis sit constitutum, sive cur celerius feminæ augeantur atque pubescant, quam mares, non a feminarum majori calore, sed potius debilitate desumunt. Inquit enim Henricus Salmuth *l. a. pag. 156.* quod cito admoventur generationi feminæ, non nimii caloris, sed naturæ infirmioris est: Sicuti exilia poma celerius matureſcunt, robusta serius. Et modo allegatus

gatus Batavus *pag. 123. ſeq.* calidius feminarum temperamentum prolixe ſequentibus verbis impugnat: Wegens dat de Vrouwen eerder vaerdig zijn om Kinderen te teelen, hebben eenige Geneesmeeſters gedreven, dat ſy van een warmer gematigtheit waren. Want indien, in 't gemeen ſprekende, ſeggen ſy, die meerder bloed hebben, ſoo hebben ſy ock meerder warmte; dewijl de natuurlijke warmte meerder ſit, daer dit humeur meeſt is. Anderſins ondervind men, ſeggen zy, dat de Vrouwen vernunftiger en werkſamer zijn dan de mannen, om dat ſy meerder bloed hebbende, ock meerder geeſten hebben, die oirſaek van hare werkſaemheit zijn. *Sy hebben noch eer hair aen hare natuurlijke deelen; en men heeft 'er geſien, die ſchier noch niet tot de jaren van beſcheidentheit gekommen waren, aen welke de Natuur hare natuurlijke deelen begon te dekken met hair 't welk ſy daer deed waſſen:* deſe ſelfde Vrouwen groeien noch eerder, en worden eer oud, om dat de warmte krachtiger werkkende op hare lichamen als op die der mannen, ſy hare werkkingen ook eerder vordert, en hare vochtigheden eerder verdrijft. Voorts zijn ſy veel verliefder dan de mannen; en gelijk de muſchen niet lang leven, on dat ſy te warm en te geil zijn, ſoo hebben die Vrouwen ook te minder geduurſaemheit, om dat ſy een verslindent vyer hebben, *dat haer allenxkens verteert.* Men vind huidensdaegs noch *Meſſalinen, die door hare bovenmalige warmte, in ſtaet* ſouden zijn on te twiſten met vele van de dapperſte mannen, wie van haer beiden heeter mogt weſen. In der daed ſy lijden de koude met meerder ſtantvaſtigheit; en indien hare natuurlijke Warmte, die ſy overvloedig hebben, ſich nied ſtelde tegen de koude des winters, wy ſouden alſoo vele Vrouwen als mannen haer ſien beklagen over de geſtrengheit van dit ſaiſoen. His argumentis ita reſpondet dictus Autor *pag. 124.* My dunckt dat ik geen moite ſou hebben om het tegen deel te bewyſen van 't geene men ſeit over de gematigtheit der Vrouwen. Ik ſou doen ſien, dat de groote menigte van bloed veel eer koomt uit de mittelmatigheit van warmte, als uit hare overmaet: dat de Vrouwen veel eer losſer dan vernunftiger zijn: dat of ſy eerder teelen en oud worden, ſulks ook een teeken is van de ſwakheit harer warmte: dat d'overdadige liefde niet voornamelijk toegeſchreven kan zijn aen de kragt van deſe ſelfde warmte, maer

aen

aen d'ongestadigheit van hare inbeelding, of veel eer aen de voorsienigheit van de Natuur, die haer gemaekt heeft om ons tot speeltuig te dienen naer onse ernstigste besiegheden. Boven dit indien sy niet soo seer van de koude bevangen worden, daervan moet men de oirsaek niet soekken dan in hare gemeenelijkke poeselachtigheit, die sich sonder obhouden stelt tegen het voortbrengen van de werkkelijkste hoedanigheden. De man in tegendeel werkt met meerder gestadigheit; voed sich met meerder welstant; verdedigt sich met meerder moedigheit en tegenwoordigheit des geestes; en begeeft sich met meerder vaerdigheit tot een Kind te teelen &c. Verba Nicolai de Venette *l. a. Art. 2. pag. 116.* sic sonant: Sur ce que femmes sont plûtost prestes à engendrer, que les hommes, quelques Medecins ont soûtenu, qu'elles estoient d'un temperament plus chaud. Car si, parlant en general, disent-ils, elles ont plus de sang, elles ont aussi plus de chaleur, puisque la chaleur naturelle reside davantage, où il y a plus de cette humeur. D'ailleurs, on remarque, ajoutent-ils, que les femmes sont plus ingenieuses & plus agissantes, que les hommes, parce qu'ayant plus de sang, elles ont aussi plus d'esprits, qui sont la cause de leur activité. Elles ont encore plûtost du poil aux parties naturelles, & il s'en est veu, qui n'estoient presque pas entrées dans l'âge de discretion, à qui la nature commençoit à voiler leurs parties naturelles par le poil, qu'elle y faisoit naître: Ces mesmes femmes croissent & vieillissent encore plûtost, parceque la chaleur agissant plus fortement sur leur corps, que sur ceux des hommes, elle en avance aussi plûtost les actions, & en dissipe plûtost les humidités. D'ailleurs on remarque, ajoutent-ils, que les femmes sont plus ingenieuses & plus agissantes, que les hommes, parce qu'ayant plus de sang, elles ont aussi plus d'esprits, qui sont la cause de leur activité. Elles ont encore plûtost du poil aux parties naturelles, & il s'en est vû qui n'estoient presque pas entrées dans l'âge de discretion, a qui la nature commençoit à voiler leurs parties naturelles par le poil, qu'elle y faisoit naître: Ces mêmes femmes croissent & vieillessent encore plûtost, parce que la chaleur agissant plus fortement sur leur corps que sur ceux des hommes, elle en avance aussi plûtost les actions, & en dissipe plûtost les humidités. Au reste elles sont beaucoup plus amoureuses que les hommes: Et comme

me les passeraux ne vivent pas long-temps, parce qu'ils sont trop chauds, & trop susceptibles de l'Amour, les femmes aussi durent beaucoup moins, parce qu'elles on une chaleur devorante, qui les consume peu a peu. Il se trouve encore aujourd'huy des Messalines, qui, par l'excés, de leur chaleur, seroient en estat de disputer avec plusiers hommes des plus vigoureux, le quel des deux est le plus chaud. En effet, elles souffrent le froid avec plus de constance; & si la chaleur naturelle, qu'elles ont abandonnent, ne s'opposoit au froid de l'Hyver, nous verrions autant de femmes, que d'hommes se plaindre de la rigueur de cette saison. S'il m'estoit permis de m'eloigner un peu de la matiere, que je traite, il me semble, que je n'auroit pas de peine à prouver le contraire de ce que l'on dit du temperement des femmes. Je feroit voir, que la grande quantité de sang vient plûtost de la mediocrité de la chaleur, que de son excés: que les femmes sont plûtost legeres, qu'ingenieuses: que si elles engendrent & vieillessent plûtost, c'est aussi une marque de la foibleſſe de leur chaleur: que l'excés de l'Amour ne peut estre principalement attribué à la force de cette mesme chaleur, mais à l'inconstance de leur imagination, ou plûtost à la Providence de la Nature, qui les a faites pour nous servir de joüer aprés nos plus serieuses occupations. Aprés tout, si elles ne sont pas si susceptibles du froid, il ne faut en chercher la cause, que dans leur embonpoint ordinaire, qui s'oppose incessament à la penetration & des qualités les plus actives. L'homme au contraire agit avec plus de fermeté; se nourrit avec plus de bonheur; se deffend avec plus de courage & de presence d'esprit, raïsonne avec plus de force, & contribüe à faire un enfant avec plus de promptitude &c.

§. 6.

Secundum Pauli Zacch. *l. a. fol. 21. n. 52.* duplici ex causa, si veram rationem quæramus, femina citius mare pubescit, ob naturalem ejus perfectionem, & ob innatam sui temperamenti humiditatem. Imperfectior enim est femina mare: Quatenus igitur femina respectu maris imperfectior, minus spatium requirit, ut suam integram perfectionem assequatur, quam requirat vir, cujus perfectio major absque dubio est: Tempora enim perfectionis & imperfectionis, hoc est, augmenti & decrementi respondere sibi debent. Item Hippocrates *de Part. septimestr. Oper.*

Sect. 3. fol. m. 39. inquit: Puellæ citius quam pueri pubescunt, sapiunt & senescunt, propter corporum imbecillitatem & victus rationem. Theodorus Craan *l. a. pag. 762.* rationem, cur feminæ citius adolescant, quam masculi, hanc reddit, quia earum corpus est rarius, mollius, magis ductile & expansibile. Cum minus durabilia per naturam celerius compleantur, & femininus sexus masculino virtute inferior existat, consectarium inde est, femellas animi & corporis perfectionem sibi congruentem citius acquirere: Cum exploratum sit, quod in masculo per septennium, in femina autem per senarium naturaliter fiat mutatio, vid. Guid. Pancirol. *Rer. memorab. Lib. 2. Tit. 10. pag. m. 171.* Nonnulli diversæ pubertatis hanc reddunt rationem, quia mulier citius finitur & consumitur, ideo citius perficitur; & ratio est naturalis, sicut naturaliter videmus in plantis & herbis & animalibus, quæ sicut cito consumuntur, cito perficiuntur; ideo mulier citius perficitur, quia mala herba cito crescit. vid. Consuetud. Ducat. Burgund. *Rubr. 6. §. 4. fol. m. 859.* Verior tamen Henrico Coccejo Juris ratio hæc est: major utique vis est in actu generationis, quam conceptionis, unde plus temporis illius, quam hujus facultas ad sui maturitatem requirere videtur. Citius ergo matureſcere potest concipiendi potentia in feminis, quam generandi in masculis. v. P. Zacch. *l. a. fol. 20. n. 50.*

§. 7.

Pubertatis finis. Hactenus de pubertatis principio egimus, restaret nunc etiam finis seu terminus ad quem; cum vero hæc materia non æque ad Medicos, quam Jurisconsultos pertineat, paucis solummodo monemus, eandem non unum sed multiplicem apud Leges earumque Interpretes terminum sortitam fuisse; dum quandoque annus decimus quartus, & decimus quintus, decimus septimus & octavus, quandoque etiam vigesimus quintus constituitur. Item Jurisconsultis pubertas altera vocatur *naturalis* & minus plena, cujus terminus est annus decimus quartus, quæ in privatis *actionibus* regulariter obtinet; altera plenior & perfectior, annus scilicet decimus septimus completus, sive annus decimus octavus cœptus, quæ in publicis negotiis, beneficiis & actibus legis attenditur. Quod autem de anno decimo septimo & octavo diximus, idem etiam ad annum decimum quartum & decimum quintum applicari debet, scilicet per annum decimum

quartum

quartum intelligi plenum, per decimum quintum vero inchoatum. Sic singulari alimentorum favore sancitum est, quod alimentis usque ad pubertatem relictis pubertas in feminis ad annum decimum quartum, in masculis ad annum decimum octavum extendatur. vid. Coccej. in P. Zacch. Quæst. *l.a. fol.21.seq.* & juxta verba Joachimi Mynsingeri *Singul. Observat. Centur. 3. Obs.12.fol.m.70.* alimenta si relinquantur puero, vel puellæ, masculus percipiet usque ad plenam pubertatem, scilicet usque ad annum decimum octavum, femina vero usque ad decimum quartum completum, idque favore alimentorum. Alimentorum autem appellatione non cibaria tantum, sed etiam vestitus & habitatio continetur &c. Et Paulo Zacchiæ *l.a. fol.22. n.68.* dicendum videtur, quod quemadmodum non est unus idemque terminus pubescendi, sic neque pubertatem finiendi, utplurimum tamen eam ad vigesimum quintum annum extendi, si ad animi corporisque constitutionem respicias; tam corpus enim, quam animus usque ad hunc terminum semper proficere videntur, ita ut tam hic, quam illud hoc tempore perfici videantur: At si ad generandi virtutem respiciamus, recte in vigesimo pubertatem dici posse absolutam, hoc namque ætatis spatio aptissimus jam ad generandum homo videtur esse. Sicuti autem quælibet, ita etiam hæc regula de pubertate, sive maturitate ad concipiendum, varias ob causas suas patitur exceptiones, siquidem nonnunquam dantur puellæ, annum duodecimum & decimum quartum dudum supergressæ, quæ tamen ob pubertatis signorum defectum puberibus annumerari nondum possunt. Dum enim hæc scribo, *Observatio.* quædam mihi conqueritur femina, sibi domi esse filiam, aliquatenus gibbosam, cætera vero sanam, nisi quod jamjam septem menses ultra decimum octavum ætatis annum absolvisset, nulla tamen hactenus menstruationis nota in ipsa apparuisset. Ad quæsitum autem fatebatur dicta mater, nullam hactenus circa filiæ suæ partes pudendas deprehendi crinium progerminationem, neque etiam ullum ibidem loci sentiri pruritum. Quapropter ego hujus virginis tempus pubertatis nondum instare judicans, emenagoga sive menses pellentia medicamenta, quæ mater anxie efflagitabat, præscribere recusabam, sed potius balneorum & thermarum usum cum fructu suadebam. Pubertatis proinde terminum admodum esse fallacem, exinde liquet, quod etiam maribus accidere potest.

Unde secundum Herm. Frid. Teichmeyer. *Institut. Medic. Legal. cap. 1. Qv. 6. pag. 5.* experientia docet, femellarum vix centesimam anno decimo quarto purgationem sustinere. Et pari ratione de pubertate masculorum dubitare vel inde licet, quod Medici anno jam decimo quarto puberes masculos absolute pronunciare haud possint. Sunt enim, si qui sunt, pauci, qui anno hocce pubescunt; plures, qui sexto demum, ac decimo anno, immo etiam paulo nonnunquam tardius ad pubertatem maturiores evadunt. Petrus Müllerus *Diss. de Jure Prægnant. cap. 2. pag. 9. seq.* communissimum putat circa annum decimum septimum accedere demum puellis robur gestando utero sufficiens; & florentissima ætas optima & intra quadragesimum annum omnis concipiendi habilitas terminatur, quo elapso prolem difficulter concipit mulier propter diminutionem caloris naturalis & impotentiam seminis &c.

CAPUT II.

De Pubertatis Signis.

§. 1.

Pubertas an ex inspectione cognoscenda?

CUm vero allegatus puellarum seu femellarum annus duodecimus non adeo certus pubertatis terminus neque infallibile maturitatis signum deprehendatur, quid mirum, quod olim, cum sola ætatis quæstio veniret in controversiam, juxta Guerneri Rolfincii *de Part. Generat. dicat. Part. 2. cap. 34. pag. 186.* Romanæ Leges ex Platonis instituto nudari virgines jubebant, quia pubertas & ætas ad conjugium viripotens nota & facili annorum poterat dijudicari regula. Post commodius visum, intermittere inspectionem, & pubertatem quatuordecim annis definire. De hac Platonis lege sequentia scribit Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib. 2. Tr. 3. cap. 3. pag. 215.* Plato de legibus hæc habet: pateant curiosis aures: jucunda simul & scitu digna edicturus sum, convenientiam vero ætatis ad nuptias & econtra Judex nudos omnino mares, nudas quoque ad pubem usque feminas conspiciens, judicet. Hanc Platonis legem aliquando extitisse in usu, testatur Blondus, qui in calce primi libri Romæ Triumphantis narrat, prope oppidum Cyntianum templum fuisse, quod dicebatur Fortunæ virilis, quo virgines viripotentes perductæ

ductæ convenire solerent, quas deinde templi illius sacerdos penitus nudatas undique inspicere consuevisset, quatenus & approbaret opportunam conceptioni ætatem, & corporis vitia judicaret apparentia. O quam libenter resolutæ viri libidinis lascivum hoc sacerdotium curarent? &c. Hanc tamen partium genitalium inspectionem Romanis nunquam in mentem venisse, sed ab ipsorum gravitate castimoniaque fuisse alienissimam, nonnulli Autores statuunt; alii vocabulum adspectus facile ferre concedunt, ut externam totius corporis potius, quam ejusmodi occultam & inverecundam observationem intelligamus; alii talem corporum inspectionem pubertatis explorandæ gratia antiquitus in usu fuisse defendunt, ita tamen, ut quidem in more promiscua illa inspectio partium necessariarum non fuerit, aliquis tamen usus ejus in contrahendis nuptiis, in agnoscendis liberis similibusque casibus, quoad mares, superfuerit. Etenim si quis pater infantis negabatur, eo, quod nec dum esset pubes, ille secundum Paul. Zacch. *Quæst. Med. leg. l. a. fol. 23.* refutari nequibat ex eo, quod major esset annis quatuordecim, si tamen gignendo sese imparem adfirmaret: Id enim, si aliter purgare se non posset, exhibitione τῶν διδίων probari oporteret. Si quis nuptias major quidem annis quatuordecim, nec dum tamen generandi capax, iniisse dicebatur, ante Justinianum non erant perfectæ nuptiæ. Ubi autem hac de re ambigebatur, vix erat, ut aliter, quam inspectione partium genitalium decidi posse videretur. Huc pertinet exemplum apud Quintilianum *Declam. 29.* in verbis: Postea nudari filium atque in conspectu judicum constitui cogit, & interrogat, an ille maritus esset, qui fieri pater non posset? Lex autem Justiniani *Libri Institut. de Nupt. sub titulo:* Quibus modis tutela finitur, sic habetur: Pubertatem autem veteres quidem non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant: Nostra autem Majestas dignum esse castitate nostrorum temporum existimans bene putavit, quod in feminis etiam antiquis impudicum esse visum est, id est, inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculos extendere; & ideo sancta constitutione promulgata, pubertatem in masculis post decimum quartum annum completum illico initium accipere disposuimus, antiquitatis normam in feminis bene positam in suo ordine relinquentes, ut post duodecimum annum completum viripoten-

ripotentes esse credantur. vid. Joh. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 2. Tr. 3. cap. 3. pag. 216.* Henricus Salmuth *Annot. in Guid. Pancirol. de Reb. memorab. deperdit. Lib. 1. Tit. 43. pag. 157.* de hac inspectione inter alia ita scribit: Jacobus Rævardus nullis rationibus persuaderi sibi posse putavit, tantam improbitatem Romanos unquam vel conniventibus oculis in sua Republica toleraſſe, ideoque Justinianum cum suo Tribonio tanquam omnino bardos & stupidos in reprehensionem vocat, atque ita rem interpretatur, ut per habitum corporis non inhonestam & inverecundam illam corporis indagationem aut inspectionem, sed potius universi corporis dispositionem, formam & figuram, sive aliquam ipsius ad liberorum procreationem naturalem prorsum idoneam commoditatem intelligat. Quæ interpretatio pia est, & non parum juvatur eo, quod Tullius Lib. 1. Officior. prodidit: Omnes, qui sana mente sunt, ea, quæ natura occultavit, removere ab oculis, & quam occultissime dare operam ipsi necessitati. Attamen Michael Alberti *Jurisprud. Med. cap. 2. §. 8. pag. 25.* tandem in casu necessitatis ocularem admittit inspectionem, quæ in arduis circumstantiis tam in maribus, quam feminis instituenda, & quæ tam in Jure Saxonico, quam Germanico, Civili & Canonico concessa sit. Talemque inspectionem genitalium ocularem Romanis quoque fuisse usitatam, ex Hoffmanni de Jure præsentandi item de Juven. contrah. sponsal. allegat.

§. 2.

Pubertatis nota. Hac proinde declarandæ pubertatis gratia olim instituta partium genitalium ad Mandatum Cæsareum exploſa & cessante inspectione, alia, & quidem imprimis tria, posuere Medici atque Jurisconsulti pubertatis signa, scilicet ætatem, ut supra diximus, quatuordecim annorum, pilos in pudendis, & coeundi potentiam. Sicut autem ex ætate nullus certus pubescendi terminus, ita etiam ex pilorum, circa partes pudendas, eruptione vel præsentia nullum certum ætatis tempus indicatur, quatenus nonnunquam infantum recens natorum pubes crinibus longis vestita observatur, quale exemplum in Spermatologia nostra *Cap. 3. §. 16. pag. 109. ex Joh. Wolff. memorab. Tom. 1. fol. 434. & des Memoires concern. les Arts 1672. pag. 27.* adduximus, dont le poil, qui couvroit les parties naturelles, estoit si epais, & si long, que la chose est comme incroyable. Imo si tertio ex coeundi potentia pubertas demon-

demonstrari deberet, tunc sane contra prohibitam a Justiniano partium generationi inservientium inspectionem, denuo partes pudendæ in ipso coitu essent examinandæ atque inspiciendæ, quod sane pariter non solum cum honestatis detrimento, sed etiam absque peccato fieri vix posset. Quæ inspectio quoque circa pubis crines esset necessaria.

§. 3.

Quapropter de aliis pubertatis signis solliciti Medici eadem a lanugine, pollutionibus, mammarum turgescentia, voce gravi, prurigine, incipiente menstruatione, & aliis corporis mutationibus desumere solent. *Alia signa.* *Inquit* enim Michael Ettmullerus *Oper. med. Vol. 1. fol. m. 164.* ut virilis sexus, simulac genituræ in eodem fit generatio, singulares suas patitur alterationes, ita & mulier, simulatque genituram generare incipit, & ad generationem apta fit, circa annum circiter decimum quartum inter cæteras mutationes corporis, quas cum viro habet communes, non minorem incurrit alterationem. Nam præterquam, quod puberes fiant mulieres, hoc est, quod lanugo in monte Veneris efflorescere incipiat, pollutiones patiuntur, quæ quidem res non semper, nec in omnibus subjectis contingit, etiam mammæ turgescere incipiunt, vox gravior, & in specie propriam habent unam, menstruam nempe purgationem. Qui fluxus menstruus incipit tempore pubertatis, dum habiles fiunt ad generationem, id quod fit ordinarie circa decimum quartum ætatis annum. Et secundum Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 2. Tr. 3. cap. 3. pag. 215.* tunc pubescens dicitur virgo, quum pilis ad inguina apparentibus incipiunt fluere menses: Quo ipso tempore & libidinis prurigo titillat, uterusque conceptioni commodus designatur. Senecæ *Lib. 4. de Benefic.* pubertas intelligitur, cum vox obsoleta facta est, & membra completa sunt, & pudor ubique vestitur, & menses tributa dependunt. vid. Petr. Müller. *Disput. de Jure Prægnant. cap. 2. pag. 8.* Genuina pubertatis in maribus signa secundum Mich. Albert. *Jurispr. med. cap. 2. §. 8. pag. 25.* sunt sequentia: 1) Mutatio soni in loquela & cantu, 2) barba & pilorum obscœnorum efflorescentia, 3) genesis aut secretio seminis, 4) stimulus ad Venerem, 5) ætas apta, 6) probatio ætatis ex Annalibus Ecclesiasticis & curialibus, (aus Tauff- und Kirchen-Büchern, aus Schatz- Schoß- und Rent-Registern, aus Erb- Amt- und Gerichts-Büchern) & tandem 7) ocularis

7) ocularis inſpectio. Sic Chriſtianus Johannes Langius *Phyſiolog. Theſ. 37. Oper. Part. 1. fol. 218.* ſcribit: Feminam quod attinet, poſtquam illa muliebris patientiæ leges ſuſcipiendas a natura apta, per pubeſcentiam & menſtruum ſanguinis fluxum declarata eſt. Incidit autem hoc tempus noſtris in oris utplurimum circa decimum quartum nativitatis annum, in utroque ſexu, ubi regio pubis lanugine exornatur, & in puellis mammæ ſororiantes elevari primum cum prurigine moleſto incipiunt; Genitalia vero, prævia corporis inſigni laſſitudine, æſtu circa uterum, tenſione vicinarum partium, aliisque plus minus gravibus ſymptomatibus copiam ſanguinis ſingulis fere circuitibus Lunæ fundunt. Juxta Autorem Batavum ſupra allegatum *pag. 120.* By de gene, die tot de jaren van beſcheidentheit gekommen zijn, verandert de ſtem, en word grover door de natuurlijke warmte, die ſich in den boeſem vermeerdert; dan begint na den bok te ruikken door d'onangename dampen, die ſich verheffen uit het zaed; dan koomt 'er hair aen de natuurlijke deelen, en men gevoelt daer veelvondige jeukkerigheden; dan begint ein Jongeling te branden door het vyer der liefde, en kamen ſijne natuurlijke deelen ſich te ſchikken nae d' omhelſingen der Vrowen. Et ſecundum Chriſtian. Frid. Garmann. *de Mirac. mortuor. Lib. 1. Tit. 4. §. 3. pag. 145.* in puellis veſtis illa animæ urbana ſeu decor formæ, tanquam in ſpeculo elucet, imprimis ubi ad pubertatem vergunt, atque lunare tributum exſolvere incipiunt. Tunc namque ferocia & elaſticitas ſpirituum in ſanguine orgaſmum ciet, ruborem cutis & faciei ſplendidum pingit, oculi fulgent, ſcintillant, labia roſeo colore tinguntur, mammæ ſororiare deprehenduntur & in orbem retundantur. Verba Johannis Theod. Schenkii *Diſputat. de immoderat. Menſ. profluv. cap. 1. pag. 5.* ſic ſonant: Natura certa lege atque ordine agens tempus univerſale decimum quartum Menſium fluxus annum deſtinavit, quo tempore multis, utplurimum iisque variis mutationibus obnoxiæ ſunt feminæ; ſuccedit enim pubes, mammæ intumeſcunt, Venerisque non exigui interdum ſentiuntur ſtimuli. His ſignis viſis gaudet, maritum ſibi ſpondet, mammis ſororiantibus ſuperbit, amat amari, jungi, pungi; quod tamen caſta mente legatur, monet Schenckius. Et cum primum efflorescere incipiunt flores, floridæ admodum ſunt virgines, libidinisque æſtu tentari ſolent, punctionibus imprimis

mis cieri, tuncque locum invenit Aristotelis consilium, diligentissime eas custodiendas esse. Utriusque sexus pubertatem prolixe his verbis describit Lambertus Velthuysius *Tract. de Generat. cap. 4. Oper. pag. m. 1304.* cum tam mas, quam femina habeat partes generationi dicatas, iisque partibus sit propria definitaque temperies, ab aliis corporis partibus longe diversa, mutuantur spiritus, & a spiritibus totum corpus ab illis partibus aliquas proprietates. Hujus rei veritas neminem fugit: Cum vis earum partium tot effectibus se prodat, quando, superatis impedimentis tenellæ ætatis, emergere incipit; & efficaciam suam diffundere per corpus. In juvene circa pubertatis annos pili circa mentum & pubis regionem oriuntur, vox gravior evadit, moribus lascivire incipit, cogitationes de venere frequentes, copulæ appetitus, & amor erga femininum sexum: Denique ultro ita mores & corporis habitum, & colloquia componere instituit, quibus putat se optime posse pellicere virginem in sui amorem; & quamvis in quibusdam circumstantiis hæ actiones nonnihil varient, in se tamen spectatæ, in omnibus juvenibus, nisi præter naturæ cursum quædam temperamenti proprietas obstet, sibi similes sunt, ita ut ab institutione & disciplina hæc non proficiscantur. Et cum anima in se spectata hujusmodi inclinationibus a natura imbuta non sit, dicendum, omnes hujusmodi actiones in genere spectatas procedere a partium genitalium temperie; quæ spiritus sua qualitate imprægnans, eas iis communicat corporeas proprietates, quæ corpus permeantes, & præsertim in cerebrum influentes, ita corpus afficiunt, eosque nervorum tubulos subeunt, unde tales motus & actiones excitantur. Et quemadmodum juvenes in tales mores proclives sunt, ita etiam virgines juvenculæ circa pubertatis annos multas experiuntur mutationes; mammulæ incipiunt sororiare, menstrua profluere, pubes excrescere, amatorii affectus excitari &c. Hæc Velthuysius. Johannes Fernelius *Physiol. Lib. 7. cap. 7. pag. m. 779.* ait: Ut maribus, sic etiam feminis circa annos pubertatis ingens incidit corporis universi mutatio, ac tum temporis increscente jam & vegetiore facto nativo colore, pubes erumpit, ubera tumescunt, corpus libidine titillatur, exuberans sanguis calore veluti extenuatus diffunditur, vixque suis receptaculis coercitus viam sibi parat, qua dimanet. Ipse etiam Aristoteles *Histor. Animal. Lib. 7. cap. 1. fol. m. 432.* scribit: Mas primum

mum semen genitale magna ex parte incipit ferre, anno peracto bis septimo: simul etiam pubescere incipit eo tempore, ut stirpes semen laturas primum florere Alcmeon Ctotoniata ait. Vox item per id tempus mutari in sonum asperiorem inæquabiliorem-que incipit, quanquam nondum gravem, neque etiam acuta præterea est, neque tota æquabilis, sed similis fidibus incontentis & asperis, quod caprire denominant; idque potissimum incidit iis, qui rem veneream incipiunt agere: Iis etiam vox transit in sonum virilem, mammæ etiam extuberant, & genitale non solum magnitudine, sed etiam specie proficit. Evenit porro id temporis, qui jam fricari contrectarique per libidinem cœperint, ut, cum semen emittunt, non modo voluptate, verum dolore quoque afficiantur. Feminis etiam per id tempus exsurgunt ubera, quod fratrare dicitur, & quæ menstrua vocantur, erumpunt; sed menses tunc plurimis fluunt, cum jam ubera ad duos digitos prominent, & vox eodem tempore puellarum mutatur in graviorem; fit etiam, ut per id tempus custodiri præcipue debeant: Maxime enim ad usum rei venereæ incitantur, cum hæc incipiunt &c. Virgines, cum mammæ intumescunt & sororiantur, diligenter custodiri debere, monet etiam Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. 2. cap. 35. fol. 195.* Horum pubertatis signorum meminit etiam Propheta Ezechiel *cap. 16. vers. 7.* Ubera, inquiens, tua intumuerunt & pilus tuus germinavit, & ecce tempus tuum erat tempus annorum, vel juxta versionem Sebastiani Schmidii: Venisti in decora decorum; ubera solidata sunt, & crinis tuus crevit; eras tamen adhuc nuda & nudata. Et secundum verba Tremellii & Junii, ubera tua sororiaverant & pilus tuus germinaverat, quamvis esses nudissima.

§. 4.

Ex lanugine. In specie autem de lanugine scribit Hippocrates vel Autor libri de natura pueri *Oper. Sect. 3. fol. 20.* tales pilos a moderato humore & cuticulæ raritate procrescere: Sicubi, inquiens, summa cuticula rara evadit, ibi postea quoque pili nascuntur, veluti in mento, pube & alio quovis loco. Nam simulac genitale semen oritur, caro & extrema cuticula rarior evadit, venulæque magis quam antea aperiuntur. Cum enim adhuc puer est, venulæque tenues existunt, neque per eas genitura ferri potest. Eademque ratio est de mensibus virginum. At simulac mensibus &

genituræ via patet, tum puero & virgini, extrema cuticula rarescente, pilus in pube nascitur, simulque moderatum neque pauciorem, quo alatur, humorem habet. Juxta Petri Dionis *Anatom. demonstr. 7. pag. 331.* Pili in pube post natales non succrescunt, nisi circiter eo tempore, quo semen maribus incipit inesse, femellæ vero menstruales fieri. Femellis nulli crescunt in mento ejusmodi pili, quoniam menstrua horum materiam evacuant. Citius autem feminas, quam mares, pubescere, atque canescere, quandoque etiam ante annos discretionis partes pudendas crinibus obtectas habere, ex hactenus dictis apparet; de quibus plura vid. *in Muliebr. nostr. Sect. 1. cap. 3. §. 1. seq.* Cum vero ibidem etiam aliquot exempla lanuginis in puellis recens natis jamjam apparentis adduxeris, exinde etiam patet, pilos circa pubem non semper pubertatem indicare. De hoc pubertatis signo ita scribit Michael Albert. *Jurispr. Med. Part. 1. cap. 2. §. 7. pag. 24.* Pubertas vulgo a pube derivatur, quæ in lanuginosa & pilosa efflorescentia præcipue circa genitalia consistit, licet hæc excretio non absolutum pubertatis signum existat, siquidem in nonnullis hominibus ante pubertatem adhuc pubes & barba efflorescant, in aliis vero tardius oriantur.

§. 5.

Imprimis autem pubertas ætati venereæ adscribitur, qua scilicet mares semen emittere, atque feminæ menstruationem pati incipiunt; virginibus enim, juxta Hippocr. *de Genitur. Oper. Sect. 3. fol. 12.* intra pubertatis annos, menses minime prodeunt; ubi vero adoleverint, tum virgo, tum puer, venæ, quæ ad pueri pudendum & in virginis uterum feruntur, incremento accepto, ampliores redduntur & aperiuntur, & ob eam causam virgini menstrua prodeunt. Sic Paulo Zacchiæ *Quæst. med. leg. l. a. fol. 18.* evidens atque infallibile pubertatis signum est concipere & generare, marem autem generare non posse, priusquam semen emittat; nec mulierem concipere, priusquam menstrua patiatur. Ergo tunc pubescere dicendum putat marem dictus Autor, cum primum semen emittit, feminam, cum primos menses experitur. Hinc etiam absque dubio apud Judæos virginibus ante menstruationem nubere non licebat teste Septimio Florente Tertulliano, qui *de Virginib. veland. fol. m. 453.* scribit: Penes Israhel illicitum est ad virum tradere virginem, nisi post contestatam sanguine

Ex menstruatione.

maturitatem; ita ante hunc indicem acerba res est. De pubertate scribit Johannes Bernhardus Gladbachius *Prax. med. Id. de Cachex. §. 108. pag. 179.* dum puellæ primo mensium fluxum patiuntur, pubertatis annos attingunt, id est, omnia fermenta reddunturtur subtiliora, & sanguis tanta quantitate abundat, quanta non solum ad corpus suum, sed & ad fœtum nutriendum sufficit: Mammæ primo menstruationis anno magis crescunt, quam reliquis annis præcedentibus, vox fit gravior, venere divexantur, amplexusque ab eo tempore exoptant dulcissimos. Verbo: in flore ætatis suæ sunt constitutæ, forma redditur elegantior, omnia organa firmantur & ad perfectionem suam perveniunt: Hinc non possunt non omnes in corpore secretiones felicius peragi, omniaque fermenta subtiliora & magis activa reddi. Ad quæstionem, quo tempore virgo sit nubilis? ita respondet Hermannus Fridericus Teichmeyerus *Institut. Medicin. legal. cap. 4. pag. 32.* cum semen aliqua ferre potest. Non autem ferre hoc potest, antequam menstrua patiatur. Hæc enim ambo uno eodemque tempore evenire solent, quia tam semen, tam menstruum ad generationem destinavit natura, mensesque fluentes indicium præbent. 1) Mulierem tanta sanguinis copia abundare, ut & suo ipsius corpori alendo, & fœtui nutriendo sufficiat, 2) Ovula seu semen ad debitam sui perveniisse maturitatem. Mensium vero fluxus communissime decimo quarto vel quinto anno contingit, quo tempore virgo quoque nubilis evadit. Et Mich. Albert. *Jurisprud. Medicin. cap. 2. §. 10. pag. 27.* inquit: Non modo ætas apta ad feminarum pubertatem spectat, sed etiam præcipue eo requiritur, ut mensium legitimo fluxu illæ sint præditæ.

§. 6.

Objectio. Contra hanc equidem Autorum sententiam opponi posset, quod, cum nonnunquam observatores puellas paucorum tantummodo v. g. quatuor, quinque &c. annorum, menstruationem passas; imo quandoque tam pueros septimo, nono & decimo ætatis anno coitum exercentes, feminasque imprægnantes, quam etiam puellas quinquennes, septennes & novennes imprægnatas, sicque diu ordinarium pubertatis tempus, puerperas annotarint, qualia exempla in Spermatologia nostra *cap. 4. §. 16. pag. 185. seqq.* reperies, interdum etiam, uti in sequentibus videbimus, mensium fluxus in quibusdam feminis, vel nimis sero

vel

vel plane non appareat, propterea etiam prima menstruationis eruptio pro vero pubertatis sive maturæ virginitatis signo haberi non debeat. Ad quod tamen respondemus, allegatas posteaque recensendas præcocis menstruorum fluxus observationes tantum extraordinarias atque rarioribus annumerandas, minimeque ordinario naturæ statui atque solenni menstruationis primæ tempori, adscribendas esse; cum in plerisque feminis menstruationis principium circa pubertatis tempus ordinarium apparere constet. Imo quamvis etiam secundum talia exempla tam pueri generantes, quam puellæ mature menstruatæ atque parientes justum pubertatis annum nondum attigerint, quod tamen non impuberes fuerint, testatur effectus, indeque, quam fallacia sint pubertatis signa, docemur. vid. etiam Paul. Zacch. *l. a. fol. 23. n. 74. seq.* Ita scribit etiam Michael Albert. *l. a.* ad pubertatem etiam præcipue requiritur mensium legitimus fluxus; ubi justus, communis & ordinarius terminus erumpentium mensium prævalet, ita ut præmaturi menses minime ad familiarem pubertatis regulam extendi debeant; multo minus iterum illi casus rariores huc trahendi sunt, quando feminæ sine menstruis fœcundæ observatæ sunt. De menstruatione autem alibi plura occurrent, quemadmodum porro menses serotini & partus vetularum nihil probant, ut ætas talis adulta ad signa indubiæ & constantis pubertatis referri queat.

CAPUT III.

De Tempore Matrimonii.

§. 1.

VUlgo proinde mares circa pubertatis tempus semen ejaculantes & feminæ menstruationem habentes non modo ad propagationem, sed ad nuptias quoque celebrandas habiles judicantur, absque dubio, quia tunc temporis ob majorem partium genitalium perfectionem, & largum humorum ad easdem affluxum salaces evadunt, venerisque stimulum indies majorem persentiunt, eamque ob causam vel uri coguntur, vel nubere desiderant. Hinc scribit Henricus Salmuth *l. a. pag. 171. seq.* Constat utique pubertatis tempus in masculo definiri decimo quarto ætatis anno, in femella duodecimo; non mirum igitur, idipsum quoque *Tempus matrimonii.*

pubertatis tempus etiam nuptiis contrahendis commodum atque idoneum Jure civili fuisse judicatum *l. minorem 4. ff. de rit. nupt.* Quamvis enim pontificum placitis vis coeundi attendatur potius, quam annorum habeatur ratio: *Cap. puberes & ibi gl. Ex. de Desponsat. impub.* quandoquidem qui morbum vitiatæ naturæ humanæ norunt, ne cui laqueus injiciatur, graviter judicarunt, non debere certis annorum cancellis nuptiarum libertatem concludi: Ne legitimo hoc remedio destituta juventus turpius polluatur & ruat in libidines nefarias. *Fr. Balduin. in princ. Instit. de Nupt.* Vix tamen est, ut ante decimum quartum a masculo mulierem iniri posse dicamus; cum circa annos bis septem pubertas demum contingere plerumque soleat. Indeque est, quod Justinianus non credat, quenquam esse tam acceleratæ & effusæ libidinis, qui ante decimum quintum annum cogatur uxorem ducere. Cujus vero ætatis, ad onus conjugii subeundum eligi debeat vir, seu quo anno uxorem ducere debeat, vid. Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 2. Tr. 3. cap. 4. pag. 217. seq.*

§. 2.

Cautela. Neque etiam statim virginibus apparente menstruatione prima nuptiæ sunt celebrandæ, quia utplurimum tunc temporis adhunc debiles nimis sunt, quare etiam nonnulli nuptias ad minimum post annum a prima menstruatione vel *longius differendas* esse *suadent, siquidem juxta allegatum Sinibaldum l. a. cap. 3. pag. 215.* Xenophon Philosophus nuptiis decimum quartum annum dedicat, cui pariter subscribit Hesiodus iis verbis, virgo autem pubescens anno decimo quarto nubat decimo quinto. Vult autem Hesiodus, post annum a fluore menstruo mulierem nubere debere, non autem ipsa inchoante pube, quoniam rei cujusque principium imperfectum ac debile est. Lycurgus Rex Lacedæmoniorum sapientissimus lege sanxit, ne quæ puella nuberet ante annos decem & octo. Plato feminas non nisi vigesimo anno nubere voluit. vid. Paul. Zacch. *l. a. fol. 20. n. 40.* Qui Autor etiam *Lib. 4. Tit. 2. Qv. 4. n. 7. seq. fol. 382.* prolixius de hac materia tractat inquiens: Cum quæritur de tempore nubendi in virginibus, vel intelligimus de tempore, quo aptæ sunt ad copulam, & utcunque ad generationem; vel intelligimus de tempore, quo expedit eas nubere respectu habito ad faciliorem & perfectiorem generationem inde proventuram, quod tunc non modo absque periculo

conci-

concipiant, sed fœtus quoque validiores & undiquaque perfectos procreare soleant. Si in priori sensu intelligatur quæsitum, jam id decisum habemus, quod, ubi menstruantur mulieres, nubere possint; imo, ut hoc ingenue fatear, si de simplici potentia ad concubitum quæstio sit, etiam antequam menstrua patiantur, nubere eas posse crediderim; & ratio est, quia persuasum habeo, mulierem ante semen intra se generare, quam menstrua patiatur, saltem per aliquod tempus non diuturnum: Et idcirco nonnullæ puellæ, quæ adhuc per ætatem non purgabantur, tamen generare visæ sunt, quod quidem absque semine fieri non potuit, absque menstruorum apparentia potuit, natura ipsum matris sanguinem, quanquam non admodum superfluentem, in fœtus alimentum destinante. Si vero in posteriori sensu quæstionem accipiamus, secundum vetustiorum opiniones, non ante decimum octavum annum nubere virgo debet: Quod etiam notarunt recentiores. Hoc enim tempore menstrua facilius & in majori quantitate, & calor magis vegetus est, unde etiam semen magis concoctum magisque proli gignendæ aptum generatur; quin etiam & laboribus ferendi uteri & pariendi, & liberos nutriendi facilius sufficiunt; viæ etiam in ipsis laxiores, patentiores factæ, faciliorem exitum fœtus præbent, unde & ipsæ matres & ipsi fœtus minus periclitantur, cum partus instat: Contra quam fiat in tenerioribus juvenculis, quæ ob contrarias omnino causas aut non concipiunt, aut fœtus maxime imbecillos procreant, qui in nascendo cum ipsis matribus facili negotio periculo subjiciuntur, & si forte fortuna superstites remaneant, vitam valetudinariam perpetuo degunt: Expedit itaque Reipublicæ, ut virgines non ante decimum octavum annum, saltem utplurimum, nubant.

§. 3.

Sane Reipublicæ interest, præmatura venere juventutem non enervari, quod in femellis æque receptum est: Cum periculosum perinde atque nefarium sit, veneri subjici puellam nondum viripotentem. Hinc cum Imperator Honorius Thermantiam Stilichonis filiam sibi matrimonio jungi cuperet; Zosimus immaturam virginem maritali connubio tradere, nihil aliud esse dixit, quam injuriam naturæ facere. vid. Henr. Salmuth *Comment. in Guid. Pancirol. Part. 2. Tit. 10. pag. 172.* ubi plura reperies. Inquit etiam Michael Alberti *Jurisprud. Medic. Part. pr. cap. 2. §. 4. pag. 22.* quam- *Ratione Reipublicæ.*

quamvis quidem in prædictis annis (sc. 12. & 14.) pubertatis acceſſum & præſentiam, non modo Imperator Juſtinianus, ſed alii quoque conſtituerint, propterea tamen minime ſequitur, ut ejusmodi ephebi mox ad matrimonium ruant, licet naturale pubertatis initium adſit, ſiquidem ejusmodi juniores perſonæ præmaturo tali matrimonio vires corporis & animi enervare, & variis adventitiis calamitatibus ex hac ratione ſe ſubjicere ſolent, ut propterea periti Medici & æqui Judices præceps tale matrimonium admittere haud debeant, quemadmodum olim veteres Germanos turpitudini adſcribebatur, quando homines ante vigeſimum ætatis annum conjugium inire ſusceperunt, ſicuti alii JCti acceleratum tale conjugium non facile adprobare ſolent. Inquit etiam Chriſtianus Warlizius *de Morb. bibl. cap. 12. de Vener. enervat. pag. 376.* Veneris œſtrum & effrenis coeundi appetentia detrimentum inſigne parit juvenibus, qui nimis cito ad veneris ſacra properant, in ejus caſtris militantes, & in teneriori ætate laſciviunt, quorum corpus ſtatim in libidinem deſpumat. Hi enim robur ætatis frangunt, ac effœtum corpus tradunt ſenectuti, vitæque plurimum detrahunt.

§. 4.

Secundum verba Autoris I. V. E. van Venus Minſieke Gaſthuis *pag. 129. ſeq.* is het beſte hier over het algemeenſte gevoelen te volgen, dit is, een Man volwaſſen te achten, met 25. jaren en een Dochter met 20. Dan is het dat ſy veel beter in ſtaet zyn on te trouwen, als wanneer ſy noch jonger waren: Want om van dusdanigen Man te ſpreken, hem ontbreekt in deſen Ouderdom niets om eene Vrouw te vernoegen; ſijne natuurlijkke deelen hebben hare groote, nodig om ſich wel te ſchikken in de verliefde Omhelſingen; en ſijn zaed is vruchtbaer. Die geeſten, die tot de teeling moeten dienen, worden dan in grooter Overvloed voortgebragt; en ſijne Roede is ſchier altijt in ſtaet om te geven, daer een Menſch van kan komen, ſelfs tegen den Wille desgenen die haer draegt. Eindelijk moet deſe Man te eerder trouwen, door dien hy is van een warme en vochtige gematigtheit, van een ſiedend, galachtig en ſwaermoedig bloed; hy heeft een middelmatige geſtalte, een groot Hooft, ſlonkkernde Oogen, een grooten Neus, een wyde Mond, bloſende Wangen, een ronde Kin: Men moet tot diergelijkken

gelijkken inſicht ſulks ook ſeggen van een Dochter van 20. jaren, die in de navolging van de Fabiola, dar Hieronimus van ſpreekt, niet leven kan ſonder de vermakelijkheden van Venus, en ſonder den raed te volgen, die de Kerk geeft, met ſich uit te trouwen. In der daed den Ouderdom van twaelf of van veertien jaren is al te teeder om het jok des houwelijks te dragen; het moeten ſterkke en kloekke perſoonen zijn, indien ſy daer in vermoegens willen hebben. Gallica Nicolai Venette verba *l. a. pag. 122.* hæc ſunt: meilleur eſt de ſuivre la deſſu le ſentement le plus commun, c'eſt à dire d'eſtimer parfait un homme à 25. ans, & une fille à 20. *C'eſt alors qu'ils ſont tous deux plûtoſt en eſtat* de ſe marier, que *dans un âge moins avancé; car* pour parler de cet homme, il ne luy manque rien à cet âge-la pour contenter une femme, ſes parties naturelles ont les dimenſions, qu'elles doivent avoir pour bien agir dans les embraſſements amoureux; ſa ſemence eſt feconde; les eſprits, qui doivent ſervir à la generation, s'engendrent alors en plus grande abondance, & ſa verge eſt presque toûjours en eſtat de fournir, de quoy faire un homme contre la volonté meſme de celuy qui la porte. Enfin cet homme doit d'autant plûtoſt ſe marier, qu'il eſt d'un temperament chaud & humide, d'un ſang bouillant, bilieux & melancholique: qu'il a la taille mediocre, la teſte groſſe, les yeux etincelans, le nez gros, la bouche bien fenduë, les jouës teintes de ſang & le menton arrondu. L'on endoit à proportion dire autant d'une fille de vingt ans, qui à l'imitation de cette Fabiola, dont parle St. Jerome, ne peut vivre ſans jouïr des plaiſirs de l'Amour, & ſans ſuivre le conſeil, que l'Egliſe donne en ſe mariant. En effet l'âge de douze ou de quatorze ans eſt un âge trop tendre pour ſouffrir le jouy du mariage: Il faut des perſonnes fortes & *robuſtes, ſi elles* veulent y avoir de contentement.

§. 5.

Babylonii etiam filias ſuas ante pubertatem ad matrimonium non admittebant, ſed ubi virgines effectæ eſſent nubiles, ſecundum Herodot. *Lib. 1. n. 36. pag. m. 79. ſeq.* eas cum congregaſſent, univerſas unum in locum recipiebant, quas circumſiſtente virorum frequentia, ſurgens præco ſigillatim vendebat, ſed primum pulcherrimam omnium, ſecundum hanc (ut quamplurimo ven- *Babyloniorum ritus.*

ditur auro) aliam evocabat, quæ post illam esset speciosissima. Vendebatur autem in contubernium. Babylonii igitur, qui locupletes & iidem cælibes erant, pulcherrimas quasque mercabantur, ut quisque licitando alterum superaverat. At alii ex plebe qui essent cœlibes, his non opus erat pulchra forma, ideo turpiores virgines simulque pecunias accipiebant. Nam præco, ubi virginum speciosissimarum peregisset venditionem, excitabat deformosissimam, quis vellet quam minimo auri sumpto eam in matrimonium habere, donec illi, qui minimo contentus esset, femina addiceretur. Ita aurum ex speciosis virginibus conficiebatur, & sic speciosæ deformes ac debiles collocabant. Quarum nullam cuique emptori fas erat sine fidejussoribus abducere, sed datis fidejussoribus deducenda illa in uxorem, ita demum licebat abducere, si de hoc non conveniebat, lex lata erat, ut aurum illi redhiberet. Quin etiam ex alio pago venientibus licebat uxorem mercari si vellet.

§. 6.

Cum autem in prima hac Parthenologiæ Sectione aliquoties inter maturæ pubertatis atque perfectæ virginitatis signa a Medicis primario mensium fluxus fuerit requisitus, nobis etiam, quamvis idem in quibusdam feminis non semper ordinario pubertatis tempore, sed quandoque nimis sero, vel etiam nunquam per totam vitam appareat, in secunda hac Sectione ad Menstruationem seu Emmenologiam progredi nobis placet.

SECTIO II.

DE MENSTRUATIONE.

CAPUT I.

De Menstruationis Causa.

§. 1.

Connexio. QUanquam sanguis menstruus a reliquo feminarum sanguine parum aut nihil differat, ut adeo ad Hæmatologiam, non immerito referri posset; quia tamen in antecedentibus, imprimis circa pubertatem, menstruationis, tanquam signi puber-

pubertatis, & circa virginitatis notas, cruentationis in primo coitu, quam nonnulli a sanguine menstruo derivant, mentionem fecimus, statim hanc illis annectere libet.

§. 2.

Variis hæc sanguinis excretio, menstrua tam Medicis, quam mulierculis appellari solet denominationibus, & quidem communiter audit menses seu menstruum, quasi sub intelligi debeat purgamentum vel tributum, scilicet ab illa temporis periodo, qua ordinarie contingere consuevit, hinc etiam aliis cum Joanne Baptista Helmontio *fol. m. 446.* lunare tributum, vel lunaris purgatio dicitur, quia *secundum certas lunæ mutationes, & singulis lunæ circuitibus ordinarie hæmorrhogia hæc per muliebria apparet.* Aliis Autoribus vocabulum beneficium placet, quod mensibus rite fluentibus bene mulieribus sit, econtra vero suppressa menstrua plerumque varia symptomata presso pede sequantur; imprimis Italicæ mulieres menses nomine dei beneficii, & secundum Felicis Plater. *Quæst. Physiolog. 37. pag. m. 66.* di Marchese magnifico appellare amant, uti Gallice l'ordinaire vocant, quod in statu sano tempore ordinario redire debeant; hinc nostratibus mulierculis consuetum seu consuetudo, item tempus seu tempora audiunt; aliis rosa, quia menses in subjectis sanis rosæ instar colorem obtineant rubicundissimum; unde etiam vena saphæna Germanis mulierculis atque Chirurgis die Rosen-Ader dicitur, quia tempore suppressi mensium fluxus eadem vena secari solet, ut defectus ille restituatur; Rusticæ menses quoque rosarium den Rosenkrantz appellant. Aliis menstruum vocatur etiam flos, & quidem ideo, quia sicut flores fructum præcedunt, neque arbores fructum ferunt, nisi antea floruerint, ita etiam feminæ non, nisi prius menses ipsis fluxerint, concipere possint, uti falso mulierculæ credunt, de quo inferius plura. *Denominationes.*

§. 3.

De his & aliis appellationibus secundum nostra collectanea ita scribit Johannes Joachimus Becherus *Oedip. Chimic. Tit. 5. §. 2. p. m. 140.* Semen femininum menstruum vocant, eo quod in regno animali sanguis sit, qui singulis mensibus effluxione ex utero apud feminas egeritur, unde a menstruali fluxu sanguis menstruus aut menstruum vocatur. Secundum Daniel. Becker. *Microcosm. med cap. 7. pag. m. 21.* hoc excrementum vocant menses, menstruas sive *Juxta Autores.*

lunares purgationes, tempora, malam septimanam, consuetudinem, quod illis consuetum, & solo hoc malo singulis mensibus recurrente, per septem fere dies infestentur: Item flores; ut enim flos fructum antecedit, ita utplurimum non nisi post hujus purgationem femina fructus profert: Vel etiam quod floris & rosæ instar colorem in sanis obtineat rubicundissimum. Ex sententia Roder. a Castro *de Nat. Mul. Lib. 2. cap. 9. pag. 76.* mulieres menses vocant consuetudinem, aliæ etiam malam septimam (die böse Sieben) quod hæ fluxiones septem numero dies fieri soleant: Item flores, quoniam ut flos fructum antecedit, ita utplurimum non nisi post hujusmodi purgationem femina concipit; vocant etiam, per translationem cardinalem propter colorem. Juxta Ambros. Paræi *Lib. 23. cap. 49. fol. 532.* septimanas Galli plerique appellant, quia sedentariis & gulosis septem fere dierum spatio duret. Johannes Gothofredus Bergerus inquit *Physiolog. med. cap. 20. pag. m. 249.* sanguinis menstrui purgatio per muliebria proficiscitur, quæ, quia ab ineunte adolescentia, ad limen usque senectutis, per longius annorum spatium, statis vicibus ac singulis fere mensibus, si nihil affecta male valetudine, nec dum femina conceperit, nec dum fœtum ubere alat, lunæ velut tributum redditur, fluxus menstrui, itemque mensium tributique lunaris nominibus in scholis Medicorum insignitur. Secundum Felic. Plater. *l. a.* menstruas purgationes menstruæ, quod singulis mensibus fluant, vocant; & ad illius nominis imitationem Itali mestruo: Germani Zeit, id est, tempus, ut & Itali, il tempo, quod certo tempore: vel Monat-Zeit, quod menstruo tempore invadat, vocant. Flores, fleurs Galli, & Germani quoque Blume, atque si tunc floresceret mulier, appellant: jucundo nomine, quod alioquin in mulieribus dedecus esse censetur, opprobrium hoc ipsarum tegentes. Prolixe etiam de his nominibus agit Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib. 6. Tract. 1. cap. 1. pag. m. 578.* his verbis, quoniam sanguis hic apud mulieres ejusque menstrui fluxus flores vulgato nomine appellantur, non immerito ingeniosus quispiam de hujusmodi Onomatopœia scisitabitur. Cui tamen primo responsum velim, ideo flores nuncupari, quoniam in ipso primo juventæ flore apparent. Secundo, quod veluti arbor, e qua flores erumpunt, non sterilis sed fœcunda censetur: Ita mulier illa fœcunda audit utplurimum, cui menstrualis ca-

tharsis

tharſis debito modo, tempore ac menſura accidit. Flores inſuper vocari poſſunt, quod floridus hic ſanguis, non fœtidus, non tabo remixtus eſſe debet, ſi generationis officio deſervire debeat. Vel tandem, ſi maris, appelles flores, quod floridas puellas ſanguineus ille reddat fluxus; quod adeo verum eſt, ut, quæ illo defraudantur, compendio labantur in Chloroſin, Cachexiam, Phthiſin, Hydropem & ſimiles, non minus pernicioſas, quam deformes ægritudines, formam videlicet, ſpeciem atque omnem vitæ floridum decorem deturpantes ac deſtruentes. Solent præterea menſtruæ purgationes tempora paſſim vocitari, primo quidem, quia ſtatis temporibus recurrunt, ideoque non perpetuæ, ſed temporariæ fiunt; ſecundo quia definita ſui curſus, tam univerſalis, quam particularis, tempora obtinent: Tertio quod temporarium commodum mulieribus afferant. Cur vero apud Italos mulieres, pergit idem Autor, recepto Marchionis nomine vocitentur, mehercle ignoro, neque potui talem ingenio conſequi Etymologiam. In mentem ſcilicet venit, honeſtatis gratia rem pudendam conſpicuo ac titulari quodam nomine circumſcribi libuiſſe; aut etiam dicas, quod, ſicut Marchiones ſua obtinent nobilitatis inſignia atque dignitatis coronam; ita mulier per menſtrua ſua fœcunditatis edat monilia, quibus ille ſexus coronatur &c. Quis vero omnes menſtruationis denominationes, mulieribus ſolitas, expiſcari aut explicare poterit; loqui enim noſtrates nonnunquam ſolent, ſe literas accepiſſe, patruelem vel materteram veniſſe; ich habe Briefe erhalten, der Herr Vetter oder die Frau Muhme iſt gekommen ꝛc.

§. 4.

Solet autem his nominibus appellari certa illa ſanguinis quantitas, quæ a puellis pubeſcentibus ſeu feminis adoleſcentibus, atque ad conceptionem & propagationem matureſcentibus, nec non in ſtatu naturali & ſano, abſque ingravidatione aut lactatione degentibus, ad conſiſtentem usque ætatem ſingulis menſium periodis, cum inſigni earundem emolumento, per ſinum muliebrem ſeu uterum excerni atque effundi obſervatur. *Definitio.*

§. 5.

Hujus menſtruationis cauſas antequam conſideremus, Benevolus Lector rogandus mihi videtur, ut, cum circa easdem Autorum ſententiæ admodum differant, meam in recenſendis eorum *Cauſa menſtruationis: Plethora a deſidia.*

verbis prolixitatem ignoscat, scilicet causam hujus menstruationis seu periodicæ sanguinis per uterum evacuationis tribuebant veteres, v. g. Galenus & alii, plerumque frigidiori ac humidiori feminarum temperamento atque desidiæ, quia utplurimum domi sederent, nec vehementioribus motionibus atque laboribus exercerentur, aut sub claro sole viverent; atque ob utraque hæc multitudinem humorum coacervarent, ideoque ipsam evacuationem plenitudinis, tanquam remedium, natura obtinere opus haberent. Item secundum eundem Galenum & alios tribuuntur mulieri menstrua, quæ sanitatis gratia vacuentur, embryoni autem nutrimentum præbeant, per conceptum suppressa. Id confirmat etiam Rodericus a Castro *de Nat. mul. Lib. 2. cap. 9. pag. 75.* scilicet feminam frigidiorem humidioremque mare esse, idcirco sanguine magis abundare; quod a Castro ita explicat: Femina alimentum quidem, quantum expedit, concoquit, verum propter caloris imbecillitatem id, quod redundat, per halitum digerere nequit, proinde plus sanguinis, quam illi pro nutritione partium fit ex usu, accumulat, cujus partem cum sibi concoxerit & similaverit, reliquam tanquam superfluam per uterum excernit. Pro desidia aut motus defectu stare quoque videtur Georgius Wolffg. Wedelius, quia in agrestibus, exercitiis deditis, venationibus, equitationibus, saltationibus vel laboribus magis duris, minus fundantur menses vel plane non, *Physiol. med. Sect. 3. cap. 29. pag. 207.*

§. 6.

Refutatur a Bohnio, Attamen feminis neque propter desidiam, nec propter frigidius temperamentum menses fluere monstrat Johannes Bohnius *Circul. anat. physiolog. Progymn. 16. pag. 240.* Egregia sane, inquiens, & Dictatoribus Medicinæ summis digna fabula! Ad desidiam natas asserit feminas Galenus, quarum nihilominus pleræque missis Amazonibus & Spartanis mulieribus, *nostris temporibus* maximos & tantum non virorum operis pares subeunt labores v. g. agrestes. Frigidius feminarum temperamentum sub certis conditionibus largior, qua ratione tamen hoc ad sanguinis plenitudinem conferat, non assequor, licet frigiditati humiditas combinetur: Cum calidum & humidum potius temperamentum, etiam ex vertiginosorum ejusmodi scriptorum hypothesi, plethoræ inducendæ accommodatum sit. Nec ratio, quam subnectunt,

ctunt, plus probabilitatis habet, quippe non minus tertiam, quam secundam digestionem in feminis vigere, & humorem nutritium productum eas quoque in substantiam partium alendarum commode satis convertere, vel ideo negari nequit, quod æque ac mares carnositatem ac obesitatem corporis non raro contrahant. Præterea transspirant ac sudant feminæ pariter ac viri; testis hujus, unicus quidem, sed pluribus major, erit hircus, quem olent puellæ viro maturæ cum maritatis. Nonne ergo idem calor, qui multo sanguini conficiendo aptus, ejus quoque superfluitates serosas per habitum expellere queat &c. Franciscus Bayle *Dissert. 1. de Caus. Flux. menstr. pag. m. 6.* de hac Galeni sententia ita scribit: *Si singula accuratius expendamus, statim patebit, quam inani fundamento nitantur.* Galenici asserunt, mulieres esse ad desidiam natas. Contrarium sane suadent historiæ Amazonum & mulierum Spartanarum: Contrarium testantur nostris temporibus, quos subeunt labores mulieres rusticæ, & quæ castra sequuntur. Amazones olim, quamvis essent ab otio & desidia maxime alienæ, quamvis sub dio vitam agerent, & assiduis militiæ laboribus exercerentur; menstruo tamen circuitu purgabantur & pariebant; quod idem in mulieribus rusticis & castrensibus licet observare. Unde manifestum fit, ad menstruam mulierum evacuationem nullatenus opus esse ea plenitudine, quæ per otium & desidiam cumuletur. Adde, quod plurimæ statas habeant vacuationis periodos, quibus sanguinis copia infra mediocritatem consistit: Et aliquando plenitudo ipsa impedit consuetam vacuationem, quæ non ante concitatur, quam fuerit per venæ sectionem sanguinis multitudo imminuta &c. Ubi dictus Autor porro quærit, cur, si hæc evacuatio a plenitudine promoveatur, sanguis potius per uterum, quam per aliam quamvis partem vacuetur? etenim si sanguis ideo profunditur, quia multitudine excedit, & vasa distendendo earum oscula aperit, manifesta consequutione deducitur, ea vasa, quæ sunt debiliora citius a distendente plenitudine apertis osculis, exitum sanguini esse datura: Et ea de causa ante patebunt vasa sanguinea narium, pulmonum & aliarum partium, quam vasa uteri &c. Et contra hanc mensium a feminarum vita sedentaria & temperamento frigido derivandam evacuationem inquit Jean Bapt. Verduc *de l'Usage des Parties Tom. 1. chap. 16. pag. m. 236.* pourquoi

a Francisco Bayle,

a Verduccio,

quoi dire, que les femmes ſont nées pour le repos & pour garder la maiſon? ne voit-en pas tous les jours des femmes occupées à de rudes exercices, comme toutes les pauvres femmes de village, qui travaillent autant, ſans comparaiſon, que peuvent faire des chevaux. Si l'on veut remonter jusqu'à l'hiſtoire de premiers temps, on trouvera des femmes plus courageuſes, que des hommes; on en trouvera, qui ont eſſuyé toutes les fatigues de la guerre, comme les Amazones & les femmes de Sparte. Ainſi tout ce que l'on dit du temperament froid & humide des femmes, qui contribuoit à faire plus de ſang & donc un vieux conte, au quel il ne faut pas s'arrêter; car pour ſe ſervir du mot de temperament, combien y-at-il des femmes, qui paroiſſent d'un temperament chaud & humide? Eſt ce que la transſpiration ne ſe fait pas dans les femmes, comme dans les hommes. Il ne faut pas croire encore, que la ſeconde & la troiſieme coction ſoient moins parfaites dans les femmes, & qu'elles engendrent plus des ſuperfluités que les hommes; n'eſt ce pas la meme chaleur, dans les deux ſexe, qui contribüe aux digeſtions, aux filtrations des liquers & à la transſpirations. Et Lam-

a Velthuſio. bertus Velthuſius *Tr. de Generat. pag. 134.* equidem non repugnat menſtruorum materiam eſſe talem ſanguinem, qui ita in corpore abundat, ut ſine ſanitatis jactura, imo cum multo levamine evacuetur: Nunquam tamen tam exigua ſanguinis copia, in corpore retenta, tot gravia produceret ſymptomata, ſi menſtruorum fluxus copiam ſanguinis pro cauſa haberet: Nam multis menſtrua fluere non deſinunt, quæ jejuniis ſe macerant, & ſobrietate ſanguinem ſibi minuunt. Multæ licet per nares copiam ſanguinis evacuarint, menſtruorum fluxum tamen paſſæ ſunt. Neque veroſimile eſt, puellas circa annum decimum quartum plethora laborare: Et mulieres circa annum quinquageſimum ab omni redundante ſanguine liberas eſſe. Præterquam quod plethora nunquam tam pauci ſanguinis emiſſione curetur. His adde, quod viri plus ſanguinis habeant, quam mulieres, iis tamen a natura proſpectum non eſt, ut juſto majorem copiam certis intervallis evacuare poſſint. Et non pauca extant exempla earum virginum, quibus menſtruus effluxus copioſus eſt, & quæ magis ſanguine indigent, quam quod eo redundant. Et quis concedet, viragines, quibus menſtrua parcius, vel omnino non fluunt, minus ſanguinis habere,

quam

quam pallidas & molles virgines? Et quomodo sanguinis copia est fluxus menstrui causa? cum nunquam felicius suppressa menstrua provocentur, quam cum venæ sectione in talo facta ante fluxus tempus sanguis e corpore educatur.

§. 7.

His & similibus rationibus sententiæ Galeni contradicit etiam Gualtherus Charletonus *de Caus. Catamen. pag. 33. seqq.* Si singula, inquiens, sigillatim & ex ordine Galeni verba accuratius examinemus, facile constabit, cuncta infirmissimis niti fundamentis. Primo enim, mulieres a natura esse ad desidiam vitamque otio transmittendam donatas comparatasque, ut durâ & naturæ benignitati haud parum injuria, ita & in se falsissima etiam thesis est. Ex omnibus enim, quas sol unquam conspexit, gentibus, nullam adeo delicatam ac desidem, nullam languori pigritiæque ita deditam fuisse, cujus mulieres maximam partem domesticis aut agrestibus laboribus dietim non exercerentur, experientia temporum nobis innotuit. De Spartanis, quæ in urbe, in agris, in castris, ubique assiduos & pene Herculeos exantlare labores patriæ legum severitate cogebantur; nihilominus tamen tum mensibus purgabantur, tum viros faciebant numerosa prole beatos. De his, inquam, quid dicent Galeni hac in re defensores? quid dicent etiam de Historiis Amazonum? quæ quamvis essent ab otio & desidia maxime alienæ, quamvis sub dio claroque sole vitam degerent, & immensis militiæ laboribus frangerentur, menstruo tamen circuitu naturæ tributum solvebant, concipiebant uterique pignora dabant. Quid denique dicent de mulieribus rusticis & castrensibus, ubique terrarum perpetui fere laboris molestias gnaviter ferentibus, hocque sine ullo vel sanitatis vel fœcunditatis incommodo? argumento utique fortissimo, mulieribus ad menstruam evacuationem nil opus esse ea sanguinis plenitudine, quæ per otium & segnitiem accumuletur. Secundo quotidiana Medicorum experientia compertum est, mulierum haud paucas catamenia consueto modo & interdum profuse pati, quibus tamen sanguinis copia infra mediocritatem consistit. Novi equidem tabe ac marasmo pene confectas, quæ tamen statis temporibus sanguinem ex utero emitterent. Et (quod adhuc magis istius, quem hic impugnamus, erroris mœnia concutit) haud raro contingit, ut ipsa sanguinis plenitudo impedimento sit, quo minus

Sententia Charletoni.

nus mulieres præfinitis a natura temporibus expurgentur: Nec ante revocari menstrua possint, quam fuerit per artificialem aphæresin, Chirurgi manu administratam, abundantia sanguinis imminuta. Tertio, si mulieribus sanguis eo duntaxat nomine profunditur, quia quantitate modum excedit, & vasorum oscula distendendo aperit; per legitimam consequentiam inferri potest, ea vasa, quæ debiliora sunt, citius a distendente plenitudine apertis osculis exitum sanguini esse datura. Neque etiam minus subleſtæ fidei est duplex illa, quam menstruæ mulierum evacuationi Galenus assignat, causa finalis, ut scilicet mulieres mensibus a superflui sanguinis, quem per ignaviam accumularunt, onere levatæ magis prospera valetudine utantur; utque in gravidis excessus sanguinis cedat in fœtus nutrimentum: Harum enim neutra, si ad æquos, & ad veritatis trutinam omnia perpendentes judices deferretur, stare potest. Contra priorem insurget universa natio femellarum apud Tapuyas in Brasilia, quæ per totum vitæ cursum catameniis destituuntur, nec minus tamen illibata perfruuntur sanitate. Posteriore sententia, scilicet sanguinis pleonasmum in prægnantibus nutriendo fœtui inservire, utut longinquitate temporis, patronorumque ingenti multitudine commendata; nihil tamen futilius, nihil magis a veritate alienum fingi potest. vid. etiam Gulielm. Cockburn *Oecon. Corp. animal. pag. m. 171. seq.*

§. 8.

Contra hanc menstruationem a sanguine superante pugnat etiam Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib. 1. cap. 25. fol. 141.* sequentibus rationibus. Vana est eorum opinio, qui a sanguine exsuperante, in uteri vasis collecto, menstrua moveri arbitrantur: Quoniam vasa illa tantam sanguinis copiam, quanta singulis periodis excernitur, continere non possent: Vel si eam paulatim colligerent, & sic per mensem asservarent, deberent valde tumida fieri, cum tamen per autopsiam pateat, quod in dissectis, & quidem plethoricis, eo tempore mortuis, quo menstruæ evacuationis fluxus jam imminebat, aut fieri incipiebat, nullus vasorum uteri solito major tumor conspiciatur: Adde, quod etiam macilentis, & sæpe jejunantibus, quibus nulla est sanguinis redundantia, menstruorum fluxus procedat. Denique quod continuata sanguinis circulatio talem ejus stagnationem in uteri vasis non permit-

a Diemerbroccio,

permittat, quæ ſi contingeret, ſanguis illic citam putredinem incurreret, & mulierem diu ante excretionis periodum gravibus ſymptomatibus affligeret; cum econtra menſtruus ſanguis non ſit putridus, & bonitate a reliquo ſanguine per ſe non differat. Contra ſanguinis plethoram, ut ſolam menſtruorum cauſam, juxta Mart. Liſter. *de Humor. cap. 45. pag. 423.* multa faciunt, 1) ſanguinis accumulati ſymptomata non gradatim attingere, 2) ex calore in menſtruis inſtantibus conſtat, ſanguinem intumeſcere, & non ex mera ejus plethora erumpere. 3) Efferveſcentiæ ſubitæ vehementia, ut ex qualibet corporis parte ſanguis erumpere cogatur, ex ore puta, naribus, *pulmone, ventriculo, tibiis*, &c. cauſam menſtruorum eſſe valde activam indicat. *Et pag. ſeq.* pergit idem Autor: Si mulier ſolum animal menſtruale ſit, menſtruorum ratio ex ſuperfluo ſanguine fieri non poteſt: Aliter reliqua animalia omnia nunquam ſanguine ſuperabundarent: Quod falſum eſt. Nam ex pleno victu tanta ſanguinis copia, æque, puta, premuntur, ut niſi ſæpius miſſus ſit, in plures morbos inciderent; & tamen nihil iis iſtiusmodi a partibus genitalibus unquam movetur. Secundum Regnerum de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 9. pag. m. 260. ſeq.* opinionem, menſtruæ purgationis motum a ſolo exuberante ſanguine, qui in uteri vaſa perlabitur, eaque copia & calore diſtendit ac aperit, derivantem, non ratio tantum, ſed & frequens cadaverum diſſectio prorſus refellendam eſſe demonſtrat; ſiquidem nulla probabilitate nititur, quod ſanguis (qui perenni circulationis lege continuo per omnes corporis partes movetur) tanto temporis ſpatio in uteri vaſis ſtagnaret; quibus addendum, uteri vaſa haudquaquam tantam ſanguinis copiam continere poſſe, quanta una periodo evacuari ſolet: Præterea in mulieribus inſtante menſtruorum fluxu ſubitanea morte extinctis ac diſſectis, uteri vaſa mirum in modum diſtenta inveniri deberent; at illud nunquam invenire potuimus, nec ab aliis inventum legimus: Et licet aliquantulum magis quandoque turgerent, illud profecto parum facere poſſet ad quantitatem ſingulis menſibus expurgari ſolitam.

a Liſtero.

a Graafio.

§. 9.

Recenſitæ vero Galeni ſententiæ contradicentes Autores recentiores iterum in diverſas opiniones abeunt, dum alii hanc menſtruationis cauſam efficientem ſatis probabiliter a ſola vaſo-

Autorum diverſæ ſententiæ.

rum repletione seu plethora & exsuperantia petunt; de sanguine enim menstruo Johannes Bohnius *Circul. Prog. 16. pag. 246. seq.* supponit, feminam fœtui concipiendo & gestando a natura esse destinatam, adeoque viscera digestionum non sibi & individuo propria, sed proli ac speciei etiam propagandæ ministrantia habere, i. e. quæ plus humiditatis nutritiæ atque sanguinis conficiant, quam conservationi individuali impendatur ac impendi queat. Ne vero succi hi, quos in aliena commoda cumulat eadem, copia & mole ipsi extra gestationis aut lactationis negotium exitiosa evadant, statis temporibus vasa deplentur, tantumque illius massæ rejicitur, quantum pro allevando parum corpore hujusque viribus congruum, donec congestis pristinis copiis, nisi imprægnatio superveniat, novam sarcinam denuo deponat eadem mulier. Sanguinis ergo plenitudo reciprocæ hujus evacuationis stimulus primarius est, non per desidiam quidem & otium aut temperamentum frigidius, quo Galenus, Hippocrates & Aristoteles inclinant, nec præ nimio fervore & caliditate, quam alii, v. g. Democritus, hujus exuberantiæ augurantur causam, contracta, sed per habitudinem illam totius, qua Creator sexum sequiorem a masculino distinctum voluit, & per quam illum concipiendo & gestando fœtui, in prima statim creatione, præfecit ac adaptavit. Pleniorem dispositionem hanc cumulativam reddere aut ejus formalitatem speciosius determinare, nemini forsan mortalium concessum, sed illi tantum, cui soli generationis mysteria innotescunt, scilicet naturæ summæ: Sufficiat plethoram aliquam subesse, quæ evacuationem hanc urgeat, quam inde potissimum colligo, quod hac interrupta male se habeant mulieres, sanguinis subtractione mitigentur symptomata hinc dependentia, nec per evacuationem illam viribus evacuatæ aliquid decedat. Ergo quod evacuabatur, erat exuberans quoddam. Archibaldus Pitcarnius fluxus menstrui causam agnoscit, quod in homine crescendi finem adepto plus sanguinis quotidie generetur, quam ad nutriendum requiritur, eadem manente per aliquot annos ab eo tempore vi ventriculi: Hinc quantitatem sanguinis, quæ supra amissum indies congeritur, inveniri censet, si quantitas expulsi per numerum dierum horarumve inter duas hæmorrhagias intercedentium dividatur &c. *vid. Act. Erudit. Lipsi. 1714. pag. 481.* Secundum Joh. Gothofr. Berger. *Physiolog. seu de Natur. hum. c. 20. pag. 254.*

Explicatio Bohnii,

Pitcarnii,

Bergeri,

pag. 254. ſanarum feminarum ſanguis menſtruus natura roſeus purpureusque eſt, magnamque lymphæ gelatinoſæ atque alibilis copiam continet; cujus cum menſis uniuscujusvis curriculo tantum ſemper congeratur, quantum proprii conditio corporis ferre & capere canalium ſuorum alveo vix ægreque poſſit, neceſſe eſt, redundantem ejus partem ſingulis quibusque menſibus deſpumari. Item Chriſtiano Vatero *Phyſiolog. experim. Sect. 7. Art. 2. cap. 3. pag. 639.* videtur hujus evacuationis menſtruæ, quæ certis tantum intervallis ſive periodis fit cauſa non tam lunæ, aut fermento intra uterum latenti, ſed ſoli turgeſcentiæ & copiæ ſanguinis, tot intervallis redeuntis, tribuenda, ſaltem quod diverſitas aeris, temperamentorum, ætatum, alimentorum aliarumque circumſtantiarum, eandem modo citiorem, modo tardiorem, largiorem vel parciorem efficiat. *Vateri,* Et Jean Baptiſte Verduc *de l'Uſage des Parties Tom. 1. cap. 16. pag. 234.* ſcribit: Le ſang, qui s'ecoule tous les mois des parties naturelles des femmes, eſt un grand ſecours pour les ſoulager & pour les preſerver d'un grand nombre des maladies. C'eſt icy où la puiſſance de Dieu ſe fait admirer, car on peut aſſurer, que l'Auteur de la nature a donné plus de ſang aux femmes, qu'il n'en faut pour les nourrir; parceque prevoyant, que les femmes & les femelles des animaux doivent dans un temps nourrir un autre animal, il a fallu qu'elles euſſent plus de ſang, que les máles: quoiqu'il ne ſerve pas à la nourriture du fœtus, il eſt pourtant neceſſaire, que les femmes en ayent en abondance, pour charier le chyle dans l'enfant; c'eſt donc ce ſang ſurabondant, qui s'evacüe tous les mois dans les femmes, lorsqu'elle ne ſont point groſſe. *Verduccii,*

§. 10.

Quid de hac materia ſentiat Johannes Freind in ſua Emmenologia contractis verbis ex *Actis Eruditor. Lipſ. An. 1705. p. 175.* huc inſerere liceat: Scilicet plethoram cum Galeno ſtatuit menſium cauſam, eandemque a perſpiratione impedita dependere perſuaſus eſt dictus Autor. Minor enim in feminis materiæ perſpirabilis ſecretio; ob minorem ſanguinis velocitatem, quæ ex pulſu & capillarium vaſorum anguſtia, quæ ex textura in ſexu ſequiore delicatula probari poteſt, obſervatur. Aortæ truncus deſcendens multo amplior in feminis, quam in viris, ut non modo ad *Freindii,*

musculos excludendo fœtui inservientes, sed ad uterum etiam major sanguinis quantitas deferatur; quæ vasorum capacitas & multitudo facit, ut non alium, nisi per uterum sibi exitum quærant menses. Cum eousque increbuerit sanguinis momentum, ut ei oppugnando vasa minime sufficiant, locum facile cedunt, ut per ipsorum tunicas sanguis erumpat; vasa vero uterina, utpote carne parum suffulta, ad cedendum sunt facillima. Suum etiam hoc in negotio confert symbolum valvularum in venis uterinis defectus; nihil enim, hoc supposito, obstat, quo minus sanguis omnis, qui in ramis amplioribus continetur, retro versus capillarium angustias corruat, & tenella orificia ita premat, ut impulsu quovis diffiliant. Qui negant, plethoram esse mensium causam, nihil probant, dum graciliſſimas etiam feminas per uterum purgari opponunt &c. De causis hujus plethoræ & quare fiat in feminis, vid. ipsius Joh. Freind *Emmenol. cap. 3. pag. 13. seq.* Similiter
Cypriani, etiam Abrahamus Cyprianus *Epist. de Fœt. tubar. pag. m. 57.* non fermentationem in sanguine aliasque causas ab antiquis recensitas pro vera fluxus menstrui causa admittit, sed solummodo sanguinis bene constituti nimis magnam copiam exitum quærentis, ubi nempe is ad certam quantitatem naturæ molestam pervenit, & per illas vias, quæ huic exonerationi idoneæ & destinatæ sunt, evacuari conatur, quales sunt ipsæ glandulæ uteri & vaginæ. Hæc exoneratio *in feminis non gravidis* est necessaria; nam præter externa quædam conformationis discrimina inter virilis & feminei corporis constitutionem ea maxime naturalis est differentia, quod in feminis, iis præcipue, quæ ad pubertatem pervenerunt, sanguificatio sit copiosior, quam quæ ad nutritionem proprii corporis requiratur, adeo ut tempore graviditatis fœtum suo sanguine, ad hunc finem redundante, possint nutrire, in non gravidis autem illa nimia sanguinis quantitas dicto modo debeat evacuari. Si enim hæc facultas plus sanguinis conficiendi tantummodo, ubi ingravidantur, in feminis vigeret, eademque mox a partu iterum cessaret, quomodo quæso id fieri posset absque magna & insolita naturæ femineæ mutatione? verum illa sanguinis superfluentis copia atque ubertas sicuti circa pubertatem primo oritur, ita ingravescente ætate in feminis senioribus tandem accidit, ubi natura jam non sufficit ad pleniorem illam sanguificationem. Hanc
Langii, sententiam tuetur quoque Christianus Johannes Langius *Physiolog.*

log. Thes. 37. fol. m. 218. inquiens, in puellis circa decimum quartum nativitatis annum genitalia prævia corporis insigni lassitudine, æstu circa uterum, tensione vicinarum partium, aliisque plus minus gravibus symptomatibus copiam sanguinis singulis fere circuitibus lunæ fundunt. Etenim cum non solum feminæ opus habeant nutritiva materia ad conservandam propriam corporis machinam, verum quoque si imprægnatæ fuerint, aut recenter pepererint, pro nutriendo fœtu in utero non minus, quam recenter nato, succo alibili majori in quantitate, quam mas, luxuriant. Ne tamen dicta materia abundans noceat ipsis, morbosque generet extra hæc tempora, semper illa intervallis menstruis e mulieribus seu illorum genitalibus exterminatur sub sanguinis forma.

§. 11.

Alii vero plethoram seu solam venarum adimpletionem pro vera menstrui fluxus causa non agnoscunt, uti non modo §. 6. ex Francisco Bayle & aliis adduximus, sed scribit etiam Cornelius Stalpart van der Wiel *Obs. rar. Part. post. Obs. 19. Schol. p. 232.* docet usus, plethoram nonnunquam solitum impedire menstruorum cursum, qui sæpe non promovetur, nisi per venæ sectionem quadam sanguinis emissa quantitate; hoc autem in praxi non semel expertus fui. Si vero mulieres sanguinem illum quovis mense propter plethoram emitterent, causa demonstranda esset, cur per uterum magis, quam per aliam corporis partem ejiceretur. Si enim sanguis abundans vasa distendit, eorumque aperit ostiola, debiliora certe vasa, apertis illis, ante omnia sanguinem effunderent. Inquit etiam Michael Ettmüllerus *Oper. Vol. 1. fol. m. 165.* vulgo causam efficientem menstrui dicunt esse sanguinem sua copia peccantem, quod non est: Si enim sola quantitate efficiente effluueret, quotidie tantum derivandum esset, quantum excederet; vel si cumularetur toto mensis tempore, ultimis diebus prægravarentur ejusmodi onere, & fluxus in principio esset maximus. Quibus rationibus quoque addi posset, dari sæpe in praxi medica feminas, quæ ob gravissimos morbos largasque ac diuturnas satis hæmorrhagias, sanguinis defectu laborant, nihilominus tamen adhuc menstruam purgationem ordinarie experiuntur. Quod confirmat Bernhardus Ramazzinus *de Morb. Artific. cap. 19. pag. m. 130.* referens sibi non semel, non sine magna admiratione

Aliorum

Stalpartii,

obserua-

obſervare licuiſſe, mulieres diuturnis morbis confectas & ad marasmum fere deductas, ac præcipue nobilem monialem per decennium in lecto decumbentem prorſus exhauſtam, cui quolibet menſe, ſtatis diebus, menſes, quamvis in ſatis modica quantitate & ad paucas ſtillas, apparuerunt. Conſtat etiam juxta Juſti Veſti *Oeconom. Corp. anim. Diſſ. 7. §. 20. pag. 101.* quod mulieres macilentæ & minus plethoricæ, laſciviores tamen, plus cruoris profundant menſtrua purgatione, quam carnoſæ & plethoricæ, quæ impetu venereo non ita vexantur. Hinc cadit Galenicorum aſſertum, qui ſtatuunt, ex copia ſanguinis dependere iſtum fluxum. Si autem hoc eſſet verum, ſequeretur, mulieres minus plethoricas nullo menſium fluxu laborare, quod eſt contra experientiam. In menſium etiam obſtructione poſt venam ſectam ſæpiſſime ſequitur menſium fluxus; ſi autem a ſanguinis copia ille proveniret, certe poſt ſanguinis emiſſionem non ſequeretur, ſed potius inhiberetur. Carolus Muſitanus *de Morb. Mulier. Quæſt. 2. Art. 4. pag. 52.* inquit: Eſto demus, excrementi ſanguinei quantitatem naturam ad expurgationem ſtimulare, non autem dicimus cauſam eſſe, propter quam determinate hujus purgationis fit circuitus, & ratio eſt, quia non ſemper omnes mulieres, imo neque perpetuo una mulier eandem ſanguinis quantitatem expurgat, ſed nunc majorem, nunc minorem; & cum hac quantitatis varietate non variatur circuitus: Sed ſi talis circuitus ab eadem quantitate proveniret, tunc quantitate variata variaretur circuitus.

§. 12.

an a Luna? Quapropter alii Autores, ſola hac ſanguinis abundantia non contenti, eandem equidem tempore proruptionis menſium adeſſe concedunt, interim tamen circa certas menſtruationis periodos ſeu reciprocationes ſimul ſolliciti, varias hujus menſtruæ excretionis cauſas efficientes indagare allaborarunt, ratione difficultatis autem menſtrui periodos cum oceani fluxu & refluxu compararunt. Scribit enim Gulielmus Cockburn *Oeconom. Corp. animal. pag. m. 170.* menſtruæ purgationis disquiſitionem ob rei difficultatem magnam pati diligentiam: Nec enim, pergit idem, fluxus oceani reciprocus magis priorum ac hujus ſæculi Philoſophos inani labore exercuit, quam Medicos menſtruus fluxus. In utroque ſtatæ periodi, & arcanum quoddam naturæ myſterium ſtupen-

ſtupentes omnium animos admiratione defigunt. At cum hac noſtra ætate difficultates oceani improbus labor ac mortalium ſolertia plurimum vicit, quidni etiam & nos idem circa fluxum mulierum moliamur? ut, ſi forte ſcopum aſſequi non liceat, propius tamen acceſſiſſe conemur. Hæc tamen allegati Autoris Anglici, Cockburnii, verba ex alio Anglico Autore, nimirum Franciſco Bayle (non Boyle, uti hunc locum in aliquot Autoribus, neſcio an ſcriptoris, an potius typothetæ, errore allegatum reperi) mutuata videntur, cujus verba, *Diſſert. de Cauſ. flux. menſtr. mulier. pag. 1.* quoque ſic ſonant: Fluxus oceani reciprocus non magis priorum ſeculorum *Philoſophos inani labore* exercuit, quam *Medicos fluxus menſtruus mulierum.* In utroque enim ſtatæ periodi, & arcanum quoddam naturæ myſterium, ſtupentes omnium animos admiratione defigunt. In utroque curioſa hominum ingenia, ſcrutandæ originis, & gloriæ conſequendæ prurigo ſuccendit. In utroque denique ardua difficultatum perplexitas, & varia naturæ phænomena, impoſſibilem eſſe tanti laboris exitum ad hoc usque ſeculum ſuaſerunt. Sed vicit tandem noſtra ætate difficultates omnes oceani improbus labor ac ſolertia mortalium; qui non ſolum Deo propitio omnes ejus plagas atque oras emenſi ſunt, verum etiam originem æſtuum ac tantorum motuum veram cauſam feliciter ſunt aſſequuti: Quidni etiam & nos idem circa fluxum mulierum, Deo auſpice, præſtare moliamur? ut ſi forte ſcopum aſſequi non liceat, propius quam cæteri acceſſiſſe videamur.

§. 13.

Sicuti autem plurimi Phyſici oceani ſeu maris motum reciprocum (quo illud ſingulo duodecim horarum & 24. minutorum ſpatio regulariter accreſcit & decreſcit, intumeſcit ac detumeſcit, fluit ac refluit, ita tamen ut hoc in nonnullis locis magis, in aliis minus fiat; in quibusdam ſerius, in quibusdam citius, in aliis tardius fluxus & refluxus ſit initium, in his diutius fluat, in aliis contra plus temporis in refluxu impendat, &c.) lunæ motui & operationi, adſcribunt magnamque inter lunæ & oceani motum connexionem eſſe defendunt; ita etiam oceani microcoſmici ſeu regularem menſtrui ſanguinis reciprocationem a luna dependere, non modo veteres, ſed recentiorum quoque non pauci ſtatuunt, hinc etiam communiter in Medicorum libris legimus, ad *Affirmant*

singulas lunæ mutationes feminarum sanguinem juxta ætates moveri; ut scilicet circa novilunium juvenculæ, decrescente vero ipsa vetulæ hæc sua purgamenta excernere cogantur, juxta notum versiculum:

Luna vetus vetulas, juvenes nova luna repurgat:

Venette Unde scribit Nicolaus Venette *Tabl. de l'Amour pag. m. 407.* Les autres attribuent le flux des regles à des causes superieures & se persuadent, que la lune est la maistresse des mouvements, que nous y observons. Car ils ont remarqué, que la mer s'enfloit d'avantage: que les os des animaux estoient plus pleins de moële; que les arbres avoient plus de seve, & que les femmes souffroient aussi plûtost l'epanchement de leurs humeurs au renouveau, ou au plein, qu'en tout autre temps: si bien que comme la lune a beaucoup d'empire sur les choses humides; les femmes etant d'un temperament froid & humide, & propres par consequent à souffrir les impressions de cet astre, ils ne doutent pas aussi, qu'il ne leur faste ressentir les effets de sa

Fernelius vertu. Johannes Fernelius mensium circuitum vel certis naturæ legibus statisque periodis, vel sempiternis & immutabilibus lunæ cursibus adscribit; quæ ut luminum varietate, tum crescens, tum senescens, mensem dimetitur, sic hominis, ut sane reliquorum omnium humores rata ordinis constantia regit ac moderatur. vid. Joh. Fernel. *Physiolog. Lib. 7. cap. 7. pag. m. 180.* Inquit etiam Ste-

Blancardus. phanus Blancardus *Instit. Medic. Part. 1. cap. 9. Op. pag. 216.* menstruus fluxus a lunæ motu dependere videtur, qui menstruali tempore semper absolvitur. Ast nunc hæ, cras illæ menstruum patiuntur fluxum? Sed hoc fit pro variis quadris & aspectibus lunæ ad tellurem; non omnia fermentantur ab omnibus, ergo non omnium sanguis mutabitur ab eodem æthere, sed hujus ab illo, qui cras influit a luna ad nos, alterius ab alio, qui hodie, alius ab illo, qui perendie, & sic porro; & statuendum, a diversis quadris diversum ad nos mitti ætherem, non uniformem ab omnibus simul. Sic omnium sanguis non mutatur a quolibet lunari æthere, sed a certo tantum.

§. 14.

a Luna per fermentationem Stalpartius Ex recentioribus porro lunæ motui menstruationem primario adscribit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obs. rar. Cent. post. Obs. 19. Schol. pag. 230.* inquiens, fermentationis virtutem in sanguine

guine mulierum juniorum secundum diversas lunæ phases provenire annotamus. Cur enim alias tam accurate, statoque semper circuitus lunæ tempore, fluxus ille oriretur? Quidni æque in microcosmo præstet luna, ac in macrocosmo, ubi maria & flumina turgere facit, præsertim, quando ex mulieribus fermentum aliquod salinum, uteri substantia contentum, & ex sanguine sensim ibidem collectum, accedit? Nullus tamen, ad fluxum hunc majorem sanguinis requiri, quantitatem inficior, quam quidem hujusmodi mulieres ad corpora sustentanda indigent. Experimur enim nonnullas, etiamsi magna careant sanguinis quantitate, insuperque parum alimenti propter tristitiam aliamque causam assumant, accurate in consueta lunæ phasi fluxui isti obnoxias esse. Quamvis etiam dictus Autor fermentationem motumque sanguinis majorem simul requirat, illam tamen peregrinum lunæ aerem producere *pag. 232.* inquit. De hac materia quoque Johannes Jacobus Waldschmidius *Prax. Medic. pag. m. 873. seq.* prolixe tractans post varia de luna ejusque operatione ex Cartesio præsupposita ita concludit: His præmissis statuimus, quod fluxus mensium, seu periodica talis sanguinis fermentatio, dependeat ab effluviis seu corpusculis nonnullis, novam aliquam fermentationem in massa sanguinea producentibus, vel fermentationem vitalem valde augentibus; quæ effluvia seu corpuscula e luna cum radiis solaribus, a luna reflexis, sparguntur in aerem, cum corporibus sublunaribus communicantur, & sanguinem nostrum intrant; quamvis autem continuo a luna certa corpuscula mittantur ad hæc inferiora, non tamen sunt sufficientia, ut tales alterationes producere possint; cum vero circa novilunium & plenilunium valde notabiliter corpuscula spargantur, quid mirum, si tam notabiles observemus in corporibus alterationes & fermentationes in massa sanguinea, ita ut menses erumpant. Item hanc lunæ, ratione mensium, operationem defendit variisque objectionibus respondet ex recentioribus Richardus Mead Tract. de Imperio solis ac lunæ in corpora humana & morbis inde oriundis in Guilh. Musgrav. *de Arthrit. anamol. pag. m. 367.* inquiens, permagni esse momenti lunam ad concitanda illa mulierum profluvia, quibus a menstruis, quas servant, vicibus impositum est nomen, non ex opinione vana, sed sedula observatione comperta reaffirmarunt veteres. Et recurrerent sane, dubio procul, universis feminis

eadem certa lege hæ purgationes, nisi obstarent aliæ graviores causæ & sideris hujus influxui intercederent varia singularum victus vitæque ratio, infinitum temperamentorum discrimen & incerta denique plurimorum casuum vis & efficientia. Certum est, in regionibus propius ad æquatorem sitis (ubi validissimam esse lunarem actionem ostensum est) copiosius fluere menses; in iis contra, quæ polis sunt viciniores (cum illa ibi sit debilior) parcius. Id in borealibus imprimis observavit Hippocrates, qui & hanc reddit in Scythicis mulieribus sterilitatis causam. Vel juxta verba Johannis Baptistæ Wenckii *de Muliebr. Menstr. Sangu.* nonnulli Autores menstrui sanguinis effluvium astris, tanquam supremis & universalibus causis addicunt, atque lunam hujus menstrualis effluxus, qui ordinarie in mulieribus observatur, causam esse adstruunt, hac ratione innixi, quod mare intumescat, animalium ossium cavitas medulla, arbores succo abundent, mulierum quoque profluvium abundantius in novi-ac plenilunio prorumpat, quam in aliis intermediis lunæ periodis. Quemadmodum enim luna magnum super humida & fluibilia dominium obtinet, feminæ autem frigidæ, humidæ, atque ad omnes harum qualitatum impressiones suscipiendas propensum obtinent temperamentum. Sic pariter, qui hujus sunt opinionis, minime dubitant, hujus quoque planetæ influxibus atque operationibus eas subjacere. *vid. M. N. C. Dec. 3. An. 4. App. pag. 205.* Quod menses lunæ motum sequantur, defendit hacque ratione explicat Theodorus Craan *Oecon. animal. pag. 280.* Prout luna alias exhibet phases, id est, alium situm atque respectum versus nostram terram, ita etiam alium ætherem ad nostram tellurem transmittit: Ita quando est plena, alium; quando est nova, alium: alium, cum falcata est. Prout illæ particulæ sanguinis crassiores auscultare nequeunt peculiari huic ætheris transfluxui, fit harum particularum præcipitatio, & menstruus fluxus: Singulis quoniam mensibus eadem ejusdem aeris actio redit a luna, in eodem existente loco, versus nos eundem ætherem propellente. Tantum nos effectum isti adscribere causæ, si cui mirum videatur, cogitet idem in variis in terra hærentibus seminibus obtinere. Nulla etenim alia est ratio, cur hoc mense hæ potius, aliæ alio progerminent plantæ; nisi dicamus solem pro vario situ, quem habet ad tellurem, varium huic communicare aerem: Ita ut alius potius hoc mense, alius

alio

alio semen pullulare faciat. Et *Tract. de Homin. cap. 64. pag. 716.* idem Autor causam periodi menstruationis petendam esse scribit a luminari majore, videlicet luna, cujus circuitus circa tellurem nostram facit hanc periodum, facit mensem lunarem, qui complet circiter viginti novem dies, ita ut hac periodo lunari introducatur alia materia primi elementi ad ætherem nostrum, quam antea, quæ determinet sanguinis fermentationes, modo requisito ad menstruum fluxum. Revera hactenus aliud inventum non est, præter illud luminare, quod telluri proximum est, quod suam periodum intra illud determinatum tempus absolvit, & quod tantas in hac nostra tellure facit mutationes. Ibidem etiam dictus Autor quibusdam respondet objectionibus. vid. etiam Joh. Muralt. *Colleg. Anat. Lect. 20. pag. 335. seq.* item *Vademec. Anat. Exercit. 4. pag. m. 148. seq.*

§. 15.

Hunc tamen menstrui sanguinis fluxum a motu & influxu lu- *Negant alii.*
næ dependere negant alii, quandoquidem evacuationes istas non semper lunæ phases sequi, sed in iisdem subjectis modo nova, modo veteri, crescente & decrescente luna contingere, quotidiana experientia testetur, unde lunæ energiam hic non simpliciter necessariam & saltem remotissimam esse, scribit Christianus Vater *Physiolog. Sect. 7. Art. 2. cap. 3. pag. 641.* Utut etiam Christianus Johannes Langius lunæ vim in atmosphæram & per consequens in nostra corpora non neget, falsissimum tamen esse ait, quod puellæ omnes ad novam, vetulæ ad veterem lunam, purgentur; toties enim querelas audimus puellarum de emansione mensium ad decrementum lunæ, vetularumque ad incrementum. vid. Chr. Joh. Langii *Physiol. Thes. 37. Oper. Tom. 1. fol. 223.* Et juxta verba Nicolai Venette *de la Generat. de l'Homme cap. 4. Art. 5. pag. 408.* La lune n'est pas toûjours la maîtresse des regles, elles coulent aussi-bien au dernier quartier, qu'au renouveau ou au plein. Inquit etiam Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib. 1. cap. 25. fol. m. 140.* Aristoteles a lunæ influxu & motu menstrua mulieribus moveri scripsit; Quæ tamen opinio nullis fundamentis innititur, imo rationem sibi plane contrariam habet; quia secundum illam sententiam omnibus mulieribus eodem tempore menstrua moverentur, eaque duntaxat profluerent certo illo tempore, quo luna ad determinatum illud cœli punctum mota

talem specificam influxionem facit; cum tamen durante toto menstruo lunæ decursu nulla dies, imo etiam nulla hora sit, qua non hic illic in terrarum orbe innumeris mulieribus menstrua fluant. A lunæ circumvolutionibus menses moveri in peculiari tractatu, Lunare Tributum, refutat Johannes Baptista Helmontius *fol. m. 446.* quia luna non accumulat vel expellit cruorem, licet uteri purgatio coincidat cum cursu lunæ. Nam istud coincidere utrique termino est per accidens. Etenim alioqui, si ista muliebris purgatio a luna ipsa esset, omnes feminæ utique eadem die, saltem quæ in eodem habitarent climate, essent menstruæ. Vel saltem juvenculæ omnes cum novilunio idem pariter paterentur. Quod falsum est: siquidem citius aut tardius pro idiosyncrasiæ varietate hoc ipsis contingit.

§. 16.

Aliorum sententia. Quamvis etiam Georgius Philippus Nenterus *Physiolog. cap. 4. pag. 183.* concedat, quod magna cum probalitate quidam statuant, lunam esse fluxus menstrui causam, ideo quod phases lunæ fere ordinarie sequatur: Ita quidem, ut ab anno decimo quarto ad vigesimum usque menses circa novilunium, ab anno vigesimo ad trigesimum circa primam falcem, ad annum quadragesimum circa plenilunium, & tandem ad annum quadragesimum nonum circa ultimam falcem, menses fluant; aliam tamen sibi magis probabiliorem sententiam Nenterus fovet, quod scilicet effluxus sanguinis menstrui rationem quandam criticæ periodi fovere videatur. Ex praxi enim notum sit, in morbis acutis, ubi materia est admodum noxia, crisin aut commotiones criticas fieri septimo die: Ubi vero nocendi vis non est adeo urgens, decimo quarto: In mitiori autem casu vigesimo aut vigesimo primo contingere. Cum itaque materia mensium, excretioni destinata, mitis sit, videtur quoque eandem periodi longioris criticam evacuationem sequi, ita ut demum tertia periodo sive septimana præterlapsa evacuetur. Quod autem luna non absolutum in menses habeat imperium, pergit idem Nenterus, exinde apparere potest, quod multæ feminarum non juxta phases lunæ, sed secundum menstruum dierum numerum mensium fluxum experiantur. Et juxta Gulielm. Cockburn *l. a. pag. 172.* docet experientia, quantum decipiantur ii, qui menstruo lunæ motu ac influxu mulieres regi asserunt, ac variis astri hujus phasibus, pro varietate ætatis

mulie-

mulierum fluxum concitari, cum cujusque ætatis mulieres quacunque lunæ phaſe vacuentur, feminæ licet omnes, ejusdem ſaltem ætatis, eodem cœlo ac ſolo viventes, eodem die ac tempore purgari deberent. Idem ſentit etiam Johannes Freind *Emmenolog. cap. 2. pag. 8. ſeq.* his verbis: Qui menſium cauſam a luna petunt, hoc unico omnes ducuntur argumento, quod fluxus uterini periodus lunæ curſibus reſpondeat, adeoque ad illius imperium dirigatur: Quod ſane argumentum facile & breviter convelli poteſt, ſi quis reponat, menſtruis periodos contingere lunæ minime congruentes, ſiquidem eæ frequentius creſcente adhuc menſe, quam exacto recurrunt. Quodſi huic profluvio præeſſet luna, mulieres omnes, quibus eadem eſſet regio, ætas atque temperies, eodem tempore iisdemque vicibus ad menſtrua cieret: Quod tamen ita parum fit, ut ne fieri quidem poſſit. Et Martinus Liſterus *de Humor. cap. 45. pag. 425.* ait: Ad lunam quidem referunt mulierum profluvia menſtrua; hancque in iis concitandis permagni eſſe momenti volunt. A luna quidem nomen habent, ſed a periodo menſtrua potius, ut arbitror, quam a cauſa. Huic quotidianus menſtruorum recurſus obſtat in aliis atque aliis mulieribus, victu ſimili utentibus. Nam in hac urbe omni die menſis purgationes mille mulieribus ſolvuntur, æque commode & ſalubriter, ac quibus novis ac plenis lunis eadem contigerint. Prolixe etiam hanc ſententiam de lunæ operatione refutat Carolus Muſitanus *de Morb. mulier. Quæſt. 2. Art. 5. pag. 53. ſeq.*

§. 17.

Alii equidem hoc in paſſu plethoram concedunt, ad excretionem vero regularem fermentum & fermentationem ſeu effervescentiam, ebullitionem, turgeſcentiam vel motum internum requirunt; hinc Isbrandus de Diemerbroc *l. a.* inquit: Extra imprægnationem qui ſingulis menſibus redundat ſanguis, ſtatis periodis cum fermentatione ſeu effervescentia quadam, copioſus per arterias ad uterum propellitur, cumque in ejus ſubſtantia interiore admodum paucæ ſunt venæ, per quas tantæ copiæ circulatio commode fieri poſſit, & orificia modo dictorum tubulorum ſint laxa & mollia, hinc fit, quod redundans ſanguis, qui ob copiam ſatis cito circulari nequit, per dehiſcentia & aperta tubulorum orificia, nec non per fines vaſorum in collo uteri deſinentium, ut ſupervacuus & naturæ ſua copia moleſtus foras effluat. In quibus vero

an a fermento?

Affirmatur a Diermerbroc.

bus vero dicti tubuli firmius occlusi sunt, in illis menstrua solummodo profluunt per fines vasorum in collo uteri seu vagina desinentium, vel plane subsistunt, imprimis si etiam fermentifica illa qualitas ad tantam perfectionem nondum devenit, ut talem effervescentiam in sanguine suscitare possit. Franciscus Zypæus *Fundam. Medicin. Part. 1. cap. 1. Art. 7. pag. 84.* causam menstruorum etiam judicat quoddam uteri fermentum, quod singulis præter propter mensibus in actum deducitur, cujus generationem in corde arbitratur; & *pag. 86.* addit: Præ aliis causis majori probabilitate stabilitum est illud uteri fermentum, paulatim in sanguinem depositum, quo multum ignis in se colligens rarescit & fervorem concipit, & eo tandem mediante in uteri substantiam, cujus arteriarum & nervorum filamenta irritando & stimulando, sanguinem ad oscula vasorum & spirituum influxum in circulares uteri fibras, quo successive uterus & arteriæ constringuntur, determinat, quibus uterus turget, dilatatur, sanguinemque fluidiorem exsudat, quousque fermentum una effluxerit. Talem fermentationem a liquore vesicularum seminalium seu ovariorum abundante atque per vasa lymphatica in saccum chyliferum, indeque ad cor regrediente, derivat Heydentryk Overkamp. *Oeconom. animal. cap. 19. pag. m. 385. seq.* Secundum Michael. Ettmüller. *Oper. Vol. 1. fol. m. 166.* turget sanguis quavis menstrua periodo intensius, & simul vellicantur & quasi titillantur singulariter genitalia propter vim peculiarem fermentativam, ab uteri glandulis beneficio sanguinis & lymphæ refluentem, nec non ipsius lymphæ genitalis glanduloforum corporum, collum vesicæ ambientium, universæ massæ sanguineæ communicatam, & etiam ipsi lymphæ seminali uteri & prostatarum concessam, a qua, uti acriores hæ factæ pruritum venereum insolitum fere excitant, & istam fermentationem sanguini inducunt, quæ singulis tamen mensibus redit, quia tanto temporis spatio sanguis ad sufficientem turgescentiam disponitur & excitatur; ita ratione illius in sanguine alterationis singulares istæ mulierum sub pubertatis annis mutationes eveniunt. Probabile etiam est, prout in maribus ex testibus egregia alteratio totius corporis emanat, ita ex mulierum lympha genitali toti massæ sanguineæ egregia fermentatio & turgescentia inducatur, adeo ut turgescens fermentando & ebulliendo egrediatur, vid. etiam Stephan. Blancard. *Institut. Medicin. Part.*

a Zypæo

ab Ettmüllero

Part. 1. cap. 9. Oper. Tom. 1. pag. 215. ſeq. Item Martinus Kergerus *de Fermentat. Sect. 3. cap. 2. pag. m. 214.* ſanguinem, inquit, menſtruum ſtatis temporibus turgere, ubi arteriæ uteri non prompte ad emiſſionem hiant, vaſa circa uterum, arteriam aortam & venam cavam eo loci præcipue tendi, dolores atque anxietates, hypochondriorum duritiem, reſpirationis difficultatem aliaque mala effici notiſſimum. Si itaque blanda & naturali fermentatione ſanguis cietur, nihil obſtabit, quo minus hunc in feminis ſanguinis naturalem fluxum eidem fermentationi lunæ influxu acrius ſtimulatæ debeamus. Si enim ſola quantitate efficiente proflueret, quotidie tantum derivandum eſſet, quantum excederet: Vel ſi cumularetur toto menſis tempore, ultimis diebus inſigniter prægravarentur ejusmodi onere, & fluxus in principio eſſet maximus. Fermenti communis odore menſes ſubſiſtentes propelli, non levi indicio eſt, fermentationis beneficio menſium fluxum acceptum ferendum: Naturam quoque alios humores vitioſos, ſi qui adſunt, fermentatione ſeparatos a proba maſſa ſanguinis, cum hoc ſanguine ſingulis menſibus evacuare, veriſimile eſt. Omnia hæc Kergeri verba etiam in Matthiæ Tilingii *Diſquiſ. de Fermentat. pag. 76.* leguntur. Lamberto Velthuſio *de Generat. pag. m. 135.* fermentatio profecta a ſemine mulieris in ſanguine humidiore & infirmiore virtutem ſuam exerente, cauſa eſt fluxus menſtruorum: Vis enim illa ſeminalis certis intervallis fermentationem excitans, propellit aliquam ſanguinis partem verſus uterum & partes genitales: Eo modo, quo omnia fere humida ad ſummum florem ſui humoris regurgitant. Graviſſimorum etiam ſymptomatum, quæ obſtructionem menſtruorum ſequuntur, cauſa eſt motus fermentationis, ſanguini impreſſus, qui per menſtruorum effluxum mitigari & ad quietem componi ſolet. Videtur etiam cauſa menſtrui efficiens Michaeli Ettmüllero *Oper. Vol. 1. fol. 165.* non ſanguis copia peccans, ſed potius obſervabilis in ſanguine ſub qualibet menſtrua excretione & ſingularis quædam fermentatio aucta, turgeſcentia & ebullitio extraordinaria ſeu præternaturalis, qua rapidius concitatus in ſuis vaſis detineri non poteſt, ſed per vaſa hypogaſtrica circa uterum diſtendendo, & dilatando eorum orificiola ex vaſis vaginæ per anaſtomoſin ſic effunditur &c. Confirmat hoc fermentum etiam Johannes Baptiſta de Wenckh *M. N. C. Dec. 3. An. 4. Append. pag. 208.* ubi

a Kergero

a Velthuſio

expreſſe de hac materia tractat, & *An. 9 & 10. Obſ. 136. pag. 260.* inquiens: Quod ſi fœtus in utero non exiſtat, neque lactet, mulierque in fœcunditatis annis conſtituta nullum aliud impedimentum patiatur, menſtruo paſſim temporis ſpatio, ſanguinis in illius corpore exuberans copia producitur, qui vi aliqua fermentativa, ex partibus genitalibus per refluxum communicata, turgeſcens, ſuapte natura ad vaſa genitalia rapidius & uberius defertur, tanquam ad loca a natura fœtui nutriendo, ſi adſit, aut ad ubera, ſi lactet, deſtinata; illo autem abſente venarum uteri & vaginæ oſcula extendit, indeque pedetentim effunditur. Hanc fermentationem motumque ſanguinis majorem ab aere lunæ peregrino produci ſtatuit Cornelius Stalpartius van der Wiel, uti paulo ante ex ipſius *Cent. 2. pag. 232.* diximus. Et Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 9. pag. 261.* menſtruorum colluviem ſtatis circuitibus per uterum excernendam a fermentatione potius, quam lunæ motu aut ſola ſanguinis copia excitari arbitratur, quam etiam fermentationem non in uteri vaſis tantum, ſed in tota maſſa ſanguinea contingere, ob varia mulieribus circa menſium evacuationem ſolita ſymptomata exiſtimat.

§. 18.

Tale fermentum pro ſanguinis menſtrui ſecretione in utero imprimis quærit Franciſcus Bayle *Diſſert. allegat.* in qua cauſas *fluxus menſtrui mulierum indagando, rejectis omnibus reliquis opinionibus*, talem a ſalibus quibusdam ortam turgeſcentiam defendit. Ipſius autem verba *l. a. pag. 22.* ſic ſonant: Uterus habet plexum fibrarum, quibus conſtat ita comparatum, ut poſtquam ad debitum pervenit incrementum, ſalis cujuspiam ſeu fermenti particulas e ſanguine ſenſim decerpat, aut ex eodem ſanguine materiam idoneam ſecernat, quæ in fibrarum interſtitiis hæret, ibique in ſales quosdam aut corpuſcula fermentativa, tanquam in proplasmatis efformatur. Quibus ſalibus & *particulis* fermentativis ubi turgere incipit uterus, ſtatim *ignem uberius* colligit, fervorem concipit, dilatatur, rareſcit, tubulorum oſcula, in ipſius cavitatem hiantia aperiuntur, ſanguis ipſe fermenti vim excipiens attenuatur, & per reſeratos ductus in uteri cavitatem effluit, indeque foras effunditur. Quia vero primo fermenti impetu non patet ſanguini ſatis liber exitus, cum rareſcat, vaſa in utero & circa uterum diſtendit, æſtusque ad ſpinam ſentitur. Ubi vero

* Bayle

vero ſanguis libere fluit; collectum fermentum abſtergit, qua ratione aqua e terra, quam abluit, nitrum ejicit. Reſtituto deinde in ſtatum priſtinum utero, idem fermentum colligitur eodem modo, quo prius, & niſi quid obſtet, ſpatio æquali, pari quantitate congeſtum, & ad ſimilem exaltationem evectum novam efficit in utero fermentationem: Et ecce cauſam circuituum &c. Et Nicolaus Venette *l. a. pag. 408.* ſcribit, que le flux de regles n'eſt cauſé que par une fermentation, que fait la ſemence de cette fille ſur toute la maſſe de ſon ſang: je me perſvade d'avoir trouvé la plus veritable cauſe de ces epanchemens periodiques &c. Hancque fermentationem dictus Autor pluribus demonſtrare nititur.

§. 19.

Item ſecundum verba Caroli Muſitani *de Morb. Mulier. Quæſt. a Muſitano* 2. *Art. 5. pag. 55.* fit periodica ſanguinis excretio tunc, cum ſordibus expurgari debet; purgari namque eſt res a miſtione alienorum & ad rem non facientium corporum liberari; nec natura indiſtinctum excernit ſanguinem, ſed tantum impurum, alias potius debilitaret, quam juvaret. Hæc nullatenus contingere poteſt, niſi per intrinſecam fermentationem, id eſt fermentum, quo natura omnia perficit; contingit igitur per quandam ſanguinis fermentationem in menſtruo ſecretio, non aliter ac impuræ partes a puris in muſto per fermentationem intrinſecam in dolio quaſi facto motu violento per collectionem ſequeſtrantur, & in ejus fundum ſequeſtrantur. Menſtruus ſanguis abundat particulis ſalinis volatilibus, quæ per inſenſiles evacuationes, ac in hominibus (maribus) non reſolvuntur, ob pororum anguſtias & ob magnam pinguedinis copiam ſub cute latentem: Inſuper mulieres quodam ſcatent ſale acido, & hoc accidit, quia præ hominibus (viris) fel non admodum habent calidum, quapropter hoc fel ciborum reliquiis a ventriculo per pylorum demiſſis ſe immiſcent in duodeno, & tali menſtruo in liquorem reſolvuntur, ut reliquus æthereus ſpiritus, qui antea in centro coercebatur, ad ſuperficiem evocatus in inteſtinorum fibras ſe inſinuat. Si hic liquor amariſſimus non ſit admodum calidus, tunc pars ætherea, quæ in corporis fermenteſcentis ſuperficiem non totaliter ſe intricat, & quia ſalis indolem præ ſe ferre debet, ob materiæ ætherogeneitatem in ſalſum non transmutatur, ſed acidus evadit, & ſpirituoſa

ciborum pars non probe ab acido liberatur & fluidior redditur: Quapropter virgines, quibus fel viget, vel parum vel nihil menstruantur. Quoties particulæ salinæ non resolvuntur, in sanguinis massa detinentur, ipsum reddunt impurum, & per mensem commoda acidi salis portio in eodemmet congeritur sanguine: Supra hoc acidi corpus salinæ particulæ exaltantur, & magnus in sanguine excitatur præceps fermentum, non aliter ac fervor ex alcali & acido, ac quod omnino fæculentum & impurum est, a puro cum sero ad uteri emunctoria deponitur, & guttatim foras deturbatur &c. Et Johannes Bernhardus Gladbachius *Prax. Medic. pag. 279. seq.* inquit: Dum puellæ primo hunc fluxum patiuntur, pubertatis annos attingunt, id est, omnia fermenta redduntur subtiliora, & sanguis magna quantitate abundat. Ob eandem rationem organa ovarii firmiora redduntur, per quæ de sanguine secernitur fermentum aliquod, quod per vasa lymphatica in massam sanguineam revehitur, hanc motu intestino agitat, blandamque particularum fermentationem intendit, unde vasa expanduntur, mammæ intumescunt, adest lassitudo membrorum, hæmorrhagia narium, dolor pulsatorius circa lumbos. Dum itaque sanguis a fermento illo expanditur, exitum sibi parat, vasa perrumpit ac per pudenda effluit. Varias equidem pro uteri fermento ab aliis Autoribus adductas rationes recensет etiam, simul tamen easdem rejicit Melchior Fridericus Geuderus *de Ferment. cap. 12. pag. 242. seqq. 255. seqq.* Emanuel Kœnig sententiam suam ita explicat: Singulis mensibus sanguis per uterum fluit, instar victimæ recens mactatæ, dum natura onus superfluum in fœtus, si adesset, alimoniam collectum sicque gravans, excussura per consuetudinem eo dirigitur, & sanguis turbatur & in fermentationem, a qua floris calendulæ odorem spirat, cietur, multum contribuente influxu lunæ, humorum dominæ, cujus singulæ quadraturæ etiam in maribus sanguinem in rapidiorem æstum ciere videntur &c. vid. Eman. Kœnig *Regn. animal. Sect. 1. Art. 15. pag. 56.* item Raymund. Vieussens *Nov. Vasor. corpor. hum. Systemat. pag. 10. seq.*

a Gladbachio

§. 20.

Negatur. Hæc tamen menstrui a fermento deducta causa efficiens non omnibus arridet, exempli gratia Gulielmus Cockburn *Oecon. Corp. anim. pag. 173. seq.* ita scribit: Sunt, qui menstruorum circuitus

cuitus fermento cuidam uterino adſcribunt, quod hactenus torpidum ac deliteſcens ſingulis menſibus ſemel tantum in actum prorumpat, & ſanguinem extraordinarie commoveat ac menſtruatim deturbet. Verum ante omnia probari debebat, ejusmodi fermenti inexiſtentia, quam hactenus nihilominus ſuppoſitam tantum obſervare licuit. Cum, quod pro illa ſtabilienda ab analogia ventriculi aliorumque viſcerum petitur argumentum, dum ſua propria contigerint ſingulis horum fermenta, nec utero tale denegari queat, mancum ſatis eſt, dum de illorum adhuc exiſtentia non immerito dubitatur. Nec ſtantibus *his* mox utero quoque ſimilis activitas fermentativa *concedi debet*, & *quidem non perpetua*, ſed *temporaria*, quæque per *univerſum corpus* ſe diffundens totam ſanguinis maſſam effluviis activis imbuat, ut hæc circuitibus *lunaribus* magis volatiliſata efferveſcat. In ambiguo enim relinquitur, unde hoc fermentum uterus recipiat, cur circa pubertatis demum annos ſe manifeſtet? aut ubi deliteſcat & congeratur in impuberibus, & ſub menſtruæ evacuationis intervallis? cur menſtruas idem obſervet exaltationes, & ſanguinis motus continuo novas introducat exacerbationes? Fermentationem autem hanc a ſale provenire contendere vult Franciſcus Bayle ex *ſalium lixivioſorum natura*, quaſi eorum fermentandi *vis*, *in ſanguinem præprimis*, eſſet manifeſta: Partim quod feminæ *bilioſæ* facilius & brevioribus periodis evacuentur, ac etiam quod vegetabilia menſes moventia ſale volatili abundent; ac denique quod ſal aſſumptum ad venerem ſtimulet & fœcunditatem inducat. At memorata jam ſanguinis fermentatione negata, ad ſalia pluribus quoque Cockburn reſpondet. Opinionem illorum, qui cauſam menſtruationis in fermentum uterinum rejiciunt, per hæmorrhagias periodicas in aliis partibus occurrentes refutat Gulielmus Muſgravius, in Transactionibus Philoſophicis Anglicanis, ubi ſervi cujusdam meminit, qui ab infantia ad vigeſimum quartum ætatis annum paſſus eſt periodicam hæmorrhagiam in ſiniſtræ manus pollice. Ex hujus enim latere dextro prope unguem tempore plenilunii (varius enim ante vel poſt diem unum plenilunii comparuit hic fluxus) absque ulla cephalalgia, dyſpnœa, vel aliis plethoræ ſignis, poſt aliqualem rigiditatem, in ultimo dicti pollicis articulo, ſanguis ſubito & cum impetu per diverſos rivulos, ad quatuor uncias, & poſtquam decimum

sextum annum juvenis superaverat, ad libram dimidiam consueverat prosilire. Eodem loco dictus Autor etiam bina menstruæ, & quidem per penem prodeuntis, hæmorrhagiæ exempla adduxit, addita hac contra uteri fermentum quæstione: Quomodo tale fermentum locale supponi possit in menstruatione, seu mensium ex utero effluxu, cum dentur evacuationes similes in partibus, ubi tale fermentum stabilire haut liceat? vid. Act. Erudit. Lipſ. *Anno 1702. Februar. pag. 95. & 96.* Talia autem exempla alibi plura referemus. Contra hoc uteri fermentum atque Franciſci Bayle comparationem uteri cum terra agit etiam Johannes Gothofredus Bergerus *Phyſiol. med. cap. 20. pag. 200. ſeq.* ubi denique concludit: Hæc satis quidem ingenioſe dicta sunt; sed conficta ea esse hoc unicum evidenter docet, quod ipse uterus sentinam sanguinis menstrui excipere, magnasque eo tempore mutationes experiri credatur, cum tamen id negotii soli vaginæ vel sinui muliebri datum sit, nullaque prorsus mutatio ipso in utero consequatur. Nulla in corpore dari fermenta, neque exinde menstruationis seu menstrui fluxus causam peti posse, docet Georgius Philippus Nenterus *Phyſiol. Introduct. pag. 27. & cap. 4. membr. 4. Art. 1. Punct. 13. pag. 183.* secundum Joh. Frid. Ortlob *Oeconom. animal. Diſſert. 19. §. 3. pag. 148. ſeq.* Fermentum aliquod mensium secretorium in utero, aut salium quorundam in tubulis uterinis ab humiditate aeris dissolutorum & calore solis exagitatorum, turgescentiam cum Baylo & Charletono fingere vix licet. Quippe 1) uti in sequentibus constabit, ex utero menses non proveniunt, 2) dantur exempla, ubi per alias potius vias e. g. apud Kerkringium per verticem & dextræ manus pollicem proruperunt, & ipsi novi feminam, cui ordinario ex pulmonibus rejiciuntur, cujus mater simili affectu laboravit, & filia eandem viam, hæreditario quasi jure, servat: Et quomodo 3) vel fermentum, vel salia ejusmodi ad uterum venirent? quomodo ad pubertatis annos laterent? quo in vetulis transirent? & cur humanæ potissimum vel eadem susciperent, vel aeris & solis activitati paterent? Quamvis autem allegatus Ortlob Charletono eandem cum Bayle opinionem de uteri fermento tribuat, ipse tamen Gualterus Charletonus *de Cauſ. Catamen. c. 6. per totum p. 65. ſeq.* novum fermenti uterini commentum repudiat; & capite sequenti septimo *pag. 103. ſeq.* sententiam suam de causa menstrui fluxus efficiente sive concitante explicat.

Quia

Quia vero Charletonus omnibus fere Franciſci Bayle rationibus atque ſimilitudine terræ utitur, atque a Bayle ſolummodo in eo differt, quod dicti Bayle fermentum uteri ipſe tantummodo fervorem uteri appellet, facillime Ortlobius excuſari poterit. Imo Johannes Bohnius *Circul. Anat. Phyſiol. Progymn. 16. pag. 247.* ambos hos Autores, Bayle & Charletonum, adeo amice & verbotenus fere conſpirare, ſcribit: Ut quisnam horum alterius armiger nuncupari debeat, ipſe incertus ſit, ſed lectorem potius judicare ſinat. Varias rationes tam pro, quam contra uteri & menſtruationis fermentum inter ſe communicant, Johannes Jacobus Huderus & Joh. Conradus Peierus *Exercit. 5. ſeqq. pag. 22. ſeqq. ad 37.* Hoc uteri fermentum pluribus quoque refutat Melchior Frider. Geuderus *de Ferment. cap. 12. pag. 242. ſeqq. 253.*

§. 21.

an fervor vel motus inteſtinus.

Aliis vero Autoribus loco fermenti uterini cum dicto Charletono fervor, vel efferveſcentia, turgeſcentia, rarefactio, orgaſmus, ebullitio vel motus inteſtinus placet. Unde quamvis Chriſtianus Johannes Langius *Phyſiol. Theſ. 37. Oper. Tom. 1. fol. 223.* inſignem convenientiam inter macro- & micro-coſmum admittat, nihilominus illud terræ fermentum æque ac uterinum, a Bayle ſuppoſitum, ipſi manet in dubio, niſi in voce fermenti ludere, omnemque turgeſcentiam ac motum inteſtinum, a cauſa externa, v. g. *in hoc caſu a tepore dependentem*, hoc titulo inſignire velis, in quo tamen ſignificatu aut ſumma vis inferatur termino, aut Langii theſi non contradicat, utpote qui ultro admittit, a cauſa quadam, movente ſanguinem, orgaſmum illum menſtruum dependere, quamvis eam fermenti titulo propterea inſigniendam eſſe non ſatis cauſæ putet. Inquit etiam Johannes Fridericus Ortlob *l. a. pag. 148. ſeq.* quia ſapientiſſimo hujus univerſi conditori placuit, ut feminæ gerendo utero & alendo fœtui deſtinatæ ſint, opus erat, ut rarefacta uteri ſubſtantia majore ſanguinis quantitate, quam reliquo tempore adimpleretur, quo exinde alimonia embryoni debita provenire poſſit. Quapropter Deus immortalis commodum judicavit, ut feminæ, gerendo utero aptæ, ſanguinis ſui quandam turgeſcentiam aut orgaſmum experirentur, qui, ſi ingravidari eas contigerit, circumſtantiis in imprægnatione requiſitis accommodaretur. Quod ſi vero non contigerit, ut gravidæ fiant, facile moles ſanguinis aucta individui illius

illius corporis proportionem ſuperaret & moleſtiam crearet, adeoque neceſſe erat, ut ſtatis temporibus ſuperfluus ſanguis iterum evacuetur, & ad proportionem corpori debitam reducatur. Quæ ita ſeſe habere facile patebit, ſi attendamus 1) menſtrua facta ingravidatione ordinarie retineri, in non gravidis autem, & quidem 2) a tempore, quo imprægnari poſſunt, ad illud, quo effœtæ evadunt, fluere, & præſertim 3) hanc turgeſcentiam univerſalem eſſe, & ſic interdum ex aliis corporis partibus ſanguinem hunc erumpere. Licet enim certa plerisque periodus aliam quoque cauſam ſubeſſe ſuadeat, id tamen neceſſarium non eſt. Etenim prout aliæ ad menſem ejusmodi turgeſcentiam ſine incommodo perferre poſſunt, ita aliæ plethoricæ citiorem purgationem deſiderant, aliæ longiorem moram ſine noxa ſuſtinent. Et quoniam humanis feminis nullum ſtatum tempus imprægnationis eſt, ſed omni tempore concipere poſſunt, opus erat, ut turgeſcentia neceſſaria perpetua ſit, quæ ſi in finem debitum eam impendi non contingat, evacuationem ejusmodi efflagitat. Aſt cauſas quoque alias externas, e. g. aeris diverſam conſtitutionem & diætæ varium diſcrimen, ſanguinem ad orgaſmum illum facilius aut difficilius ſuscipiendum varie moderari, negari vix poteſt &c. Secundum alios ſanguini muliebri ſeminaliter impreſſa eſt hæc proprietas, ut juſto ſtatoque tempore efferveſcat ac ebulliat, & in illa ebullitione non ſecus, ac mel igni appoſitum ſpumam evomit, ſuam impuritatem a ſe ſequeſtrat ac ejiciat. Sic & mare habet ſuum tempus, in quo deſpumat, uti loquitur Johannes Ludovicus Hannemannus, *M. N. C. Dec. 2. An. 5. Obſ. 120. Schol. pag. 239.* ubi pergit: Utut nunc hanc virtutem ſequeſtratricem habeat innatam, ea autem aſtrorum influxui reſpondet, non quod ab eo cauſaliter menſtrua purgatio dependeat, ſed analogia microcoſmi tanta eſt cum macrocoſmo, ut alteratio unius & alterum alteret propter conſenſum. Hic enim ſeminaliter ſic diſpoſitus eſt, ut omnes alterationes macrocoſmi in ſe percipiat.

§. 22.

ob tinctu-ram renum. Statuit etiam Roſinus Lentilius, in renum ſubſtantia exteriore certam tincturam genitalem ſeu auram elaborari, alterando ſanguini in puberibus, pro excitanda laſcivia dicatam, a qua etiam ſanguis ad menſtruas excretiones in femellis incitetur. *v. Ephemer. Acad. N. C. Cent. 1 & 2. Obſ. 168. Schol. pag. 355.* ubi ita pergit: profi-

proficiſcatur hic menſtruus fluxus a plethora, rideantur omnes illi, qui ſupponunt fermentum aliquod, ſanguinem iſtis periodis rarefaciens atque ad excretionem ſtimulans, quod hodie facit in Emmenologia ſua Freundius, quidquid mechanizet hic Autor, & ejus ſimiles, certe ſine peculiari quodam ὀργάσμῳ menſtruationis negotium concipere vix licebit. Si non adeſt rarefactio, ſi non ebullitio quædam, cur ſemel apertis uteri arteriolis (nam ex his ſolis ſanguis menſtruus profluit) non tota maſſa ſanguinea exit, pulſu præſertim conniventiam arteriolarum ſemel apertarum impediente, jugum vero fluxum promovente? Imo, quid de menſibus immodicis dicendum? Num & hi ſemper a plethora? Atqui hoc ſi eſſet, cur, quæ immodico fluxu laborant, denique multæ palleſcunt, cachecticæ, hydropicæ fiunt? Colligitur itaque circa iſta vaſa ſucceſſive ſanguis ſuperfluus, cujus ſi quantitas competens collecta fuit, ab aura hac genitali ſuſcitatur orgaſmus, oſcula arteriolarum aperiuntur, ſanguis guttatim exſtillat; ſufficienti poſt quantitate depleta, ceſſante tunc orgaſmo, denuo clauduntur vaſa & fluxus deſiſtit. Juxta Martin. Liſter. *Diſſert. de Humorib. cap. 43. pag. 403.* in excretione reliquorum omnium humorum, in partibus excernentibus eſt quædam voluptas; contra mulieribus menſtruatis & horroris alicujus & laſſitudinis ſenſus eſt; item capitis gravitas cum cervicis dolore, mammarumque inſigni duritie atque intumeſcentia; id quod & plenitudinem chyli veteraſcentis, ejusque efferveſcentiam erumpendique impetum ſignificat. Et ſecundum Henr. Snellen *Delineat. Theor. mechan. Part. 2. pag. 104.* ſigna menſtruationem antecedentia, v. g. dolor & æſtus partium vicinarum, ſufficienter arguunt motus quosdam præcedere inteſtinos, qui ſub fermentationis vocabulo apud ſcriptores obveniunt, qui ipſum ſanguinem inſolito more diſponunt. Item ſecundum Juſti Veſti *l. a. pag. 102.* feminalis aura certis periodis ex ordine naturæ in ſexu ſequiore penetrat in ſanguinem, eundem conſpurcat & alterat, alterationes & ebullitiones quaſi febriles periodicas, fluxum illum utplurimum antecedentes, producit. Ad menſium fluxum periodicum Gulielmus Cockburn *l. a.* requirit, 1) ſanguinis molem, 2) ejusdem impetum, & 3) vaſorum ſoliditatem, vid. *pag. 178. ſeq. & 187.*

§. 23.

alii certas particulas requirunt

Alii Autores immediatam menſtrui cauſam equidem fermentationem eſſe concedunt, mediatam vero certas particulas ſeminales ſalino-ſulphureas, per venas maſſæ ſanguineæ ſucceſſive commixtas, quæ blando & lento ſuo motu ſanguinem & fermentationem facile commutare poſſent. vid. Joh. Bapt. Wenckius *M.N.C. Dec. 3. An. 4. App. pag. 222. ſeq.* Alii hanc evacuationem a qualitate manifeſta, particulis ſcilicet acribus & corroſivis deducunt, unde ſcribit Nicolaus Venette *l. a. pag. 406.* Les autres croyent, que ce, qui cauſe les fleurs aux femmes eſt une qualité ſouvent manifeſte & quelque fois cachée, ſi bien que les regles des femmes eſtant aprés penetrantes, corroſives & malignes, il n'y a pas lieu de douter, qu'elle ne puiſſent ouvrir de temps en temps les vaiſſeaux de la matrice pour ſe faire paſſage & pour delivrer ainſi les femmes des maux, où elles tomberoient par la demeure de ce ſang tout-à-fait ennemy de la nature, d'où vient qu'il y en a eu, qui s'en ſont dechargées par differentes parties de leur corps, la nature ne pouvant ſouffrir cet excrement parmy ſes liqueurs les plus pures. Quidam ſtatuunt, fluidorum humorum, & menſium liquiditatem & progreſſum deberi cuidam portioni ſpirituoſæ particularum materiæ magis immerſarum, quæ corporum ſolidorum momenta ad majores actus ſollicitat & promovet, ita ut hæc niſui illi minus reſiſtant. Eadem ſæpius valet ratio in corruptis & depravatis menſtruis, ubi ex talium particularum copia, quæ vehementius in obſtantia vaſa illidunt, menſtruatio prodigioſa abſolvitur, durans aliquando ad octo, decem, duodecim, quatuordecim dies. vid. Henr. Snellen *Delineat. Theor. mechan. Part. 2. pag. 103.* Quamvis autem talem acrimoniam & particulas acres in ſcorbuticis & aliis bilioſis feminis concedamus, vix tamen in ſanis menſtruationis periodi ab iisdem evinci poterunt. Aliis v. g. Danieli Tauvry *Anatom. cap. 12. pag. 209.* conjectura naſcitur, ſemen femineum in ductibus per menſem aut circiter morans acre evadere, atque ſine voluptatis excitatione, ſed cum fervore inſigni effluere: Deinceps vero vaſorum orificia aperire, & excitare effluxum ſanguinis, qui in ſe ab illo, qui in reliquo corpore circulatur, non differt, ſed cum hoc fermento permixtus acris demum evadit.

portionem ſpirituoſam & acrem

§. 24. Non-

§. 24.

Nonnulli alias adhuc periodicæ menſtruationis quærunt cauſas, e. g. decentiam. Cum enim, inquiunt, neceſſe ſit, mulieres vacuari ſanguine ſuperfluo, decuit illam vacuationem per quædam intervalla fieri; ne, ſi continua foret, eæ eſſent ſuis viris minus acceptæ. vid. Franc. Bayle *l. a. pag. 5.* Alii etiam aliquid abſtruſi & incogniti in origine & periodo hujus profluvii latere, atque potius naturæ legem & ordinem, quam aliam cognoſcibilem cauſam, hanc profluvii neceſſitatem & moleſtiam, ſive, ut loqui amat amicus, ſuperbiæ frenum, mulieribus inpoſuiſſe opinantur. Cui ſententiæ addictus videtur Johannes Fernelius *Phyſiolog. Lib. 7. cap. 7. pag. m. 180.* menſium, inquiens, circuitus cauſa aut in naturæ conſuetudinem, quæ omnia certis legibus ſtatisque periodis exequitur, aut in ſempiternos & immutabiles lunæ curſus referenda eſt. *vid. etiam M. N. C. Dec. 3. An. 4. Append. pag. 205.* Male tamen hoc decretum divinum allegari, inquit Gulielmus Cockburn *l. a. pag. 177. ſeq.* addens, manifeſtum equidem eſſe, mulierum corpus a ſupremo opifice ita fuiſſe compactum, ut menſtruo evacuaretur circuitu. At inquirendum ſit, quæ vis? quæ inſtrumenta ſint adhibita? quibus, per certa intervalla, ex naturæ præſcripto ſanguinis illa concitatur evacuatio & perficitur?

alii decentiam

vel naturam.

§. 25.

Cum autem nulla harum opinionum allegatarum, licet alia aliis probabilior videatur, adeo firmo ſtet talo, quin varia contra easdem dubia moveri poſſint ac ſoleant; ſane cuinam ſubſcribam, anceps hæreo, atque planiorem diſpoſitionem cumulativam reddere, aut ejus formalitatem ſpecioſius determinare, nemini forſan mortalium conceſſum, ſed illi tantum, cui ſoli generationis myſteria innoteſcunt, ſcilicet naturæ ſummæ, cum Bohnio *l. a. pag. 247.* credo, ſimulque monitum Eliæ Camerarii *Medicin. Conciliatric. cap. 8. pag. 117. ſeq.* adnecto, ſcilicet cum femina ſapientiſſimi Creatoris voluntate non pro individuo ſolum proprioque corpore, ſed & pro ſpeciei conſervatione & fœtus, nemine forſan diſſentiente, ſanguificet, ſatis id tironi fuerit, ſi noverit, certo ſtatutoque (in naturali ſtatu) tempore turgeſcentiam in ſanguine motumque inteſtinum majorem excitari, ſub quo vaſcula circa uterum aperiantur, ejusque partem aliquam effundant; quamvis liberum ipſi ſit, de cauſis fluxus remotioribus certare, quando

Cauſa videtur incerta.

nunc lunam, nunc fermentum, nunc ipsam abundantiam majori quidem verisimilitudine allegari deprehendet; tutius tamen erit, conservare animum a præjudiciis liberum, usque dum ad praxin accesserit, ubi frequentissima circa fluxum istum symptomata plura ipsum docebunt, in conciliandis his hypothesibus, quam prolixæ controversiæ, quæ cæterum circa istas opiniones attendendæ sint, in circulo Bohniano erudite tradita deprehendet.

§. 27.

Causa finalis. Finalem vero menstrui sanguinis causam olim veteres quidam in formandi fœtus, quem ex hoc & seminis virilis commiscela consistere statuebant, materia quærebant, alii ipsorum cum Galeno hunc sanguinem pro fœtus, tam in utero materno adhuc detenti, quam jamjam excluſi, nutrimento agnoscebant, uti ex hactenus allegatis videre licuit; quam tamen sententiam alii rejiciunt, uti alibi de conceptione, fœtusque nutritione & lactatione pluribus videbimus.

§. 28.

Sanguis menstruus an idem cum reliquo? Hunc sanguinem menstruum veteres pro sanguine imperfecte cocto & cruditatis nota insignito habebant, eumque perpetuum uteri inquilinum esse ac certo tempore effluere credebant; plerique vero recentiorum dictum sanguinem eundem, qui & qualis in universa corporis massa reperitur, judicant. Stante enim circulatione seu motu sanguinis progressivo sufficienter liquet, sanguinem certis periodis ex utero profluentem nunquam ibidem stagnasse, sed a reliqua massa, pariter uti ad reliquas corporis partes, per arterias advehi, perque venas revehi; hinc etiam in largo nimis mensium fluxu seu hæmorrhagia uterina tanta interdum oritur sanguinis profusio, ut coerceri nullo modo queat, sed sanguinis ex toto corpore effluxus, quandoque lethalis, subsequatur; ut adeo nullum restet dubium, tam sanguinis ad uterum congestionem seu propulsionem, quam ejusdem ex utero excretionem, seu exonerationem menstruam, a sanguine universali dependere, easdemque cum reliqua cruoris per totum corpus circulante massa qualitates habere, nec ipsi aliquid venenosi simpliciter attribui debere. Quodsi vero tota humorum massa vitio quodam laboret, vel etiam viæ, per quas sanguis menstruus evacuari solet, inflammatæ vel exulceratæ fuerint, tunc sane, facillime eundem sanguinem noxias quoque qualitates contrahere posse,

posse, non negamus, cum varia exinde symptomata, imprimis a mensium obstructione exorta, legantur, de quibus infra pluribus.

§. 29.

Quam sententiam etiam alii confirmant Autores, v.g. Julius Cæsar Claudinus *Respons. med. 23. pag. 158. seq.* inquit, sanguis menstruus ejusdem rationis cum sanguine, qui in venis continetur, existit, ut ex colore rubeo illius, itemque ex loco, in quo ipse conservatur, & per quem secernitur (sunt enim venæ uteri) manifeste colligitur; accedit, quod, si cohibeatur menstrui evacuatio, sanguis per alias partes erumpit; quod ubi accidit, necessarium est, sanguinem per partes illas prodeuntem esse ejusdem naturæ cum eo, qui in venis totius continetur, ergo & menstruum, quod mediate ad tertiam coctionem refertur; ex quibus facile est intelligere, sanguinem hunc menstruum utilem esse, est enim ejusdem rationis cum sanguine, qui est in venis. Et *Respons. 24. pag. 165.* inquit idem: Non est dicendum, ut aliqui dicunt, menstruum quidem ex propria natura esse benignum, sed propter moram, quam in utero contrahit, malum evadere: Neque, ut quidam alii ajunt, quod menstruum habeat partes bonas, utiles, malas ac inutiles. Nam quantum ad primum attinet, menstruum secundum naturam, quamdiu est in utero, tamdiu conservatur, quia est in proprio loco, nempe in venis uteri; quod si menstruum præter naturam ibidem moretur, jam pravum sine dubio evadit &c. Dicit etiam Gulielmus Cockburn *Oeconom. animal. pag. 186. seq.* cum evacuatio hæc sit tantum sanguis per venas & arterias fluens, ob auctam molem ac impetum naturalem per arterias prorumpens; sequitur, eum a cætero sanguine non differre, licet non æque purus excerni poterit sanguis propter impuritates, quovis modo in itinere collectas, ulcera & similia, quæ in vagina, aut eandem inter & pudenda reperiri possunt; quare menstruus sanguis in statu naturali effectus ab alio sanguine multum diversos fortiri non potest. Juxta Franc. Sylvii *Prax. med. Lib. 3. cap. 3. fol. m. 364.* menstrua feminarum purgatio pro materia sua agnoscit sanguinem non inutilem aut noxium, sed utilem ac superfluum in feminis ad generationem promovendam, fœtumque tum in utero situm, tum nuper natum alendum. Et Nicolaus Venette *de la Generat. de l'Homme Part. 3. cap. 4. Art. 5. pag. 408.* inquit: Le

Autorum assensus.

ſang des regles n'eſt pas ſi mauvais, que l'on ſe le perſuade, pourvû que les femmes ſoient ſaines, puisqu'il ſert de nourriture à l'enfant, qu'elles portent dans leurs entrailles, & qu'elles le nourriſſent enſuite du lait de leurs mammelles. Secundum verba Johannis Baptiſtæ Wenckii, menſtruus ſanguis, qui ſingulis menſibus (uti mulieribus, quæ nec conceptione nec nimia ætate gravantur, contingere ſolet) profluit, eſt quædam portio ſanguinis, qui in totius corporis arteriis continetur. Verum quidem eſt, quod hoc fluxu mediante ſæpius quoque a noxiis & ſuperfluis humoribus, quibus earum turget corpus, evacuentur, qua ratione etiam ſanguis iſte impurus atque corruptus apparet. *v. M. N. C. Dec. 3. An. 4. App. pag. 203. vid. etiam pag. 205. ſeq.* Item ſentit Daniel Sennertus *Practic. Lib. 4. Part. 2. Sect. 2. cap. 1. Qv. 2. pag. 135.* ſanguinem menſtruum ſua natura ſaltem copia peccare, non qualitate ſeu manifeſta ſeu occulta. Si tamen vitioſi humores in corpore cumulentur, eos cum ſanguine menſtruo evacuari, eique permiſceri, aut, ſi ſanguis menſtruus in corpore præter naturam retineatur & corrumpatur, præcipue ſi vitioſos humores admixtos habeat, gravia ſymptomata inducere &c.

CAPUT II.

De Menſtruationis Loco.

§. 1.

Menſtruationis locus. LOcum, per quem menſtrua profluere ſolent, uterum eſſe, ſupra diximus, quia vero, an per uteri cavitatem, an per ejusdem vaginam talis effluxus fiat, Autores adhuc diſcrepant, uteri ante omnia ſtructura ejusque vaſa pluribus eſſent indaganda, de quibus tamen, præter ea, quæ in Muliebrib. noſtris Sect. 3. de utero adduximus, alii Autores Anatomico-Phyſiologici videri poſſunt, v. g. Gualter. Charleton *de Cauſ. Catamenior. cap. 3. pag. m. 14. ſeqq.* Isbrand. de Diemerbr. *Anatom. Lib. 1. cap. 25. fol. m. 137. ſeqq.* Petr. Dionis *Anat. Demonſtr. 4. pag. 227.* Philipp. Verheyen. *Anat. Tract. 2. cap. 23. pag. 182. ſeq.* Dan. Tauvry *Anatom. p. 201. ſeq.* Mich. Bernh. Valent. *de Nov. Matric. Anat. Diſſert. Epiſt. 9. p. 204. ſeq.* Joh. Gothofr. Berger. *Phyſiolog. cap. 20. p. 255. ſeq.* Thom. Bartholin. *Anat. Lib. 1. cap. 28. p. 260. ſeq.* Raym. Vieuſſens *Nov. Vaſor. Corp. human. Syſtem. p. 2. ſeq.* ubi de tubulis veſiculo-lymphaticis plura

plura reperies, Regner. de Graaf *de Part. Genital. Mulier. per totum.* Casp. Bartholin. *Instit. Anat. Lib. 1. cap. 28. pag. 126. 132. seq.* & Stephan. Blancard. *Anatom. Part. 2. cap. 27. pag. m. 126. seq.* qui tamen Autor omnia fideliter atque verbotenus ex allegato Regnero de Graaf absque Autoris mentione, una cum tractatu de Virorum Organ. scilicet *a pag. 94. usque ad pag. 187.* exscripsit. *Plagium.*

§. 2.

Discrepant autem, uti jam dixi, inter se Autores generali uteri vocabulo non contenti, dum alii menstruum sanguinem ex ipso utero proprie sic dicto, seu ejusdem cavitate & fundo tantum; alii ex ipsius vagina solummodo, alii ex utroque loco simul, aut quandoque, certo scilicet tempore, ex *illo*, quandoque ex *hoc* profluere defendant. *an per funmodum uteri*

§. 3.

Et primo quidem per uteri fundum seu cavitatem mensium evacuatio ob sequentes imprimis rationes derivanda videtur, 1) quod fœtus nutrimentum, toto gestationis tempore a sanguine materno deciduum, ad ipsum uterum per hujus vasa deponatur, & enixo fœtu lochiorum nomine ex eodem prorumpat, 2) quod plura ac majora vasa ad uteri fundum, quam ad hujus canalem seu vaginam abeant, 3) quod feminæ, quibus menstrua imminent, de lumborum conquerantur dolore, qui a vasorum hypogastriorum distensione contingat. 4) Uteri membrana interna, ex observatione Highmori, a prominentibus venarum orificiis aspera compareat: ac 5) menstruorum eruptio gravidis ac fœtubus non raro funesta existat, & abortum concitet. vid. Johannes Bohnius *Circul. anat. physiol. Progym. 16. pag. 243. seq.* Christian. Joh. Lang. *Oper. Part. 1. fol. 221.* Jean Baptiste Verduc *de l'Usage des parties Tom. 1. cap. 16. pag. 246.* Sanguinem menstruum ex ipsa uteri cavitate profluere existimat etiam Michael Bernhardus Valentini *Nosocom. Acad. Cas. 11. in Prax. Medicin. infall. pag. 622. seq.* & quidem motus præter alia experimento Bidlovii, qui ceram arteriis hypogastricis ope siphonis injectam magna copia in uteri cavitatem penetrare observavit. Nec alium in finem tot in utero carunculæ nascuntur, per quas & fœtui in primis mensibus nutrimentum ministratur. Et Stephanus Blancardus *Instit. Medicin. Part. 1. cap. 9. Oper. Tom. 1. pag. 217.* inquit: Ex uteri fundo funduntur menstrua, nempe eo loci, ubi placenta connecti consuevit; *ex uteri cavitate*

is sin-

is singulis quasi mensibus ad generandum semel præparatur. Si porro in gravidis totus matricis fundus a placenta uterina non occupetur, nonnihil quoque sanguinis, menstruo tempore elapso, experiuntur, quod alias non fit. Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 9. pag. 256. seqq.* hanc sententiam variis firmare rationibus conatur; menstruam, inquiens, eluviem existimamus naturaliter per uterum expurgari, & non per vaginam, pudendum, aut alias corporis partes, per quas perperam ejus fluxum derivari quidam autumant. Rationes vero, quibus suam sententiam tuetur, desumit a fœtus nutrimento, quod toto gestationis tempore a materno sanguine derivat, item a lochiis, quæ per nullas alias vias, quam per uterum transire scribit, idque puerperarum dissectionibus confirmat; adducta simul autoritate Roderici a Castro *de Mulier. Natur. Lib. 2. c. 11.* qui tamen Autor a Graafio allegatus *pag. m. 86.* huic sententiæ potius contradicit, atque interdum per uteri sinum, interdum ad ipsius cervicem menses expurgari sentit.

§. 4.

juxta alios Autores Formalitatem hujus per uteri cavitatem effluxus menstrui, post demonstrata varia hactenus incognita vasa, uterique substantiam spongiosam, ita explicat Raymundus Vieussens *Nov. Vasor. Corpor. hum. System. pag. m. 10. seq.* Verosimillimum est, fermentum illud, quo in filiabus adultis & mulieribus non gravidis fluxus menstruus excitatur, nihil aliud esse, quam fæces relictas a lympha, quam intra spongiosam uteri substantiam percolari atque defæcari jamjam judicavi. Fæces autem illas utpote participes subdulcis saporis lymphæ, a qua separatæ fuerunt, & diversi generis salibus imprægnatas, acoris, fervoris atque fermentationis capaces esse constat. Ac re quidem ipsa, ut a decimo quarto ætatis feminarum anno ad quinquagesimum circiter annum singulis mensibus congeri solent; ita sensim acescunt, incalescunt, tandemque in motum fermentativum concitantur. Hujusce motus vi tota spongiosa substantia, intra quam, velut intra sibi propriam matricem, eæ fæces congeruntur, rarescit & in tumorem assurgit; adeoque sanguifera, quibus irrigatur, vasa ita comprimit, ut sanguinis motum aliquatenus præpediat; & diutius, quam par esset, in iis morari cogat. Hinc fit, ut parietes arteriarum uterinarum supra modum ad invicem diducantur: Interea-

que

que temporis ſpiracula lymphaticorum tubulorum ex iis proficiſcentium ita patefiunt, ut non modo lymphæ, quam ex arterioſo ſanguine ſecernere ſolent, ſed & ipſi ſanguini dilutiori aditum præbeant, & interjectu pororum extremorum finium ſubrotundorum ſpongioſæ ſubſtantiæ absque ulla vaſorum ruptione in cavitatem uteri exonerent; e quo proprio pondere & motu, juvante ſcilicet elaſtica parietum uterinorum vi, eliminatur. Scribit etiam Louis Bellefontaine *dans la Medecin dogmat. Tom. I. Exerc. 7. pag. 40.* Les menſtrues ſe vuident par la matrice, comme par un organe deſtiné à cela. La raiſon eſt, que les arteres de la matrice ouvrent leur orifices au dedans de ſa cavité, & que toutes ces embouchures manquent de veines pour reconduire le ſang vers le coeur. Menſtrua ex ſolis excretoriis ductibus, ad glandulas uterinas pertinentibus, prodire, juxta Martin. Liſter. *de Humor. cap. 43. pag. 401.* ex ipſa partium anatomia ſatis conſtat; teſtatur etiam Ruyſchius, ſe reperiſſe in utero menſtruato cruorem coagulatum in ejus cavitate, aliumque in tuba Fallopiana & ad ipſum ovarium. Extat autem hæc a Martino Liſtero allegata obſervatio in Fred. Ruyſch. *Obſerv. anat. chir. Obſ. 85. pag. 110.* ubi cruorem non modo in uteri cavitate coagulatum, & utero adhærentem obſervatum, ſed tubam quoque ejusdem lateris eodem conſperſam, atque in ovarii ſuperficie talem cruorem coagulatum copioſe firmiterque adhærentem a Roonhuſio demonſtratum fuiſſe refert, dictumque ſanguinem ex uteri cavitate per dictos ductus ore uteri clauſo ad pelvim perveniſſe ſtatuit. Sic Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 84. Schol. pag. 321.* ſe in puerperæ aliquot poſt partum ſeptimanis ſectione cruoris portionem idoneam in uteri cavo reperiſſe refert. Inquit etiam Andreas Veſalius *de human. Corp. Fabric. Lib. 5. cap. 15. pag. 415.* mulieres uteri procidentia laborantes ex ore fundi uteri ſanguinem menſtruum excernere indubitatum eſt, idque non ſemel ipſe vidi, ac quia ad genituram fundi uteri ſubſtantiam extenuari, ipſiusque venas recludi neceſſum eſt: Non ambigo, ex fundi venis, non vero cervicis, menſtruas purgationes ſanis alioquin provenire, etiamſi id ſectione nondum deprehenderim. Idem in femina quadam annotavit Johannes Conradus Peyerus, qui *M. N. C. Dec. 2. An. 1. Obſ. 84. pag. 197. ſeq.* per patulum uteri, in vaginam dependulam prolapſi, orificium menſtrua ſtatis temporum intervallis

Observatio. promanare vidisse scribit. Id quod mihi ipsi quoque in femina rustica, Christiani Kirchhübelii uxore, ante aliquot annos observare licuit. Ipsa enim ex elevatione, ut dicebat, magni ponderis tanta laborabat uteri procidentia, ut statim post extractum ex vagina uteri magnum ex cera confectum pessarium tota vagina inversa, non rugosa seu plicata, sed tota lævis, instarque scroti vervecini (unde etiam femina dicta vulgo der Stär-Sack audiebat) una cum ipso utero prolaberetur, atque ex ejusdem uteri orificio, quod in infima prolapsæ vaginæ parte accurate se visui offerebat, simul aliquot sanguinis guttulæ in terram deciderent, quas a fluxu menstruo provenire femina referebat.

§. 5.

Item Refert etiam Samuel Grassius, Filius, se anno 1712. in nosocomio Vratislaviensi circa scaturiginem mensium in femina quadraginta circiter annorum uterum dissectum, quoad omnem cavitatem sanguine tinctum vidisse, vagina ne quidem vestigia ullius cruentationis ostentante. Hujus autem feminæ ministrans ancilla eandem ante triduum mensibus modice purgatam fuisse asseverabat. vid. Ephemerid. Academ. Natur. Curios. *Cent. 5. & 6. Obs. 24. pag. 36. & 38.* Et Franciscus Mauriceau hanc recenset observationem de femina suspensa, *dans les Observations sur la Grossesse Obs. 49. pag. 31.* Le 12. Janvier 1672. je remarquay tres-manifestement en la dissection d'une femme, qui avoit esté penduë pour ses crimes, dans le temps qu'elle avoit actuellement ses menstruës, ce que j'avois deja bien reconnu par la dissection du corps de plusieurs autres femmes, semblables a celle-cy; qui est, que les menstruës de la femme, quand elle n'est pas grosse, s'ecoulent toujours de la cavité interieure du propre corps de la matrice, & non pas seulement des vaisseaux, qui aboutissent à son orifice interne, aussi bien, quand elle n'est pas grosse; que quand elle l'est, comme quelques Auteurs le voudroient persuader. C'est ce qu'on reconnoissoit manifestement en cette femme; car toute la cavité du fond de la matrice estoit enduite des petits grumeaux de sang caillé, & ses vaisseaux paroissoient beaucoup plus gros, que ceux de son col, & mesme tout pleins de ce sang caillé, vers les orifices, qui se degorgoient dans le fond de la matrice. Idem Autor etiam in femina uteri cavitatem sanguine tinctam *l. a. Obs. 322. pag. 188.* annotavit. Et *Obs. 96. pag. 57.*

pag. 57. ſimillimum exemplum, uti modo de Kirchhübelii uxore recenſui, communicat his verbis: La matrice (de cette pauvre fille) qui eſtoit pour lors presque auſſi groſſe, que la teſte d'un enfant, luy ſortoit entierement hors de la partie honteuſe, luy pendant par dela le milien des cuiſſes; & au bas de cette monſtrueuſe tumeur, qui paroiſſoit, comme une groſſe veſſie charnuë, la quelle n'eſtoit autre choſe, que la ſubſtance du col de la matrice extrememement dilatée & bourſouflée, on ſentoit le propre corps de la matrice; à l'extremité du quel on voyoit ſon orifice interne tres-petit, par le quel les menſtruës ſortoient reglement dans le temps ordinaire &c. Item Jean Palfyn *des Parties de la Femme pag. 112.* hunc evacuationis locum contra alios Autores, abortum inde timentes, pluribus defendit, ita loquens: Enfin à moins que de poſer cette verité, il n'y a plus lieu de craindre les avortemens, parceque la nature feroit ſouvent, ce que, ſon miniſtre eſt parfois obligé de faire par le ſecours de la ſaignée, de peur de la ſuffocation du foetus, par la grande quantité de ſang; Et la pluſpart des Medecins ne ſont ils pas témoins, que pour faire porter des enfans à des femmes plethores jusques au terme ordinaire, il faut leur faire ouvrir la veine pour en diminuer la maſſe. On oppoſe fort judicieuſement, que ſi les menſtruës ſe purgent par la matrice dans la groſſeſſe, celles qui en ſont incommodées, devroient toujours avorter. L'on peut répondre à cette objection en diſant, que ſi les menſtruës ne coulent pas avec excez, & ne diſtillent que par cette partie de la matrice, qui ne touche point du tout au placenta, pour lors la femme ne doit pas abſolument avorter. Mais ſi la décharge en eſt grande & l'epanchement du ſang conſiderable, & qu'il coule des orifices des vaiſſeaux, qui viennent s'ouvrir ſous le placenta, il eſt certain, qu'il le detachera, que l'enfant n'y pourra plus vivre & partant que la femme devra avorter.

§. 6.

Alii econtra, & quidem plerique recentiorum, menſes non per uteri fundum, ſed per ejusdem vaginam, (quam nonnulli etiam cervicem vocant) ſive ex vaſis vaginalibus tantum, præſertim in virginibus, ac non gravidis, ſemper deponi defendunt, vid. Reald. Columbi *Anatom. Lib. 2. cap. 15. pag. m. 448. ſeq. & Lib. 6.* *alii ex vagina.*

pag. 318. ubi per venas cervicis menſtrua expurgari, ſæpenumero vidiſſe ſe oculis propriis, ſcribit, & quidem in aliquibus mulieribus, quæ violenta morte periere, dum adhuc illis menſes fluerent: Neque in his modo, ſed etiam in aliis quibusdam, quibus inſtabant & mox fluxuri erant; idque præſertim, pergit idem, Piſis accidit, dum mulierem ejusmodi, cui Sanctæ nomen erat, ſuffocatam in publico theatro ſecarem; in hac hujusmodi venæ, quæ in aliis non admodum magnæ eſſe ſolent, inſignes erant & nigerrimæ, & propterea ſatis perſpicuæ. Quamobrem licuit ſpectatoribus per Sanctæ, revera autem potius dæmoniacæ, cadaver in animum inducere, per quas venas fluunt menſtrua, eas non tranſire per uterum. Et Severinus Pinæus *de Not. Virginit. Lib. 2. cap. 1. p. m. 87.* in duarum mulierum, quibus ſuſpenſionis tempore menſes fluebant, cadaveribus colli uteri venas ampliſſimas, ſanguinem menſtruum copioſum in collum uteri verum & ſinum pudoris, & nullas in corporis uteri cavum effundentes vidiſſe refert. Juxta Johan. de Muralt. *Clav. Medicin. ſive Experim. anat. Exercit. 9. pag. 420.* vaginæ uterinæ interior ſuperficies vaſa accepit numeroſa ab hypogaſtricis ramis, per quæ ſanguis & ſpiritus in congreſſu affluit, & ſingulis menſibus in juſtæ ætatis mulieribus effluit. Item Hieronymus Fabricius ab Aquapend. *de Chirurg. Operat. edit. Patavin. fol. m. 281.* inquit, in mulieribus menſes erumpunt per uteri cervicem, ſeu vaginam, ſecus quam in brutis. In matrona Fionenſi, cui partes pudendæ in primo partu difficili dilaceratæ fuerant, poſtmodum colli uteri latera omni parte concreverant, tamque arcte coaluerant, ut ſubtiliorem ſtilum non admitteret, menſtrua ſtatis vicibus per venulas extremo collo inſertas parce fluxiſſe, refert Thomas Bartholinus *Cent. 2. Hiſtor. 31. pag. 192. ſeq.* Secundum Gulielm. Cockburn *Oeconom. Corp. animal. p. m. 183.* mulierum evacuatio fit ab aucta ſanguinis mole, ita ut arterias capillares uteri perrumpat; ſi ſint itaque quædam ejusdem partes, quarum arteriæ ſunt tenuiores, eisdem rationibus per has potius, quam alias fiet hæc evacuatio: Atqui vaginæ vaſa illis uteri tenuiores pronunciat avtopſia, ergo ex uteri vagina potius quam ipſo utero ſanguis ſic auctus effluet. Quod confirmat etiam Carolus Piſo *Obſerv. de Morb. a Colluv. ſeroſ. Sect. 2. Part. 2. cap. 7. p. m. 159. ſeq.* inquiens: Uterus præſtantiſſimo operi natus, generationi ſcilicet hominis, parum prudenter, ne dicam inique, male

male vulgo audit, tanquam ſentina ſanguinis in toto excrementitii, quod officium uni pudoris ſinui a natura eſt demandatum; nam experimento plurium Anatomicorum & noſtro in puellæ, quo tempore menſes fluerent, ſtrangulatæ, cadavere ſuperioribus annis publice diſſecto ſolus ſinus pudoris obſervatus ſanguine perfuſus tinctusque menſtruo, uterus autem prorſus ſiccus & arcte connivens. Duplici etiam exemplo id corroborat Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiolog. Progym. 16. pag. 244.* his verbis: Piſonis obſervationem renovabat, magisque firmabat, ante ſexennium circiter a me diſſectum infanticidæ corpus: Cujus pudenda cum vagina uteri, quamvis menſtruo fluore conſpurcata reperirem, cavitatem nihilominus uteri cum aperirem, mundam ac nitidam mecum conſpiciebant præſentes. Imo proximo elapſo anno in puella, in oppidulo vicino, læſionis ab extra illatæ explorandæ cauſa, juſſu magiſtratus, a me pariter diſſecta, ſimile quid, i. e. ſolam vaginam cruentam, cavum autem uteri omnis ſpurcitiei expers vidi. Idem in pago prope Jenam in puella, quæ ſibi manus intulerat, & poſtea in infanticida ſe obſervaſſe refert Johannes Gothofredus Bergerus *Phyſiol. cap. 20. pag. 252.* Certus etiam Medicus, nomine Gofey, idem judicat, inquiens: Qui ſuperficialem ſaltem cognitionem ſtructuræ uſusque partium genitalium poſſidet, is facile fatebitur, ſanguinem in purgatione illa feminarum menſtrua profluentem non ex ipſa matrice effluere, ſed ex orificiis vaſorum circa partem vaginæ ſuperiorem apertis provenire, id quod ex ſectionibus cadaverum ſæpius patuit. Cadavera enim feminarum tempore menſium mortuarum cum aperuerit, invenit uterum mundum, politum quaſi, omnibusque impuritatibus ſanguineis vacuum; vagina vero erat ſanguine conſpurcata, multasque oſtendebat inæqualitates, ſive eminentias, quæ merito pro extremitatibus vaſorum, per quas ſanguis fluebat, apertis habentur. vid. Dan. Hoffmann. *Annotat. med. ad Hypotheſes Goveyanas pag. 74. ſeq.* Hoffmanni vero de hac Goveyana ſententia judicium paulo inferius reperies.

§. 7.

Quid proinde mirum, quod alii quoque Autores hanc menſtruæ evacuationis viam defendant? e. g. Johannes Baptiſta Lamzweerde *Natural. Molar. Uter. Hiſtor. cap. 18. pag. 153.* ſcribens: Accuratior hujus ſæculi nos docet Anatomia, ſanguinem menſtruum *alii Autores.*

ſtruum extra imprægnationem ſtatis ſuis periodis non interiores ſubire uteri lares, nec tinctura ſua candidum ſpumoſæ veneris inquinare domicilium, ſed viam eligere per fines vaſorum, in collo uteri deſinentium, & per dehiſcentia tubulorum orificia, qui ſunt arteriarum canaliculi, quæ per anfractuoſos ductus uteri ſubſtantiam inter utramque perreptant membranam &c. Secundum Philipp. Hœchſtetter. *Obſerv. med. Dec. 6. Obſ. 4. Schol. pag. 698.* manifeſtum eſt, menſtrua in purgatione virginum in uterum non fluere, ſed ad collum ejus, & ex hujus vaſis deponi. Videatur hiſtoria Columbi paulo ante recenſita. Item ſecundum Joh. Gothofr. Berger. *Phyſiol. cap. 20. pag. 251. ſeq.* ipſe uterus ſentinam ſanguinis menſtrui excipere, magnasque eo tempore mutationes experiri creditur, cum tamen id negotii ſoli vaginæ vel ſinui muliebri datum ſit, nullaque prorſus mutatio in utero conſequatur: Collum uteri vaſa accepit numeroſa ab hypogaſtricis ramis, per quæ ſanguis & ſpiritus in congreſſu affluit, & ſingulis menſibus effluit, in juſtæ ætatis muliebribus, inquit Johannes van Horne *Microcoſm. §. 69. pag. m. 247.* vid. etiam Henr. Snell. *Theor. mechan. delin. Part. 2. p. 184.* ubi hunc fluxum ab utero non prodire, ſed ex ejus collo majori fontis hujus originem ruſpandam eſſe ſentit. Et Chriſtianus Johannes Langius *Oper. Part. 1. fol. 219.* ait: *E vaſis ſanguineis intra vaginam uterinam diſperſis ſtillare hunc ſanguinem avtopſia docet, quæ in feminis, tempore hujus evacuationis violenter interemtis, unice locum hunc conſpurcatum & pollutum, uterum ipſum ab hac ſpurcitie liberum oſtendit.* Mollium mobiliumque corporis partium motu tonico menſtruale feminarum profluvium, non ex ipſo utero, indole ſpiſſa, denſa ac dura prædito; ſed ex vaſis, quæ a vena hæmorrhoidali in cervicem atque collum uteri porriguntur, expelli ſtatuit Stahlius. vid. Joh. Conr. Barchuſ. *Hiſtor. Medicin. Dialog. 19. p. 594.* vid. etiam ipſius Georgii Erneſt. Stahl. *Theor. med. Sect. 1. Membr. 8. p. 391.* Hanc quoque ſententiam Johannes Baptiſta Verduccius *de l'Uſage des Parties Tom. 1. cap. 16. p. 246. ſeq.* non modo variis, contra menſium ex uteri fundo evacuationem, rationibus, ſed etiam ſectionibus & avtopſia defendit, inquiens: Le ſang, qui s'écoule dans les femmes, qui ont l'incommodité, que l'on appelle vulgairement chute de matrice, ne vient pas du fond de la matrice, puisqu'on le voit ſortir du vagin: Une preuve indubitable, que

que ce ſang coule des vaiſſeaux du vagin, ce ſont les frequentes ouvertures de filles & de femmes, qui ſont mortes dans le temps de leur purgation. Dans une, que l'on diſſequa, qui avoit été penduë dans le tems de ſes ordinaires, le vagin étoit tout ſanglant; l'orifice interne étoit exactement fermé, le dedans de la matrice étoit à ſee, ſans aucune marque, qu'il y eut coulé du ſang. J'ai auſſi diſſequé la matrice d'une jeune fille, qui étoit morte dans le tems de ſes purgations; les levres externes & tout le vagin étoient ſanglans, il n'y avoit aucune gouttes de ſang dans la matrice, elle étoit nette & polie, comme elle eſt dans les femmes, qui ne ſont point groſſes. Enfin ſi l'on a quelquefois trouvé le dedans de la matrice ſanglant, ç'a toûjours été ſur des femmes, qui étoient mortes peu du tems aprés leurs couches, où le ſang couloit encore de l'embouchûre des vaiſſeaux, qui s'ouvrent dans le placenta &c.

§. 8.

Rationes autem pro menſtrui ſanguinis ex uteri vagina efflu- *Rationes.*
xu pugnantes quibusdam eſſe ſolent, 1) quod largæ interdum in gravidis, præſertim plethoricis, fiant hæmorrhagiæ absque ullo fœtus detrimento, quod tamen, ſi ſanguis hicce ex ipſius uteri vaſis prodiret, minime contingere poſſet; cum enim hoc ipſo fœtui nutrimentum ſubtraheretur, neceſſario in utero exſpirare deberet, 2) quod etiam feminæ non gravidæ ſæpius magnam ſanguinis copiam profundant, grumosque emittant, quos uterus contractus, & cavitate vix fabam excipiens, minime capere poſſet. Quibus accedit 3) quod orificium uteri præſentibus hiſce hæmorrhagiis nihilominus clauſum deprehenſum fuerit. 4) Fluxum ſanguinis ex vaſis cervicis uteri ab hæmorrhoidali vena ortis probat quoque præſentiſſimus conſenſus hypochondriorum cum utero & menſium negotio: Quam primum enim menſes ſupprimuntur, gravia ſtatim hypochondriorum ſequuntur ſymptomata: Id quod a nulla alia cauſa, quam a regurgitatione ſanguinis, exitum per hæmorrhoidalem venam (quæ venæ portæ propago eſt) ad vaginam non invenientis, dependet. 5) Ex conſpiratione quoque hæmorrhoidum & menſium fluxum ex venis hiſce fieri probabile redditur, quia interdum feminæ menſium ſuppreſſionem non amplius patientes, poſt eorum ceſſationem & ab illo tempore hæmorrhoidum internarum fluxum ordinarium

rium menſtruum experiuntur, uti in femina ab anno ætatis trigeſimo nono ſe obſervaſſe refert Georgius Philippus Nenterus *Phyſiolog. cap. 4 pag. 184. ſeq.* qualia exempla etiam in proximo capite ſequentur.

§. 9.

Aliis ex utroque loco. Denique pro menſtrua excretione alii Autores utrumque locum, ſcilicet ipſum uteri fundum ejusque vaginam admittunt, hac tamen differentia, ut eorum nonnulli utrumque locum dictæ evacuationi perpetuo eſſe expoſitum dicant, ita ut modo ex uteri cavitate, modo ex ejusdem collo, modo ex utroque ſimul accidat, prout juxta verba Lucæ Schenckii *in Schol. in Johann. Helwig. Obſ. 41. p. 384.* natura huc vel illuc magis inclinet, viasque hic vel illic laxiores atque patentiores inveniat; alii autem menſtruationem extra graviditatem ſemper in uteri fundo, poſt imprægnationem autem ſolummodo in vagina concedunt, uti ex ſubſequentibus Autoribus patet. Inquit ſcilicet Rodericus a Caſtro *de Nat. Mulier. Lib. 2. cap. 9. p. 86. ſeq.* Ut inter graviſſimos viros lites, de loco menſtruationis, componantur, ita de tota hac diſputatione pronunciandum eſſe judico; feminis quidem tum corruptis, & non prægnantibus, tum etiam virginibus, & uterum gerentibus interdum per venas, quæ ad uteri ſinum, nonnunquam per eas, quæ ad ipſius cervicem deducuntur, expurgari, ſæpe etiam per utrasque, illa nihilominus adhibita diſtinctione, quod virginibus & gravidis plerisque omnibus per colli venas, reliquis tum per has, tum per alias indifferenter ſanguinem effluere poſſe intelligas. Quod planum omnino evadit, quia ſi natura duplices hasce propagines fabricavit in ſuos uſus; & uterus toto geſtationis tempore occluditur, credibile profecto eſt, ſi ſanguis eo tempore redundet, per cervicis potius venas evacuari, ſicuti & in virginibus &c. Caſparus Bartholinus *Inſtitut. anat. Lib. 1. cap. 28. p. m. 132.* ait: Vaſa per fundum uteri lata admodum uniuntur, & extra & in ipſius uteri ſubſtantia. Quæ anaſtomoſes magis apparent in menſtruoſis & gravidis. Harum venarum oſcula cavitatem fundi ſubeunt, quæ acetabula dicuntur, item cotiledones: Qui hiant & aperiuntur, cum menſtrua purgantur. Et quia in collum uteri ab his venis rami feruntur, per eos gravidæ plethoricæ menſtrua mittere poſſunt. Juxta Gerard. Blaſ. *Comment. in Joan. Veſling. Syntagm. Anat. cap. 7. p. m. 98.* terminantur plu-

tur plures venæ ad collum, pauciores ad fundum uteri. Hinc crebris obſervationibus conſtat, in non gravidis menſtrua ordinarie a fundo uteri profluere, & hinc ante eruptionem craſſiora quoque reddi. In gravidis vero ſi fluunt menſes, eas per colli arterias eliminari veroſimile. Et *Medicin. Curator. general. pag. 43.* idem Autor locum excretionis in gravidatione ponit, vaſa hypograſtrica ad uteri vaginam excurrentia, magis debito apertas, extra gravidationem tam vaginam quam fundum uteri pro loco habet. Ad quæſtionem, an ſanguis menſtruus per vaſa fundi, an cervicis, an utraque evacuetur? Ita reſpondet Albertus Kyperus *Anthropolog. Lib. 1. Diſp. 17. §. 125. p. m. 469.* arbitror, naturaliſſimum eſſe fluere ſanguinem menſtruum per vaſa fundi uteri; 1) quia pro fœtus materia maximè in ipſo utero neceſſarius eſt, 2) quia lochia per fundum uteri procedunt, 3) quia ipſæ mulieres ſæpe ſentiunt ex inferioribus, quam cervice, uteri partibus, eum ſanguinem procedere. Interim non negem aliquando aliquid iſtius ſanguinis etiam per cervicem uteri demitti. Dubiolum adhuc ſolet moveri: Per quæ vaſa prægnantibus aliquando effluat? Cenſeo, quod non per alia vaſa. Ac de cervice uteri non adeo dubitari poteſt: Ac per fundum uteri non poſſe fieri, videtur convinci, 1) ex arcta clauſione uteri poſt conceptum, ut ne ſpecillum quidem admittatur, 2) quia fœtui abortus & ſuffocationis periculum adduceret &c.

§. 10.

A quibus canalibus dimanet ſanguis menſtruus, an ab iis, qui ad uterum, an ab iis, qui ad vaginam deferuntur, magna eſt inter Autores controverſia: Quæ ſane ſalva utraque ſententia componi poſſe ſtatuit Johannes Freind *Emmenolog. cap. 5. pag. 30. ſeq.* Et enim cum eadem ſit partium textura, eadem vaſorum conformatio, longe plura tamen ad uterum excurrant vaſa, quam ad vaginam, quid dubii eſt, quin ex utrisque canalibus, uberius licet ex uterinis, evacuentur menſtrua? Quod quamquam per ſe ſatis pateat, hoc tamen argumento breviter illuſtrari poteſt. Ubi in *Aliorum ſententia.*

prægnantibus erumpunt menſes, ſi abortus fiat, ab utero videntur fluere; quænam enim alia vis fœtum a placenta queat divellere, niſi effuſi in utero ſanguinis fluctuatio? Si vero nullus inſequatur abortus, eos potius a vagina demitti credimus; quia ſi in utero fiat ſanguinis eruptio, periculum eſt, ne abortiat mulier. Igitur aliquando ab utero, aliquando a vagina, ſæpius tamen utrinque fluunt menſtrua: Ita tamen, ut in iis, quæ pepererunt, propter vias liberius patentes, frequentius, quam in virginibus ab utero emanent. Hanc cautelam practicam annotatam quoque legimus in Hiſtor. Morb. Vratislav. *Ann. 1702. pag. 76.* nimirum, ſub finem geſtationis nonnunquam uſu venire conſuevit, ut ſanguis ex genitalibus feratur, ac mature fluxus illius inſoleſcat. Ne hic cum periculo gravidæ erremus, ſolicite attendendum, an hic ſanguinis rivus ex utero, an vero vagina tantum & uteri collo oriretur; ſi ex vagina ſtillaverit ſanguis, ſalva res eſt, nec opus eſt magna feſtinatione. At longe aliter judicandum, ſi ex ipſo uteri fundo ſanguis manaverit. Tum enim fluxus certiſſimum eſt indicium ſeparationis placentæ ab utero, quæ ſimul ac hinc fuerit avulſa, nunquam amplius cum eo coaleſcit, nec ullo modo ſperare licet, fore, ut ante editum fœtum fluxus ſanguinis ſiſtatur &c. Imo ob majorem in collo, quam fundo uteri multitudinem vaſorum, copioſiorem ſanguinem ex illo, quam hoc evacuari quantitatem arbitratur Franciſcus Plazzonus *de Partib. Generat. inſerv. Lib. 2. cap. 6. p. 121. ſeq.* inquiens: Inter duplicaturam duarum tunicarum collum longum uteri conſtituentium excurrunt venæ & arteriæ quamplurimæ & maximæ, quarum frequentia & magnitudo merito admirationem movere poteſt, ſunt enim longe majores, quam loci natura & anguſtia requirere videtur, cujus frequentiæ & amplitudinis vaſorum inter alia quoque cauſa eſt, quod per eas venas menſtruæ effundantur purgationes: Non enim ſolummodo ex utero, ſed etiam ex collo uteri menſes erumpunt. Hinc ſæpe contingit, feminas, quæ utero gerunt, nihilominus menſtruas purgationes pati, & nullum ſanitatis detrimentum ſentire,

cum

cum tamen ex utero & venis uterinis nihil prorſus profluere conſtet. His ſic ſtantibus mirari ſubit & quærere, cur ſanguis menſtruus, qui eam ob cauſam inſtitutus videtur, ut ſuo tempore totus nutritioni fœtus in utero contenti inſerviat, ad collum hoc ablegetur, cum tamen collum longius ab utero diſtet, quam ut fœtui alimentum ad uterum transmittere poſſit. Adhæc ex venis ad uterum & cervicem uteri miſſis conjicere licet, exiguam ſanguinis portionem ex utero ipſo, ex cervice vero copioſiſſimum ſubminiſtrari; etenim venæ in utero ſunt pauciſſimæ & vix conſpicuæ; in cervice contra ſunt numeroſiſſimæ & ampliſſimæ &c. Quamvis etiam Franciſcus Mauricæus, in obſervatione paulo ante allegata, menſtruationem per uteri fundum ex ſanguine congrumato probet, nihilominus tamen eandem quoque per collum fieri poſſe ſequentibus verbis concedit: Je ne veux pourtant pas ſouſtenir, que les menſtruës ne s'ecoulent auſſi parfois de quelques vaiſſeaux du col de la matrice, en meſme temps, qu'elles fluent des vaiſſeaux du fond: Mais je ſoutiens ſeulement, que l'opinion de ceux, qui veulent, que les menſtruës ne s'ecoulent en tout temps, que par les vaiſſeaux, qui ſe terminent au col de la matrice, n'eſt pas veritable, comme les experiences le prouvent tres bien, eſtant tres certain, que les vaiſſeaux qui aboutiſſent au col de la matrice, ne ſervent ſeuls a l'evacuation de la ſuperfluité du ſang menſtruel, que dans le temps de la groſſeſſe, à certaines femmes, qui pour eſtre trop ſanguines, ont encore beſoin quelquefois de cette evacuation, dans les premiers mois qu'elles ſont groſſes. Johannes Jacobus Harderus menſes equidem potius per vaginam, quam uteri cavitatem prodire concedit, in puerperæ tamen aliquot poſt partum ſeptimanis ſectione cruoris portionem idoneam in uteri cavo ſe repeririſſe ſcribit *Apiar. Obſ. 84. Schol. p. 321.*

§. 11.

Hanc ſententiam tuetur etiam Joan. Junckerus *Conſpect. medicin. theor. pract. Tabul. 10. p. 58.* Excernitur, inquiens, hic ſanguis *item*

non tantum per vasa, in ipsa uteri cavitate contenta, quæ minus capacia sunt, sed potissimum etiam per hæmorrhoidalia, quæ ad cervicem & collum uteri porriguntur; unde tam præsens est consensus hypochondriorum cum utero, ut varia pathemata circa venam portæ excitentur, quamprimum fluxus hic non recte succedit. Item Regnerus de Graaf, quem supra pro uteri fundo stare diximus *loc. ibid. alleg. pag. 259. seq.* Vaginam tamen sic excludendam non vult, ac si nunquam per illam prodirent menstrua; videmus enim, inquiens, & clarissimorum virorum testimonia confirmant, illa per vomitum, alvum, urinam, per oculos, nares, aures, gingivas, mammas, umbilicum, minimum manus digitum, ac alias insuetas corporis partes interdum promanare. Quidni similiter illa citra naturæ ordinem per vaginam utero proximam, tot insuper vasis locupletatam, prorumpere possent? Quinimo existimamus, naturam frequentius sese per hanc, quam per alias corporis partes exonerare: Unde contingere nonnunquam potest, ut innoxie menstruorum fluxum experiantur gravidæ. Inquit etiam Petrus Dionis *Anat. demonst. 4. pag. 233.* cum femina prægnans non est, sanguis ex arteriis elabitur per plurimos tubulos, qui hiulci fiunt in tota fundi ejus peripheria & in ejus cavitatem defluit, ex qua per vaginam effunditur. Ille sanguis est, qui singulis mensibus fluit, quem menstrua seu ordinarios fluxus vocant. Hi tubuli manifeste conspicui sunt in feminis, quæ paulo post puerperium, vel tempore fluentium menstruorum aperiuntur. Quidam harum arteriarum rami ad internum orificium tendunt, eoque ad ejus nutritionem sanguinem deferunt: Sanguinem graviditatis tempore interdum elabi sinunt, præsertim cum mulieres illo abundant, ultra fœtus alimoniam necessariam. Quapropter minus mirum videri debet, si quædam feminæ mensium profluvium pluries durante graviditate passæ fuerint, quæque fœtum ad solitum terminum gestaverint; quia tunc ejusmodi purgationes fluunt e vasis collo matricis inexistentibus, non ex iis, quæ ejus fundo insunt &c. Juxta Franc.

Zypæi

Zypæi *Fundament. Medicin. Part. 2. cap. 3. Art. 7. §. 9. pag. 87.* fertur menstruum tam ad uteri vaginam, quam ad fundum, quia etiam aliquando habetur in gravidis, quibus si sit stagnatione putrefactus, fœtum & alimentum ejus inficit, ac abortum facit. Quod viderint aliqui uteri ulcera curando in ejus fundo turgida, aut manantia vasa, præter naturam est. Et Daniel Hoffmannus contra sententiam Goveyanam loco paulo ante citato scribit: Ex paucis menstruatarum sectionibus nondum firmiter concludit D. Govey, nunquam ex utero posse fluere menstrua, sed semper ea ex vagina prodire; *sit ita, viderit ipse uteri cavitatem mundam*, politam quasi, omnibusque impuritatibus sanguineis vacuam, *vaginam vero sanguine conspurcatam*, non tamen illæ vaginæ glandulosæ in se ac rugosæ inæqualitates & eminentiæ necessario extremitates vasorum fuerunt; vasorum extremitates ob parvitatem tenuitatemque oculis non patent. Ad minimum pro utraque hypothesi Autorum militant experimenta æque ac rationes, utut forsan frequentius fluxus ille ex vagina prodeat, nolim tamen uteri cavum excludere in omnibus æque feminis. Controversiam autem *hanc decantatam, an menses ex utero*, an vero ex vagina fluant, congrue ita decidit & conciliat Elias Camerarius *Medicin. conciliatr. p. 118.* ut quidem potissimam partem plerumque ex vagina profluere, ibique excerni, Pisonis Bohniique experientia confirmatus Tiro admittat, reliquorum tamen Autorum argumentis persuasus non audeat negare, posse etiam aliquando in certis subjectis ex ipso utero fluxum istum promanare, si maxime status p. n. accedat.

§. 12.

Non autem solummodo ratione locorum, pro excernendo sanguine menstruo, sed ipsorum quoque vasorum sanguiferorum, diffentiunt Autores, dum alii eundem ex arteriis, alii ex venis, alii alio modo profluere defendunt. Arteriis hoc in passu plerosque hactenus allegatorum Autorum patrocinari, in præcedentibus vidimus, quatenus scilicet omnis totius corporis sanguis per vasa

an ex arteriis an venis profluat?

ex arteriis.

arterioſa advehitur ſeu protruditur, econtra vero a partibus ſeu extremitatibus per venas iterum ad maſſam atque cor revehitur. E. g. Jacobus von Heruelt *Geneeskand. Anmercking. na dehedendaagiſche Practyk. Obſ. 40. pag. 78. ſeq.* Menſium ſuppreſſionem ab arteriarum clauſura ſeu obſtructione, eorundem autem reſtitutum effluxum ab orificiorum arteriarum apertura deducit. Ipſius autem verba ſic ſonant: Een Vrouw, die de Stonden beginnende te vloeïjen, s'morgens vroeg in een koude wind ging melken, waar dor ſe opsloegen, en ſy een grote flaut kreeg, ik gaf har een ſweet-middel, waerdoer ſy weder fris wierd: ſy ſwete wel, en wierd veel bloed doer den afgang quyt. Deſe bloedigen afgang quam, door dien de moeder slag-aders gesloten, en het bloed door het ſweten in ſyn vorige ſtand en beweging herſteld zynde, door ſyn perſſing de monden der kleine Slag-adertjens, door de darmen lopende, ligt om de naburigheid der plaats, en des ſelfs bequaamheid tot de uitloſſing hebben geopent: ook heb ik wel het Stonde-bloed door de neus, en mond, met braken ſien uitkomen, welk de ſelve reden heeft. En het moet niemand vreemd dunken; dat ik hier een opening der Slag-adertjens en niet der adertjens ſtel: derwyl den omloop des bloeds ſulx klaar beveſtigd; alſo wy ſeker weten, dat de Slag-aders het bloed uit het hert, na al de uiterlijke lichaams-deelen voeren, en de aderen het ſelve weder tot het hert brengen; waar uit zoſeker als den dag volgt, dat alle bloedloſſingen, die uit de neus, long, maag, darmen, af lyfmoeder voortkomen, uit de einden der Slag-aders, en niet uit de aders vloeijen. Om dat de ſelve aldaar wenig mit vlees beſet, in de vlieſen eindigen, en derhalven ligtelijk konnen geopend worden. Cui ſententiæ conſentit inſuper Johannes Antonides van der Linden *Meletem. med. Hippocr. Phyſiol. §. 147. pag. 63.* Vias ſanguini huic effluxuro arterias aſſignans uterinas. Et Franciſcus Zypæus *l. a. p. 83.* inquit: Fluit menſtruum per uterum, tanquam per organum ad illud præcipue cum ſpeciali & arteriarum

teriarum uterinarum configuratione & ſitu ordinatum, quæ venarum inoſculationibus carent, ratione cujus ſanguinem in eas, ut ad cor refluat, infundere nequeunt. Scribit etiam ex recentioribus Johannes Freind *Emmenolog. cap. 2. p. 4.* ſanguinem menſtruum non glandulæ alicujus ope ſecerni, ſed ex capillaribus arteriis erumpere. Et *cap. 5. pag. 31.* inquit: Verſatur inter ſcriptores quæſtio, utrum a venis, an ab arteriis prodeant menſes: Quos ego ſane ab arteriolis evaneſcentibus malim deducere. Ibi enim maxima eſt canalis anguſtia, qua efficitur, ut ſanguis in latera vehementius feriat & oſtiola recludat: Quod ſi in venas deductus fuerit, latius ſibi ſpatium videtur comparaſſe, quam ut foras egredi cogatur. Ideo ſi qua in canalibus oriatur obſtructio, eam in arteriolis potius, quam venis poni debere recte arbitratur Pitcarnius. Quinimo ſanguis floridus admodum & rubicundus cum ſit, ab arteriis potius quam a venis originem trahere videtur. Sive tamen e venis ſive ex arteriis fluat, ex capillaribus certe, non ex majoribus ramis propellitur, uti ex fluxu ipſo, qui guttatim fere peragitur, dignoſci poteſt. Ex ſolis uteri apertis arteriolis ſanguinem menſtruum profluere, ſcribit Roſinus Lentilius *Ephemer. Acad. N. C. Cent. 1 & 2. Obſ. 68. Schol. p. 355.*

§. 13.

Attamen Albertus Kyperus *Anthropol. Lib. 1. Diſp. 17. §. 125. pag. 469.* tam arterias, quam venas, pro via agnoſcit, judico, inquiens, maxime naturaliter fieri per arterias, quandoquidem per illas ſanguis pellitur ad partes, at per venas remeat: Quatenus tamen ob venarum debilitatem, vel ſanguinis craſſitiem aut gravitatem ſanguis in venis naturalem motum non expedit, cenſeo præter naturam etiam per venas fieri poſſe, accidit in hæmorrhoidum fluxu. Secundum verba Frider. Ortlob. *Hiſtor. Part. Diſſert. 19. §. 6. pag. 149.* dubium eſt, num arteriæ vaginales, an vero venæ, ſanguinem menſtruum concedant. Arterioſum eum eſſe, color ejus nigricans, & quod non cum ſaltu prodeat, ſed lente profluat, negat: A venis non venire id arguit, quod his ad partes nullus motus *an per venas.*

motus contingat. Attamen quia hæ turgentiores & quasi varicosæ deprehensæ sunt, ab earum ruptura prodire potest, cum per ejusmodi aperturam sanguis facilius ruat, quam ut canales angustos subeat. Interim tamen & per tunicam vaginalem internam eundem transsudare mihi persuadeo, quatenus arteriosus sanguis venosum urget, hic vero remoram aliquam invenit, & sic ex aliquali stagnatione per tunicam erumpit. Siquidem non sine causa hic attendere jubet Malpighius vasorum circa uterum & vaginam & conformationem, quatenus nimirum non modo insigniter flexuosa est, sed quoque hypogastricæ & spermaticæ venæ, quæ huc excurrunt, mutuis anastomosibus junguntur &c. Ex venis hunc prodire sanguinem, exinde probat Georgius Phil. Nenterus *Physiol. cap. 4. p. 185.* quoniam non est splendidus, sed nigricans, nec etiam cum impetu, sed lente admodum procedit: Nisi fortiores spasticæ venarum constrictiones uberiorem producant fluxum: Tonus enim & constrictio maximum ad mensium excretionem confert momentum, unde etiam dolores istos tensivos multæ sentiunt. Et juxta Michael. Albert. *Introduct. in Medicin. Pathol. Sect. 2. cap. 5. §. 4. p. 152.* profluit hic sanguis vel ex venulis, cervicem uteri ingredientibus, & sanguinem tam ad venam portæ, quam iliacas internas revehentibus, vel ex venulis vaginæ uteri, quæ similiter per propagines quasdam sanguinem alias in venam portæ reducunt &c.

§. 14.

Bohnii sententia. Johannes Bohnius *l. a. 253. seq.* explicata vasorum conformatione, ita pergit: Ubi solidior & ad rarescendum in non gravidis inepta est uteri substantia, stagnans hic sanguis venulas, interiorem vaginæ superficiem adeuntes, divellit, ac per harum extremitates ruptas nomine menstruorum promanat, donec subsideat aliquantùm ac imminuatur ejus turgescentia. Non arteriarum profluvium immediatum esse sanguinem menstruum diversa evincunt, imprimis quod non splendidus, sed nigricans, nec cum tanto impetu, sed lente magis prodeat idem: Neque tamen ideo

ideo ad tubulos illos uterinos cum Bayle & Charletonio confugere decet, quaſi ad turgeſcentiam demum horum depoſitus ab arteriis ſanguis per horum oſcula erumpat: Hos enim in gravidis tantum videtur ſubire, hincque molem & ſubſtantiam uteri incraſſare ac diſtendere, quos nihilominus in menſtruatis ſanguinem haud alluere, avtopſia teſtatur. Aut, ſi hoc fieri, quis pertinaciter aſſerere vellet, reſpondere is tenebitur difficultati huic: Cur non æque, ac in gravidis, ad hos depoſitus ſanguis retineatur, molemque uteri ſenſim tumidiorem reddat? Huic vero Johannis Bohnii ſententiæ contradicit Martinus Liſter. *de Humor. cap. 45. p. 416. ſeq.* quem evolve. Hancque litem inter Autores de *vaſis excretoriis* motam, an ſcilicet venæ, an arteriæ illam ſuperfluam ſanguinis maſſam effundant? Elias Camerarius *Medicin. conciliatr. p. 118.* ita dirimit; tardus equidem in quibusdam atri ſanguinis lentusque effluxus pro venis manifeſte militat, quis tamen arteriolas audeat excludere, facile quoque ſub turgeſcentia rumpendas, ſi maxime rem ad eas vellemus extendere, quæ floridiorem, nec adeo atrum, & confeſtim nonnunquam prodeuntem, fundunt ſanguinem.

§. 15.

ex ductibus glandularum uteri.

Has vero æque pro arteriis ac venis pugnantes rationes atque Autores impugnat Henricus Snelle *Delineat. Theoriæ mechanic. Part. 2. p. 168. ſeq.* potiusque Franciſci Bayle & Gualteri Charletoni opinionem defendit, ſequentibus verbis: Quæſtionem inter Medicos in hæc usq; tempora agitatam, an a venis, an ab arteriis menſes prodeant, brevibus componere, per preſſionem ſanguinis majorem in arteriolis capillaribus, quam in venis, conabor; ac, ſalva tamen celeberrimorum Medicorum auctoritate & judicio, demonſtrare pro viribus intendam, ſanguinem hunc e vaſis ſanguiferis, qua ſanguiferis, non promanare, multo minus ab arteriis, ut cum pluribus ſtatuit Freind, quoniam ſanguis omnis in vas reſeratum affluens profluere deberet; ob impedimentum remotum, & cum plurima arteriolarum ſint capillaria vaſa affecta, neceſſario

sanguis copia sua torrentis instar prorueret, quem tamen lente & guttatim promanare multiplex edocet experientia. Multo minus ex venis, per diæresin referandis, ut volunt Bohnius, Ortlob, cum pluribus veteribus ac neotericis, quia sanguinis in his motus ad partes non datur, cui jam in iis existenti resistentia multo minor est versus cor, quam ad latera vasorum, quicquid hic dicant de tortuosis illorum ambagibus, qui non solum circa uterum, verum per totum corpus reperiuntur. Denique si e sanguiferis vasis immediate proveniret fluxus, semper & totus quantus esset sanguineus, quem tamen præcedit & subsequitur fluor quidam albus, quo sive lympha mucaginosa perpetuo irrigatur vagina, prorumpente e glandularum vaginalium vesicularium vasculis sanguineis interius ornatarum vasculis excretoriis, quæ in vaginam hiantia organa sanguinis menstrui excretoria esse statuere non vereor; in his enim minima resistentia est, quoniam naturaliter pro lympha excernenda laxe tantum connivent, & dum sanguis orgasmo quodam, a spirituum copiosiori influxu & acrimonia lymphæ, præsertim vaginalis tempore menstruationis turgeat; hæc copiosior iis horis profluens, sanguini partim e glandularum cavitatibus ipsi per propria vasa dilatata per motum intestinum humorum viam aperit; hujus enim momentum multo majus est, quam humorum copiæ: Et hinc rationem advertere nequeo, ob quam a Charletoni & Baylei sententia recedendum sit, si hæc vasa ipsorum tubulos constituunt (in verbis enim non hærendum) ex quibus dicto modo dilatatis facile post actus finitos sese contrahentibus commodissime fluere potest sanguis, absque ulla læsionis specie, nam in sanguiferis saltem cum minima diæresi admittenda est, quæ consolidanda est, & cui simul cicatrix obducenda venit licet minima, a qua resistentia major sensim post singulas menstruationes ut exurgat necesse, quæ in vasis nostris metuenda non est. Hæc Snellius. Sic Martinus Lister. *Dissert. de Humor. cap. 43. pag. 401. seq.* inquit: Menstrua ex solis ductibus excretoriis, ad glandulas uterinas pertinentibus prodire, satis constat ex

ipsa

ipsa partium anatomia. Testatur Ruyschius, se reperisse in utero menstruato cruorem coagulatum in ejus cavitate, aliumque in tuba Fallopiana, & ad ipsum ovarium. Quibus positis, ajo, menstrua non aliter, quam cæteri quique humores, in glandularum uterinarum ductibus, innata loci fracedine, excoqui, scilicet ex chylo supervacaneo, in orbe sanguinis paulatim accumulato. Rubent autem menstrua, quod & serum & sanguinis integri globuli rubri una cum chylo transmittuntur; ob ampliatas in istis ductibus commissuras, præter modum cæterorum excretoriorum ductuum omnium; itaque humor quidam mixtus & compositus est ille sanguis, quo feminæ per menses exsolvuntur. Satis sanguinis ad purpuranda menstrua effluit &c. Et Abrahamus Cyprianus *Epistol. de Fœt. extra Uter. p. 55. seq.* scribit: Sicut utero gerentibus per glandulas uteri sanguis, loco illius humoris viscidi ibi continuo secerni soliti profluere solet, ita quoque eodem prorsus modo in non gravidis fieri putandum est menstruis fluentibus, ubi portio sanguinis abundans exitum quærit, præcipue circa illas glandulas, quæ naturaliter ita sunt dispositæ, ut earum pori facile ab impetu sanguinis aucto dilatentur, & sanguinis motu iterum diminuto etiam facile contrahantur, ita ut tantummodo mucoso humori secernendo transitum præbeant. Sanguinem, inquam, menstruum hoc modo profluere arbitror, non autem per extremitates vasorum apertas.

CAPUT III.

De Insolitis Menstruationis Viis.

§. 1.

HÆc de sanguinis menstrui loco seu canalibus & vasis excretoriis sufficiant; cum verò in paragrapho paulo antecedente ex Regnero de Graaf aliarum quoque, & quidem insolitarum seu extraordinariarum, menstruæ excretionis viarum mentionem fecerimus, ejusmodi exempla recensere consultum duximus. Scilicet *Menses per alias vias.*

licet si ordinarii menstruationis ductus, nimirum uteri fundus seu cavitas & vagina, a quacunque causa occlusi fuerint, tum sanguis menstruatim excernendus, urgente orgasmo, quandoque ex aliis etiam corporis partibus erumpere solet.

§. 2.

Quia autem multi, veterum imprimis Medicorum, fœtus, non modo in utero adhuc detenti, sed etiam jamjam in lucem editi, nutrimentum, lac scilicet, a sanguine menstruo derivant, sanguinis quoque menstrui per mammas effluentis exempla primo loco adducere libet. *per mammas.* Mulier scilicet nobilis, quum puerum lactaret, &, ut fieri solet, longo tempore menses suppressos haberet, ecce! per mammas sanguis illi effluere cœpit copiosissimus &c. sunt verba Amati Lusitan. *Curat. medic. Cent. 2. Cur. 21. fol. m. 149.* ubi in Schol. mentio quoque fit duarum nobilium, alterius Lusitanæ, alterius vero Italæ, per quarum mammarum papillas sanguis effluxit. Item Antonium Musam Brasavolam referre, a se mulierem visam, cui sanguis per ubera fluebat, quia gemellos nutriebat, qui cum vehementer exsugerent, sanguinem in lac converti, non sinebant. Inquit etiam Andreas Laurentius *Histor. anat. Corp. hum. Lib. 7. Qv. 11. fol. 278.* se audivisse mulieres quasdam suppressis mensibus sanguinem statis periodis certisque circuitibus per mammarum papillas profudisse. Uxor Petri Fabri mensium materiam per mammas singulis mensibus tanta copia exoneravit, ut ei ebibendæ & exhauriendæ vix tria aut quatuor mantilia sufficerent, referente Ambrosio Paræo *Lib. 23. cap. 52. fol. 533.* vid. etiam Joh. Schenk. *Observ. med. Lib. 4. fol. 635.* Nobili cuidam feminæ statu temporis intervallo, sanguinem e sinistra mamma fluere guttatim solitum cum Medicus imprudenter adstringentibus remediis inhibuisset, ac retinuisset, enatus est inde cancer, eoque illa periit, uti ex Dalechampio refert Daniel Sennertus *Pract. Lib. 4. Part. 3. Sect. 2. cap. 5. pag. 524.* ubi ex Amato Lusitano annectit, mulieri, quæ jam ter pepererat, & quarto uterum gestabat & prope partum agebat, ex mamma dextra sanguinem multum

tum fluxisse, reliquam lævam lacte novo, coloſtro dicto, plenam fuisse. Refert etiam ex communicatione Franciſci Maſtini Dominicus Panarolus *Pentecoſt. 4. Obſ. 13. pag 119.* in quadam muliere ex papillis mammarum ita fortiter menſes erupiſſe, ut aliquando ſanguinis fontem repræſentaret, qui poſtmodum, erumpentibus menſtruis per inferiora loca, ipſis convenientia, ſanguis in mammarum papillis nullo modo apparuit. De menſibus ex læva papilla fluentibus ſequentem obſervationem recenſet Chriſtianus Franciſcus Paullini: *Puella octodecim annorum ſingulis noviluniis tumorem lævæ mammillæ, cum levi inflammatione, omnis doloris tamen experte, ſentiebat, ſanguine poſtea, fonticuli inſtar, ad biduum* plerumque e ſiniſtra papilla ſcaturiente. Aliquando rarius tamen, ob craſſitiem, a diæta contractam, lentius exſtillabat, ſemper tamen eleganter rubicundus, & quem ſola, eaque leviori, mammæ compreſſione, facile & feliciter emulgebat, belle alias valens. Paulo ante nuptias, ipſa menſtruata tunc, a matre ad Medicum, Cortnummium, adducta, præſente ea, elegans naturæ miraculum oſtendit. Re vero habita cum marito menſes ordinarie & naturaliter fluxerunt. vid. *M. N. C. Dec. 2. An. 5. App. pag. 41.* it. Chr. Franc. Paullin. *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 42. p. 331.* Femina quædam prope quadragenaria, ſed corpore macra tenuisque, nec bile tantum abundans, ſed & iracundior, tempore quodam, quo fluxu laborabat menſtruo, ita offenſa erat animo, ut præ maxima mentis perturbatione e papillis prorumpens reliquum corpus proluеret ſanguis. Cui accerſitus Cornelius Stalpart van der Wiel, illico pedis venam ſcindi juſſit, ut ſanguini aliorſum deducto commodior daretur exitus; ipſa autem brevi poſt convaluit, juxta Corn. Stalpart. *Obſ. Cent. 1. Obſ. 79. pag. 342.* Ido Wolfius quoque *Obſ. Chir. med. Lib. 1. Obſ. 20. pag. 66.* tributum lunare per mammas ſolutum in vidua tinctoris mammis ulceroſis laborante obſervavit; fruſtra enim ipſi per integrum annum & ſex menſes remedia cujuscunque generis applicata erant, quibus dolor quidem levabatur, ad perfectam autem ſanitatem

ulcera perduci non poterant. Quando enim omnia fausta promittere videbatur morbus, intumescebant rursus mammæ, ingentem sanguinis copiam eructantes, & tum totus morbus recrudescebat & diligentiæ Chirurgorum illudebat. Cum autem omnes circumstantiæ probe examinarentur, apparuit, istud sanguinis profluvium statis temporibus redire, & nil nisi tributum esse lunare, quod laboriosa natura, via regia a muco aliisque impedimentis obsessa hic persolvebat. Quam ubi Medicus commodis remediis internis, & externis præprimis frictionibus, venæsectione & cucurbitulis siccis paulo supra pudenda appositis rursus patefecit, ut sanguis libere fluere per eas posset, brevi rediit ad sanitatem mulier, mammarum ulcere quoque exsiccato. De femina lactante, quæ, dum in tumorem mammarum periculosum & ulceribus fœdum incidit, tandem singulis mensibus partem sanguinis utero debitam per illa foramina rejecit, vid. Joh. Nicol. Pechlin. *Obs. med. Lib. 1. Obs. 28. pag. 90.* De ulceribus mammillæ fistulosis, per quæ retenta menstrua erumpere solebant, vid. Achill. Gasser. *Obs. 89. p. 42.* Liberalissimæ quoque cuidam feminæ singulis mensibus sanguinem præscriptione naturæ vacuari solitum e mammis prorupisse, ex Salomone Alberto annotavit Daniel Sennertus *Institut. Lib. 2. Part. 3. Sect. 1. cap. 11. p. m. 341.* In uxore amici cujusdam prima vice gravida usque ad sextum graviditatis mensem circa tempus solitum aliquot sanguinis guttas, absque ullo sanitatis detrimento, ex utraque papilla provenientes ante viginti annos observare mihi licuit. Menses etiam per spatium illud, quod mammas dividit, periodice fluentes ex Joh. Phil. Laji *Disput. de Mens. Suppr. Giessæ anno 1660. habita* allegat Johannes Laurentius Bauschius *de Hæmatit. Proœm. pag. 24.* Puellæ quatuordecim annorum, filiæ militis, prævia pectoris anxia oppressione in ipso sterno supra scrobiculum cordis in interstitio mammarum, ex integris poris cutis sanguis menstruus guttatim prostillavit in notabili quantitate. vid. *Act. medic. Berolin. Vol. 4. pag. 69.*

Observatio.

§. 3. Per

§. 3.

Per uteri labra emanantia menstrua annotavit Zacutus Lusi- *per vulvæ labia.*
tanus *Prax. Histor. Lib. 3. cap. 10. Obs. 4. Oper. Tom. 2. fol. m. 486.* Juvencula scilicet bono habitu prædita, cum ad duodecimum ætatis annum accederet, in labris uteri in parte extima callum persensit ciceris parvi magnitudine. Tumor erat citra dolorem ullum. At transacto anno rubor adfuit cum dolore, qui usque ad decimum quartum annum perseveravit, cum ardore, exeuntibus furfuraceis squamulis ex cute extima, & deinceps renascentibus aliis. Tandem anno decimo quinto, foramine aperto in utriusque calli parte media cruenta sanies emanare cœpit, subsidente tumore: Quam sanguinis rubri & puri vacuationem, typice singulis mensibus passa est, menstruorum instar, in copia multa adeo ut usque ad ætatem viginti quatuor annorum nullam viderit menstruam purgationem, hac excepta. Item in pago Polnischkessel vidua triginta annorum laborabat imminutis mensibus per annum, cum guttulis sanguineis stato fluxus menstrui tempore e labiis inferioribus stillantibus. Stillabant labia per sex menses, ordinario fluxu penitus intermittente. Post saphænarum sectionem consuetus rediit fluxus per consuetas vias. Deinde vero, menses dum imminute fluebant, redibat stillicidium labiorum &c. secundum observationem Samuelis Ledelii *Ephemerid. Academ. Nat. Curios. Cent. 1. Obs. 48. pag. 120.*

§. 4.

Menstruorum in vertice erumpentium exemplum refert Jo- *per verticem.*
hannes Nicolaus Pechlinus *l. a. pag. 88.* Erat, inquiens, meo tempore in nosocomio Leydensi virgo viginti annorum œdematosi habitus; illa cum deficiente naturæ fluxu, quem ab anno quinto decimo experta erat, universum caput illo tempore, quo fluere alias menses solebant, rubro fœdissimoque & male olenti ichore inquinari videret, consilium quærit Medici. Nos autem primo adspectu territi, & quid esset ignorantes, conditionem ægræ studiosius exploramus, & offendimus tandem post varias

quæstio-

quæstiones defectum, a tribus mensibus uteri fluorem aditum sibi per verticem parare. In eruptione autem, quæ quinque utplurimum dies durabat, odor tam fœdus tamque impudicus, ut facile conjici posset, copiæ isti cachexiam admistam fuisse. Materia, quæ poris exsudabat, ichori aut loturæ carnium similis, necessitatem imponebat mutandi fascias, caputque sæpius refingendi. Mulieri mensium suppressione laboranti vasculum in summitate verticis sponte apertum quantitate molestum sanguinem dimisisse, ex observatione parentis refert Johannes Mauritius Hoffmannus *M. N. C. Dec. 2. An. 6. Obs. 166. Sch. pag. 338.* Talem menstrui per verticem effluxum annotavit etiam Theodorus Kerckringius *Spicileg. Anat. Obs. 85. p. 165.* in puella decimum quintum ætatis annum agente. Ea scilicet nondum via ordinaria menstruis exonerata fuerat, sed statis temporibus, quæ singulis mensibus recurrebant, per capitis verticem tam copiosum emittebat sanguinem, ut quater & sæpius innovata lintea madefierent. A quo tamen morbo mirabili, eumque comitantibus aliis molestiis, dicta ægra trium mensium spatio fuit liberata. Idem quoque, in nosocomio publico, in capite inter capillos cum magno fœtore factum scribit Franciscus Sylvius *Prax. med. Lib. 3. cap. 3. §. 491. fol. m. 387.* Et juxta Johan. Bapt. Verducc. *de Usu Part. Tom. 1. cap. 16. pag. 243.* on va parler d'une fille, qui avoit les ordinaires par le sommet de la tête: C'étoit une fille de quinze ans; ses mois prirent leur cours par le haut de la tête, plustôt que par les voyes accoûtumées.

§. 5.

per oculos. Per oculos menstrua evacuata hinc inde annotata legimus, & quidem instar lacrymarum sanguinearum, uti in virgine quadam vidisse meminit Rembertus Dodonæus *Obs. medicin. cap. 15. p. m. 37.* Carnoso scilicet erat hæc virgo calidoque temperamento prædita sanguineque redundans. Cum autem ætas adesset idonea, utpote sedecim annorum, neque menses succederent, natura per oculos superfluentem sanguinem expellere conata fuit: Sanguineis

neis guttis lacrymarum instar frequenter ex oculis profluentibus: Bene fecit huic sanguinis e vena talo proxima detractio, quam menstrua purgatio non ita dudum subsequuta est. Huic simile exemplum recenset etiam Salomon Alberti Professor Wittebergensis *Orat. de Sudor. αἱματώδε sive cruento*, inquiens, in vicino oppido, quod Melanthoni nostro Chalcis Saxonica nuncupatum est, puellæ cuipiam nubili mensibus cunctantibus similiter lacrymæ cruentæ exstillarunt. Inquit etiam Ludovicus Mercatus *de Mulier. Affection. Lib. 1. cap. 7.* se cognovisse mulierem, cui unoquoque mense sanguis, licet modicus, per majorem oculi sinistri angulum fluebat. vid. in Israel. Spach. *Gynæc. fol. 819.* Meminit quoque Johannes Helwigius *Obs. 140. p. 381.* puellæ septennali Noribergæ singulis mensibus per semestre vel ultra, ritu menstruorum communi, ex oculis humorem loturæ carnium similem guttatim emanasse, purgato tamen corpore, & adhibitis cucurbitulis cum scarificatione, justo demum tempore menstrua per uterum rite fluxisse. Rustica quadraginta circiter annorum, robusta & vegeta, sed Bacchi, quem jejuna etiam fervide osculata fuit, ab aliquo tempore nimis amans anno 1681. mense Junio, menstrua non amplius vidit; mense dehinc Octobri abdomen cum artubus intumescere, misella circa præcordia angi, & difficulter spirare, facies pallescere, appetitus prosterni viresque delassari cœperunt. Molestiores hisce tractu temporis fuerunt adhuc vomitus cruenti copiosi, nunc periodice singulis mensibus, nunc irregulariter ægrotam defatigantes. Die 25. Novembris insolito pruritu oculi misere correpti sunt, quem sanguinis floridi ad uncias plures excepit effluxus, testante Johanne Jacobo Hardero *Apiar. Obs. 82. pag. 314. seq.* Item puella macilenta & parvæ staturæ hæmorrhagiam oculorum passa est, nam lacrymarum instar exstillans humor in illis dolorem & inflammationem pariebat. Id genus symptomatis, quod prima vice quatriduanum fuit, comitem habuit insignem cephalalgiam, ad tempus desituram, sed mense elapso cum iisdem symptomatis recurrentem. Duobus iterum

menſibus elapſis, ac periodico ſemper reditu & ſtato prædicti affectus dubium oriebatur, menſtrualisne ſubeſſet excretio, quæ cum liber non concederetur exitus ſanguini, obſtante in viis aliquo impedimento, quo minus ad uterum perveniret, is ad cerebrum usque confluxit, per quas partes deinceps exitum nanciſcebatur, ritu lacrymarum &c. uti ex Bellini communicatione refert Nicolaus Blegny *Zodiac. med. Gall. An. 2. Februar. Obſ. 6. pag. 42* Ex oculis & auribus religioſæ cuidam, quæ menſes non habebat, cum ea ætate eſſet, in qua habere deberet, ſingulis menſibus ſanguinis copiam effluxiſſe, ex Braſſavolo narrat Daniel Sennertus *l. a. pag. 192.* Meminit etiam Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. 1. Hiſt. 16. p. 27.* Dominicum Salam Patavii Theoricum ſummum mulierem quandam plethoricam per ſectionem ſalvatellæ curaſſe, cui ex angulo oculi fluebant menſtrua. Puellam viginti annorum, nondum menſtruatam, ſingulis menſibus per oculos viginti & plures guttas ſanguinis loco menſium emittentem, ſe noviſſe refert Johannes Dolæus *Encyclopæd. Chirurg. Lib. 1. cap. 10. pag. 157.* In pellionis cujusdam Deſſavienſis filia idem ſe obſervaſſe ait Chriſtianus Warlitzius *Scrutin. Lacrymar. p. 87.* E palpebris erumpentem ſanguinem communicat Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. 1. Obſ. 19. p. 85.* ipſe, inquiens, novi nautæ filiam, cui cum paulo ceſſant menſtrua, iraſciturve, ſanguis guttatim, lacrymarum inſtar, per genas volvitur ex inferiorum palpebrarum poris proveniens, præcipue vero, quando easdem detergit.

E palpebris.

§. 6.

Per aures quandoque menſes effluere, teſtatur Paulus Spindlerus *Obſ. 63. Schol. pag. 119. ſeq.* ubi honeſtæ cujusdam meminit matronæ, cui jam a novem annis menſes ceſſarant, e contra ſanguis per aures, nares & os fluxerat, & quidem admiranda & vix credenda quantitate, debilitato corpore, ſed roſeo utplurimum apparente vultu. Subſiſtente per aliquot menſes hoc fluxu ſanguinis, febri corripitur continua acuta, & ſeptima die menſtrua a tanto tempore

per aures.

tempore emanentia apparuere & per quinque dies in sat magna copia fluxerunt, hinc illa convaluit, & ab illo momento ne gutta sanguinis per illa loca, ubi alias solebat, exiit. Menses per aures excretos præcedentibus motibus convulsivis annotavit Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obs. 83. p. 316.* in virgine annorum quatuor & viginti, corporis habitu macilento, faciei colore livescente, vultu humili, quæ medio ætatis cursu fere per triennium mania, scrophulisque in collo laboravit: Hæc circa ætatis annum decimum sextum primum menstruum vectigal exsolvit, inde vero idem inordinate vel parce vidit. Postea ex toto mensibus se orbatam deprehendebat, donec febris lenta corpus invadere tentaret, convulsionesque misellam exercere, quæ sanguine ex aure sinistra fluere incipiente inducias dederunt, usque dum exacto mense, simili modo sæviendi occasionem nanciscerentur. Sanguis, qui excretus fuit ad unciam semis circiter, nigricans erat & serosus &c. Religiosæ cuidam menses ex auribus & oculis, singulis mensibus effluxisse, paragrapho antecedenti adduximus. Meminit Christophorus Fingerlinus mulieris cujusdam quadraginta annorum, quæ, postquam ante annos viginti tumorem quendam totius ventris, non quidem hydropicum, sed saltem, inclinato ad terram corpore, angustias inferentem, perpessa fuisset, post clysterem injectum, sed non redditum, enormi & stupendo sanguinis purpurei fluxu e dextra aure correpta fuit, qui singulis diebus per intervalla recurrebat. Quæ tamen sanguinis excretio non tam a mensibus, quam alia causa dependere videtur. vid. Gregor. Horst. *Oper. Tom. 2. Lib. 4. Obs. 5. fol. 153. seq.* Matrona triginta octo annos nata, semper ante fluxum menstruum ordinarium, a natura sat paucum, decimo octavo ætatis anno initium sumentem, binas vesiculas post singulas aures, prævio capitis dolore levique vertigine percipit, quæ sponte aperiuntur, effluente tantillo seroso humore citrini coloris, qui cum fluere desinit, menstrua incipiunt, sed pauca. Sunt istæ vesiculæ ordinarii appropinquantis fluxus prodromi, uti ex Chr. Franc. Paullini refert

fert Theophilus Bonetus *Mercur. compitalit. Tom. 3. Lib. 5. cap. 14. fol. mi.*

§. 7.

per nares. Per nares sæpius sanguinem menstruum non modo in virginibus, sed etiam maritatis & viduis evacuari, res nota est, idque propriæ uxoris exemplo confirmat Ambrosius Paræus *Lib. 23. cap. 52. fol. 533.* Uxori meæ, inquiens, dum virgo esset, derivabatur & purgabatur per nares menstrualis materia. Sarcinam menstrualem mulier quædam Byzantina, ætatis quadraginta annorum suppresso mensium fluxu, a multis annis per os & nares copiose deposuit, teste Johanne Jacobo Crafftio apud Guil. Fabricium Hild. *Obs. chir. Cent. 3. Obs. 12. fol. m. 193.* Ex suppressis menstruis filia cujusdam vitriarii in immodicum incidit narium profluvium: Quo intempestive, ab iracundia suppresso, protinus omnis impediti sanguinis impetus in dextrum convertebatur oculum, qui usque adeo intumuit, ut sede sua propulsus totam faciem mirum in modum deformaverit, juxta Nicol. Tulp. *Obs. med. Lib. 1. cap. 28. p. 61.* Nobilis inter Hafnienses femina post annum ætatis quadragesimum, admonente sanguinis menstrui impetu jam in mammis, sæpe in gingivis, non raro in extremitate narium pruritus invisos experta, partem odiosa titillatione molestam crebro manibus perfricare solebat, inprimis nares, ut injuriæ huic magis expositas. Quo effectum, ut evacuatio menstrua, quam alii loco naturæ leges reversare solent, vicibus statis in vestibulo narium diu exerceretur; donec Medicis exorata per iteratas venæ, malleolos pedum allambentis, sectiones in alveum suum humor solennis revocaretur, teste Olao Borrichio *Act. Hafnienf. Vol. 5. Obs. 74. pag. 174. seq.* Elisabetha M. Johannis Melchioris Gœbelii, Pastoris Wertheimensis, filia, novendecim annorum, menstrua tamen non experta, post perpessos undecim paroxysmos febriles tertianarios, febre cessante anno 1660. sexto Junii incidit in enormem hæmorrhagiam narium, sanguine e nare sinistra incessanter & ἀθρόως ultra libras octo ponderis civilis profluente, usque dum

septimo

septimo Julii media tertia pomeridiana animam exhalaret. vid. Joh. Laur. Bausch. *Proœm. hæmatol. pag. 5.* De sanguinis ad menses destinati e naribus effluxu sequentem observationem recenset Casparus Theoph. Bierlingius *Thes. theor. pract. Obs. 51. pag. 654.* Una ex filiabus scriptuariiMagdeburgensis septendecim annorum menstrualem fluxum nondum passa, singulis mensibus de ingenti capitis dolore querebatur, & in copia per nares sanguinem rejiciebat. Vigesimo vero anno fluentibus mensibus capitis dolor & hæmorrhagia remittebant. Mulier quædam patiebatur fluxum menstruorum per nares, omni mense in magna quantitate, per menses tredecim, quæ incisa vena saphena & habita purgatione curata est. vid. Reiner. Solenandr. *Consil. medic. Sect. 5. Cons. 15. fol. 488.* Sequentem observationem cum cautelis circa menagoga exhibet Johannes Nicolaus Pechlinus *Obs. med. Lib. 1. Obs. 40. pag. 94.* Ægrotabat, inquiens, quartana febre virgo jam a sedecim septimanis, & quamvis plethorica esset, nullibi fluebant menses. Vini proinde medicati usum ex Angelicæ, Zedoariæ, Valerianæ & Caryophyllatæ radicibus, & Pulegio, Centaurio, Carduo benedicto, aliisque herbis & seminibus, commendavi, quam maxime sperans, quidquid erat toto corpore seu febriculæ seu uterinæ obstructionis, sic facile solutum iri. Sed plane aliud evenit; nam durante iisq; viscerum obstructione tribus ex ordine mensibus, non per uterum, sed nares magna copia sanguis effluxit, ægram antecedente membrorum lassitudine & lumborum dolore liberans. Postea tamen invalescente æstatis calore fluidoq; aeris totum corpus, venasque perpluente, & illa quartanæ obstructio & illa uteri feliciter fuere propulsatæ, revocato ad uterum sanguine. De puella rustica, cui post mensium, per biennium rite fluentium, obstructionem, eo tempore, quo alias fluxum hunc passa fuerat, per nares sanguinem menstruum per biduum vel triduum excernente, vid. Vit. Riedlin. *Lin. medic. anno 1669. mens. Maj. Obs. 5. p. 211. seq.* De hoc menstruo narium effluxu inquit Hippocrates *Sect. 5. Aphor. 33.* mulieri menstruis deficientibus e naribus sangui-

nem profluere bonum est. De venæsectionis usu in ejusmodi extraordinario mensium fluxu scribit Johannes Muys: Helmontius, Bontekoe, aliique venæsectionem rejiciunt ubique, quibus tamen non omnino assentior; in obstructis mensibus venæsectio in pede sæpe profuit. Novi feminam quinquagenariam, cui menstrua per nares & oculos magna copia singulis mensibus profluebant: Quid fit? dum mulier hæc hæmorrhagia laborat, vena secatur in pede, & mox sistitur fluxus sanguinis in naribus, quin sic cursus illius mutatur, & qua data porta copiosius profluit. vid. Joh. Guil. Pauli *Annot. in Joh. van Horne Microtechn. §. 36. p. 499.* De muliere Bysantina, quæ menstrua retenta sæpe per os & nares excrevit, tandemque apoplexia mortua, post trigesimam sextam mortis horam sanguinem per jam dicta loca copiose ejecit, vid. Guilh. Fabric. Hild. *Obs. Chir. Cent. 3. Obs. 12. Oper. fol. m. 193.* item Amat. Lusitan. *Curat. medic. Cent. 2. Curat. 17. f. m. 145.* Joh. Schenck. *Observ. med. Lib. 4. fol. 633.*

§. 8.

per dentis alveum. De mensibus e dentis alveo stillantibus sequentia ex Joannis Rhod. *Obs. med. Cent. 3. Obs. 51. p. 146.* allegare liceat: Anno 1630. mense Majo Bononia consilii causa perscriptum ad Johannem Prævotium, vestali menses per dentis alveum erupisse: Simile quidpiam notavit Jacobus Hollerius *Com. 12. Sect. 2. Lib. 2. Aph. 18. Coac. Prænot.* Item Balduinus Ronsseus de primordiis vitæ humanæ *cap. 28.* Et Thomas Bartholinus *Hist. anat. Cent. 1. Hist. 16. p. 27.* inquit: Per dentis alveum aliæ purgatæ mulieres, si credimus Heurnio & Hollerio. Verba autem Ronsæi hæc sunt: Nos, quod supra communem hominum fidem est, Furnis municipio Flandriæ mulierem novimus, cui forte fortuna, cum elisus esset dens molaris, soliti alioqui menses supprimerentur, natura noxium illum fæculentumque sanguinem propellente singulis mensibus, ex elisi dentis vulnusculo, ita ut hinc sanguineus quidam gurges, purgationi proportione correspondens, efflueret. vid. Joh. Schenck. *Obs. med. Lib. 4. f. 633.* Dan. Sennert. *Pract. Lib. 4. p. 192.*

§. 9. Per

§. 9.

Per gingivas erosas quandoque menstruum stillare annotatum legimus, uti in virgine septendecim annorum, quæ non sine maximo incommodo singulis mensibus fluxum suum per gingivas passa est, observasse scribit Johannes Dolæus *Encyclopæd. chirurg. Lib. 1. cap. 23. p. 549.* In Pastoris cujusdam conjuge, in septimum mensem prægnante, subitanea tantaque oriebatur gingivarum hæmorrhagia, ut sanguis die noctuque, per septimanas tres continuas, tanta copia confertim efflueret, ut aliquot mensuras implere potuisset. Tandem a capite ad calcem usque maculæ succedebant sanguineæ sudorque ejusdem coloris, cum morte subsequente. vid. Gregor. Horst. *Oper. Tom. 2. Lib. 5. Obs. 17. fol. 279.* Antonius le Grand *Curios. Natur. Perscrutat. p. 70.* inquit, se in quadam ancilla sua, cui menstrua occlusa erant, ex gingivis sanguinem profundere observasse. Minime autem allegatus le Grand Autor est dicti tractatus, sed Julius Cæsar Baricellus, qui jam anno 1620. Hortulum genialem sive Arcanorum valde admirabilium tam in arte medica, quam reliqua philosophia compendium curiosis naturæ scrutatoribus utile, Coloniæ edidit, le Grand autem Francofurti 1681. prima vice prodiit. *vid. p. 77. seq.* Uxori cuidam sanguis menstruus adeo vehementer ex gingiva effluxit, ut ægre sedari posset, teste Stephano Blancardo *Collect. med. phys. Cent. 1. Obs. 69. pag. 103.* Menstruum sanguinem per gingivas manantem observavit etiam Zacutus Lusitanus *de Prax. med. admir. Lib. 2. Obs. 100. Oper. Tom. 3. fol. 66.* Nimirum juvencula ætate octodecim annorum, tempore instantis menstrui, lumborum dolore cum ventris torminibus corripiebatur. Huic apparebant in ore ulcuscula, caligabant oculi & quatuor diebus in gingivis intolerabilem pruritum sentiebat. Cessantibus his, e gingivis dentium inferiorum rivuli sanguinei, sudoris instar, biduo emanabant. De mensibus gravidæ septimo post conceptum mense ex faucibus erumpentibus, vid. Ephemerid. Acad. Nat. Cur. *Cent. 7 & 8. Obs. 48. pag. 93.* quam hæmorrhagiam Johannes Georgius Fresenius a sanguine

per gingivas.

sanguine acriori stagnante, oris, palati, gingivarum fauciumque vascula dilacerante oriundam judicat. De puella, cui non modo tertio & quarto a nativitate die cruentatio per partes genitales comparebat, sed etiam anno tertio ex febre acutissima decumbenti, aliquot ante discessum horas, aliquid sanguinis per pudenda æque ac gingivas erumpebat, vid. Joh. Bohnius *Circul. anat. physiol. Progymn. 16. pag. 243.* vid. etiam *Ephem. Acad. N. C. Cent. 5. & 6. Obs. 49. pag. 72.*

§. 10.

per vomitum. Sæpe etiam sanguis menstruus, per tempus aliquod retentus, cum vomitu per os ejicitur. Quale exemplum annotavit Baldassar Timæus a Güldenklee *Cas. medic. Lib. 4. Cas. 12. p. 211.* scilicet femina ætate quadragenaria a retento ultra biennium fluxu menstruo singulis mensibus, circa ultimam lunæ quadraturam copiosissimum sanguinem vomitu rejiciebat. Duraverunt autem hi vomitus absque ullo valetudinis incommodo, usque ad quadragesimum octavum ætatis annum, quo sponte desierunt. Gravida sutoris cujusdam uxor statis temporibus menstrua vomitu ejecit; & alia gravida sat plethorica ob protractam diutius venæsectionem vomitibus ferme continuis laboravit. vid. Vit. Riedlin. *Obs. 98. pag. 228.* & secundum observationem hujus Riedlini parentis, ejusdem nominis, anno 1654. mulier quædam juvencula Geislingensis, mensibus ex balneo obstructis, per vomitum sanguinem rejicit; dolores etiam insignes artuum cum impotentia ad motum patitur, maculæque cruentæ hinc inde sparsæ in crure dextro erumpunt; eadem vero sectione venæ saphenæ in crure sinistro paulo ante consuetum menstruationis tempus administrata restituta est. Mercatoris Ferrariensis filia, viginti quatuor annorum, a tribus mensibus suppressionem menstruorum passa, bis misso e vena pedis sanguine, vomitu sanguinis tentatur per vices, ita ut intra quatuor dierum spatium libras pene quatuor cruoris evomuerit &c. *v. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. 1 & 2. Obs. 41. p. 110.* Mensium vomitu rejectorum quoque paulo ante ex Johannis Jacobi Harderi

Harderi Apiario *Obs. 82. p. 314.* mentionem fecimus. Annus volvebatur, ex quo solitæ mensium purgationes mulieri Hafniensi subsistebant. Statis vero mensium vicibus vomitum sanguinis, satis subinde grumosi, patiebatur. vid. Thom. Bartholin. *Cent. 5. Histor. 32. p. 54.* Virgini suppressis mensibus sanguinis vomitionem superveniſſe refert Rembertus Dodonæus *Obs. med. cap. 26. Schol. p. 67.* Urgebatur mulier acerbissimo capitis dolore, propterea quod menstrua non provenirent: Verum his demum vomitione propulsis, ilico sublatus est dolor. Sed cum id iterum iterumque ac sæpius factitasset, demum sanguinis missione ex venula, quæ sub talo est, menstrua ex naturali loco rite postmodum profluebant. vid. Ant. Beniven. *Obs. med. cap. 41. p. 197.* Puellam quandam menstrua tempore cujusvis purgationis menstruæ vomitu magna quantitate ejicere vidit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obs. rar. Cent. 2. Obs. 17. p. 196.* Molinettus Venetiis vidit sutoris uxorem, inter pulcherrimas relatam, quæ statis temporibus menstrua ad quinquagesimum usque annum vomitione ejecit, nihilominus tamen plures filios peperit. vid. Joh. Gothofr. Berger. *Physiol. cap. 20. p. 252. seq.* Mulier Florentina, cum intolerabili capitis dolore ex retentione mensium affligeretur, his vomitu ejectis convaluit: Et ne moribus iterum increscerent, saphenæ sectione sibi cavit, juxta Joh. Langii *Epistol. medic. Lib. 1. Ep. 40. p. 173.* Religiosa virgo Franciscana triginta annorum ab aliquo tempore imminutam menstruorum fluxionem observavit, quam omnimoda suppressio subsequuta fuit, unde tandem sanguis per superiora exitum sibi acquisivit, curata tamen a Bernhardo Verzascha *vid. ejusd. Obs. 13. p. 34. seq.* Vomitum sanguinis menstruum patiebatur femina nobilis, octo & triginta annorum, temperamento corporis sanguineo. Inciderat in hunc vomitum ante sex menses, cum ipsi vigente bruma iter facienti menses fluerent, tunc enim refrigeratis partibus inferioribus in suppressionem mensium incidit; vomebat autem ordinarie ad quatuor libras. Absque tamen medicamentis interioribus, sed balneis, suffitu & venæsectione

in talo, menses cessante sanguinis vomitu naturales requirebant vias, teste Alardo Hermanno Cummio *M. N. C. Dec. 1. An. 1. Obs. 95. p. 224.* Puella quindecim annorum purum sanguinem evomuerat, dimidio vero anno post prima vice illi effluxere menses: Inde omnino suppressos frequenter & abundanter eructare cœpit. Fluxu adaucto tunditur illico, præmissis dextri cruris frictionibus, pedis saphena: A qua cessavit plane perversa illa excretio. vid. Joh. Nic. Binninger *Observ. Cent. 1. Obs. 55. p. 61.* Mulier quædam Judæa levi de causa ira excandescens anno 1696. quo tempore fluxu laborabat menstruo, ita offensa erat animo, ut præ nimia excandescentia sanguinem menstruum magna in copia evomeret, superveniente lipothymia frequenti &c. vid. Rosin. Lentil. *Miscell. med. Part. 3. p. 300.* Sequentem historiam communicat Georgius Ernestus Stahl *de Mot. tonic. A. 4.* Virgo viginti annorum, habitus corporis sanguineo-phlegmatici, animi admodum sensibilis, fluentibus mensibus, dum cœnæ assidet, & saturata propemodum est, nuncio quodam præter modum adverso in terrorem & iracundiam præceps acta, de mensa quidem surgit, sed statim cardialgia suffocativa semel iterumque correpta, in vomitus denique solvitur, menses subsistunt. *Datis medicamentis* dies sequentes quietos transiget. Elapsis tribus septimanis quoties edit, revomit; dies duos, tres, quatuor; mox invalescit vomitus, etiam vacuo ventriculo, ter, quater de die, bis, ter de nocte: Vomit sanguinem sub finem septimanæ, fluunt menses, sed decolores, pauci, ultra duodecim horas non continuantes. Cum his tamen cessat vomitus, redit appetitus, vires, omnia tolerabilia. Tribus septimanis elabentibus, vomitus redit, primo assumtorum, mox vacuus, tandem sanguinis: Sub finem, mensibus apparentibus cessat. Omnia hæc periodice ultra annum ita durant &c. Femina lepra Græcorum gravissime laborans instantibus mensibus sanguinis nonnihil fœtidi per fauces interdum reddidit, & postea copiosior sanguis reddi cœpit singulis mensibus per hanc viam, fluxum concomitante angina, uti refert Ido Wolfius

Observ.

Observ. Chir. med. Lib. 1. Obs. 20. p. 68. De vetula septuagenaria ab adolescentia menses per os ejiciente, vid. Dominicus Panarolus, *Pentec. 1. Obs. 6. p. 4.* scilicet dicta femina cum ab adolescentia nunquam menstruata fuisset, incidit in febrem, cum maximis ventris infimi doloribus, donec large effluxo sanguine per vomitum sanata fuerit; verum singulis mensibus usque ad dictam ætatem semper hoc modo menses excrevit. Virgo unius & viginti annorum, plethorica, corripitur aliquando, post diuturnam mensium suppressionem, improviso vomitu sanguinolento, per tres dies continuante, unde de salute sollicita vicinis rem explicat, qui ad compescendum vomitum aqua menthæ simplici utatur suadent, quorum consilio obtemperat & vomitum hoc remedio feliciter compescit. At mense elapso sanguinolentus hic vomitus iterum redit, quem & vulgari hoc medicamento iterum sistit, eodemque subsequente mense iterum redeunte, ad consuetum hoc medicamentum tanquam ad sacram confugit anchoram, illudque toties, quoties ab hoc vomitu sanguinolento affligitur, repetit &c. juxta relationem Benjamini Scharfii *M. N. C. Dec. 2. An. 2. Obs. 101. p. 251.* Feminæ febricitanti menstrua durante morbo rite fluxerunt, præterquam decolora: Post duas hebdomadas incidit in mensium per os redditionem desubito, scalam forte scandens. vid. Rosin. Lentil. *Iatromnem. cap. 5. pag. 13.* Menses per stomachum & os rejici, quater se in praxi expertum esse scribit Benjaminus a Brœckhysen *Oeconom. corpor. animal. Art. 45. p. 64.* Chirurgus viduæ, cujus menses restagnantes per os exitum vomitu sanguineo quærebant, exhibuit adstringentia cum opio, ubi quæ modo sana visa & brevi ante cibum assumserat, vita decessit, uti ex Georgii Wolfg. Wedelii Opiologia refert Johannes Mauricius Trillerus *de Offic. medic. præsent. contraindicat. pag. 28.* Plura exempla reperiuntur apud Joh. Schenck. *Obs. medic. Lib. 4. fol. 634.* Martin. Ruland. *Curat. Empir. Cent. 3. Curat. 4. pag. 160.* Stephan. Blancard. *Collect. med. phys. Cent. 1. Obs. 69. p. 102. seq.* Vit. Riedlin. *Linear. med. an. 1695. Febr. Obs. 12. p. 44.* Ephemerid. Acad. Nat.

Curioſ. *Cent. 5 & 6. Obſ. 54. Sch. p. 85.* Gregor. Horſt. Obſerv. *Lib. 5. Obſ. 3. Tom. 2. fol. m. 265.* Georg. Phil. Nenter. *Phyſiol. Introd. p. 41.*

§. 11.

ex pulmonibus. Quandoque etiam menſes ex pulmonibus cum vel ſine tuſſi per os rejiciuntur. Ex pulmonibus ſanguinem prodiiſſe in Catharina filia Franciſci Chardon ob diu ſuppreſſa menſtrua obſervavit Johannes Schiffletius, vid. Thom. Bartholin. *Cent. 5. Hiſt. 32. pag. 54.* Patavii mulier ſingulis aut alternis menſibus impune ſanguinem exſpuit: Imo ceſſante hac vacuatione graviter ſe habuit. Menſtruo fluxu quin etiam ſuppreſſo, ſanguinis ſputum biduo vel triduo inceſſit, ſine omni pectoris offenſa. vid. Joh. Rhod. *Cent. 2. Obſ. 30. p. 70.* Hæmoptoen ex menſium ſuppreſſione feliciter curatam annotavit Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 81. p. 310. ſeq.* ſcilicet Barbara Eglin ſeptendecim annorum ſtrumoſa ſanguinis ſputum levius, citra tuſſim per intervalla patiebatur, deinde, cum a ſeptendecim ſeptimanis menſtruo flore deſtituta fuiſſet, hæmoptyſis acrius ingruebat, ipſaque ægrota fatebatur, ſe inſtante periodo ſolenni ſanguinis eruptionem copioſius ſenſiſſe, præprimis quod vaſa ſanguine utcunque turguerint, jam autem tuſſim, quæ prius aberat, juxta vexare cum reſpirandi difficultate, ſanguinemque floridiſſimum ejici. Curationem vide ibidem. Ejusmodi obſervationes reliquit etiam Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſerv. Phyſico-med. Lib. 1. Obſ. 43. pag. 97. 99.* nimirum Paſtoris pagani conjux, cum olim quindecim annos nata florem virgineum experta eſſet & biennium ſervaſſet, octavo decimo ætatis anno deſtitui ab iis cœpit; at vix trium menſium requies, cum ebulliens in venis ſanguis exitum quæreret, & tandem in pulmones tanto impetu deſpumaret, ut intra viginti quatuor horas tres cantharos vivi liquidive ſanguinis iteratis tuſſiculoſis paroxysmis rejiceret; poſtea ſemper incolumis vixit. Alteri feminæ, quæ & ipſa ex menſium obſtructione in magnam inciderat hæmoptoen, jamque quartarium emiſerat ſanguinis, cum major ebullitio periculum minaretur, venæſectionem ſuaſit Pechlinus in pede, eam-

que

que liberaliorem, & sane ad uncias duodecim missus sanguis invitante huc mirifico fluentis æstu, præsentaneo auxilio fuit; vix enim duæ horæ transierant, cum a tribus mensibus sufflaminati vias repeterent. Porro allegatus Autor ibidem *pag. 100.* exemplum refert mulieris triginta duos annos natæ, quæ simul cum fluentibus menstruis in hæmoptoen, vehementi tussi comitatam, incidebat, purumque sanguinem rejiciebat. Quam ultimam observationem etiam in *M. N. C. Dec. 1. An. 9 & 10. Obs. 27. pag. 81. seq.* reperire licet. Pro muliere pariter triginta annorum, vidua, hæmoptysi periodica a retentione mensium laborante consilium medicum & curam conscripsit Rosinus Lentilius *Miscellan. med. pract. Part. 1. p. 118. seqq.* Matronam optimam novit Thomas Bartholinus, sanguinem floridum tussi rejicientem tempore menstrui fluxus, quanquam satis copiosi, quia sanguine corpus abundabat. Tussi arida imminentem hæmoptysin præsentiebat. v. Act. Hafn. *Vol. 2. Obs. 7. p. 10.* Sequentem observationem communicat Christophorus Benedictus *Theatr. Tabitor. Exercit. 14. p. m. 45.* Virgo succulentior, cui menstrua non fluxerint, obturatis per mucositates meatibus uterinis, stato extrusionis circuitu, sanguinis copiam tussi rejecerat; horis vero matutinis, quam primum expergefacta fuerat, puris tantundem: Quo per triduum aut quatriduum peracto libera ac secura remansit. Quod multis ingruente menstruali excretione accidisse compertum est. Pictoris Servestani uxori sistebantur menses & catarrhum incurrebat. Restitutæ vero post spatium annuum sistuntur menses rursus, illa negligit. Succedit tussis, hinc sputum sanguinis. Cura methodica neglecta invalescit illud eo imprimis tempore, quo menses antea fluere solebant. Unde tandem exulceratio pulmonis & mors, juxta Philipp. Salmuth. *Cent. 2. Obs. 18. p. 67.* de hæmoptysi menstrua in gravida observationem communicat Michael Alberti *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. 9 & 10. Obs. 38. p. 325.* Bina exempla hæmoptysis simul cum menstruatione apparentis, recenset Ehrenfridus Hagendornius *Histor. med. physic. Cent. 1. Hist. 93. p. 134.* & primo qui-

mo quidem in sartoris cujusdam Gœrlicensis uxore quadragenaria circiter; item in virgine nobili, triginta circiter annos nata, quæ ambæ per tempus bene longum solito tempore hæmoptysi conflictatæ quovis mense menstrua quoque viderunt. Inquit etiam Nathanael Highmorus *de Passion. hyster. cap. 8. p. 86.* se plures noviſſe feminas, quibus ætate juvenili, diu mensium suppressione laborantibus, cum per uteri vasa postea natura evacuationem conata fuerit, quavis levi occasione, aliquando nulla evidenti causa, in ipso profluvii initio, sanguis in momento pene ad superiora recurreret, neglectisque tramitibus ordinatis, vel pulmones & cor aut cerebrum impetuose peteret.

§. 12.

per sputum. Per sputum cruentum menses, per tempus suppressos, evacuatos annotarunt Medici; refert enim ex Erasistrato Johannes Langius *Epistol. medic. Lib. 2. Epist. 10. p. 541.* ancillam ex insula Chio, cui fluxus mensium diu substiterat, statis mensium periodis sanguinem abunde exspuisse. Quod etiam Nürimbergæ virgini de stemmate patritio accidisse, ibidem addit: Loco etiam menstruæ purgationis per sputum cruentum, idque copiosum, *menstruis præsentibus, evacuatas feminas fuisse,* ex Oethæo refert Johannes Schenckius *Obs. Lib. 4. fol. 634.* Puris sputum menstruum annotavit Alhardus Hermannus Cummius in matrona quadam nobili, quæ singulis mensibus semel puris sputo laborabat, adeo, ut sæpissime ad tres libras puris fœtidissimi rejiceret: Bene interim se habebat & formosa erat, neque etiam tussi vexabatur, nisi quando periodicum hoc immineret sanguinis sputum: Menses tamen parce fluebant. vid. *M. N. C. Dec. 1. An. 1. Obs. 94. p. 223.* Periodicum

ex ductibus salivalibus. menstruorum fluxum ex ductibus salivalibus in rustica quadam virgine, cui per integrum vitæ cursum ne gutta sanguinis ex utero effluxerat, observavit Joh. Bened. Grundelius; dictæ autem virgini ordinario fluxus menstrui tempore, & quidem utplurimum in ipso novilunio, caput incipiebat dolere & calere, altero autem die sentiebat copiosiorem salivæ affluxum sanguine permixtum,

per

per quatuor, quinque subinde etiam plures dies durantem, dolore capitis interim cessante. Talem periodum singulis mensibus ab anno decimo quinto usque ad quadragesimum octavum sine interruptione experta est. vid. *M. N. C. Dec. 3. An. 7 & 8. Obs. 87. p. 150.* Uxori cujusdam sutoris sexaginta duos annos natæ, cum per aliquot septimanas male se haberet, cum gravi capitis dolore, appetitus dejectione, respirandi difficultate membrorumque lassitudine, subsequente insuper oris intumescentia & quadam loquendi impotentia, tandem menses, qui jam per aliquot menses substiterant, fluere cœperunt, tam per ductum ordinarium, quam extraordinarium, os scilicet, ita quidem, ut per duos dies continuos sanguinem sputando ejiceret, & hoc ipso imminens suffocationis periculum avertere necesse habuerit &c. juxta observationem Johannis Laurentii Fehr. vid. Theoph. Bonet. *Medicin. Septentr. Part. 2. Lib. 4. Sect. 2. Obs. 11. fol. 22.* Sputum cruentum in femina quadam, quoties ad quintum mensem gravida, singulis alias catameniorum imminentiis, & ultima vice usque ad partus ultimum terminum se observasse scribit Johannes Bohnius *de Offic. medic. duplic. Part. 1. cap. 20. p. 416.* Sanguinem quasi menstruum simul cum sputo crebrius ejecisse dicitur rustica, quæ abortum seu partum bimestrem, secundinis obvolutum, per vomitum rejecisse scribitur a Justino Ortholpho Maroldo *M. N. C. Dec. 1. An. 1. Obs. 108. pag. 245. seq.*

§. 13.

per venam jugularem.

In femina gravida Hallensi binis vicibus colli latere dextro spontaneam venæ jugularis rupturam observavit Fridericus Hoffmannus, parens, uti Fridericus Hoffmannus, filius, *Annotat. in Petr. Poter. Obser. Cent. 2. Obs. 56. Oper. pag. 211.* ex ipsius parentis analectis practicis recenset.

§. 14.

per genam & manum.

De guttis sanguineis ex gena manuque menstruatæ feminæ provenientibus sequentem observationem refert Thomas Bartholinus *Histor. anat. Cent. 1. Hist. 13. p. 22. seq.* Honestissima & speciosæ

cioſæ formæ femina, habitu plethorico & a copia ſanguinis doloribus capitis ſæpius afflicta, quia ordinatus ſubinde menſium fluxus parcior juſto eſt, ſæpius facto experimento obſervavit, ſi menſtruorum tempore leviter cutem ſiniſtræ manus aut dextræ genæ fricet, guttulas ſanguineas cum impetu ſaltuque prolici. In femina quadam per manum ab Eryſipelate exulceratam Stephanus Blancardus anno 1680. durante curationis tempore ſanguinem menſtruum duabus vel tribus vicibus prodire vidiſſe ſcribit *Collect. med. phyſ. Cent. 2. Obſ. 59. p. m. 203. ſeq.* Sequentem obſervationem refert Jean Baptiſte Verduc *de l'Uſage des Parties Tom. 1. cap. 16. p. 241.* item dans la ſuite de la pathologie de chirurgie *cap. 46. p. 1112. ſeqq.* Une jeune fille s'étant coupée à la main droite le muſcle tenar, qui eſt au-deſſous du pouce, elle negligea d'abord cette bleſſure, elle la traita de bagatelle: Et le mal augmentant, elle fut obligée d'employer pluſieurs onguents, qui ne faiſoient qu'irriter ſon mal: Elle eut recours aux chirurgiens, ils firent tout ce qu'ils pûrent, mais tous leurs ſoins furent inutiles; car la nature, qui cherchoit pour la premiere fois une iſſuë pour la ſortie du ſang menſtruel, en ayant trouvé une ouverte par la main de cette fille, il continua ainſi à couler tous le mois; ce qui empechoit la playe de ſes fermer &c. Hæc & reliqua ibidem ſubſequentia ipſiſſima verba ſuo tractatui *de Partib. femin. p. 113. ſeq.* inſeruit Jean Palfyn. Eſt autem hæc obſervatio ex Theodori Kerkringii Spicilegio *Obſ. 86. p. 166.* deſumta, cujus obſervatio agit de menſtruis per manum dextram fluentibus: In pago ſcilicet juxta Harlemum, qui Blommendael dicitur, & linteorum ad ſolem dealbandorum laude per Belgium eſt celebris, inter eas puellas, quæ lavandis & ſoli exponendis linteis dant operam, quædam, neſcio quo infortunio, dexteram læſerat in muſculo pollicis: Primum neglectis, deinde ſuggeſtis a vetulis remediis vulnus non curatur, ſed quotidie abit in pejus: Advocati deinde Chirurgi adhibent artis ſuæ tentamina, ſed irrito conatu: Dum inter remedia ingraveſcit malum, matureſcit virgo & fœcunditatis florem efferre molitur

litur natura, & extulit, sed via non sua: nam cum subito ex manus vulnere copiosus fluere inciperet sanguis, is in stuporem dedit Chirurgum vulneri medicando adhibitum, qui stupor auctus est, & sese dispersit in plures; quando alterum post mensem idem rediit paroxysmus, & porro singulis mensibus stato menstruorum tempore sanguis e dextra fluere perseveravit, vulnere interim ad omnia remedia pervicace: Cum illud grave videretur incommodum puellæ linteis mundandis victum quæritanti, attamen a Kerkringio cum intrinsecis, tum extrinsecis remediis eo res perducebatur, ut sanato propemodum vulnere, jam non pateret sanguini ea via tam facilis effluxus: Tum illa in febrem gravissimam incidit, quæ cum nullis remediis cederet, & vitæ minaretur periculum, dictus Kerkringius venam brachii pertundi jussit, apertoque rursus majore hiatu vulnere, sanguis iterum per illud fluere incipit; & autor fuit puellæ, ut, si vita ei esset dulcis, potius cum isto incommodo viveret, quam per periculosas sanationes extingueretur, remque naturæ commendaret, quæ si honesto adjuvaretur matrimonio, forte alio cursum flecteret. Per minimum manus digitum, & per annularem sinistræ manus singulis mensibus sanguinem profundi, non copiosum, in religiosa quadam femina, cui natura menstruam purgationem per uterum denegaverat, se ter vidisse, scribit Ludovicus Mercatus *de Mulier. Affection. Lib. 1. cap. 7.* in Israel. Spach. Gynæc. *fol. m. 819.* Et, juxta Samuelis Ledelii observationem, mediæ sortis virgo viginti annorum instante fluxu menstruo sese profunde vulnerat in digito, cum effusione copiosissimi sanguinis, silente debito lunari. Quatuor quadris lunæ exactis, nulli menses erumpunt, sed vulnus de novo plorat sanguinem copiosum: Nam domestica & vulgaria remedia hucusque applicata, nondum vulnus coalescere fecerant. Altero mense idem experitur fatum, nec cum tertio desiit hic fluxus digitalis. vid. *M. N. C. Dec. 2. An. 8. Obs. 86. p. 199. seq.* ubi dictus Autor hanc reddit rationem: Archæus, dum exclusioni sanguinis fuit intentus, in opere per improvisam vulnerationem turbatus,

per digitos.

batus, oblitus sui officii, qua data porta sanguinem effluere sivit, nec indictus hic relinquendus terror, qui suum etiam contulit, commovendo massam sanguineam. Mulier quædam triginta quatuor annos nata post infantis ablactationem, menses tantum per intervalla inordinata, dehinc per aliquot menses quotidianam narium hæmorrhagiam patiebatur; hacque demum subsistente, dormienti circa noctis meridiem sponte aperta vena in carpo sinistro pollici imminens, cephalica manus dicta, confertim effudit sanguinis copiam ingentem &c. vid. *M. N. C. Dec. 2. An. 6. Obs. 166. p. 336. seq.* secundum observationem Johannis Mauritii Hoffmanni.

§. 15.

ex pedibus. Ex pedibus fluentes menses hinc inde notatos reperimus, v. g. Ancilla cujusdam viri apud Haffnienses reverendi, operibus culinariis defatigata, in pedum tumorem incidit, quo rupto diligenterque expurgato ulcere convaluit. Instante vero mensium periodo solita, sponte sua tumor rursum disruptus sanguinem copiose profudit, quod sæpius eodem modo contigit. vid. Thom. Bartholin. *Cent. 1. Histor. 16. p. 27.* Anno 1650. mulier Neostadiensis Swalbaci fuit, cui ex cruribus menses fluebant, vid. Greg. Horst. *Op. Tom. 2. Lib. 5. Obs. 3. fol. 265.* E rusticæ cujusdam robustæ & in trigesimo ætatis anno constitutæ, pedis sinistri, pollicis parte interna pulposa, juxta unguem rivulus sanguinis meri menstruatim emanabat, teste Zacuto Lusitano *Prax. Histor. Lib. 3. cap. 10. Oper. Tom. 2. fol. m. 486.* Johannes Baptista Sorcinus mulierem norat, cui menses nunquam fluxerant, sed imminente huic purgationi tempore consueto, magna sanguinis copia e dextra tibia erupit, aperta ulceris crusta. vid. Joh. Rhod. *Cent. 3. Obs. 50. p. 145.* Puella muta & contracta a prima nativitate, annum agens decimum septimum, ad genu dextrum inflammationem patiebatur, per cujus suppurationem & menses fluebant; licetque optime topicis tractaretur, ulcusque rursus coalescere videretur, menstrui tamen tempore rursus approximante, de novo plurimum saniei fundebat

bat ulcus, ut natura hanc appetere viam videretur. v. Vit. Riedlin. Parent. *Obs. med. Cent. 3. Obs. 63. p. 369.* Virgo quædam octodecim annos nata in sinistro genu duplex apostema ex utraque parte, unum a prima juventute a natura effictum gestans, anno ætatis decimo nono menstrui fluxus suppressione laborare cœpit; sed mox præfinito menstruorum tempore per apostematis interioris foramen sanguinem in sufficiente copia effluentem percepit, dein & vomitum sanguineum, quem fluxum jam singulis mensibus per loca ista insolita redeuntem totius anni spatio experta est, referente Simone Schultzio *M. N. C. Dec. 1. An. 4 & 5. Obs. 75. pag. 63.* Virgo sedecim annos nata, quæ nihil adhuc dum lunæ solverat, incidit in tumorem pedum œdematosum. Accidit autem, ut post operas domesticas cursitationesque crebras erysipelas crus dextrum invaderet, quod in malignum ulcus degeneravit. Demum accersitus Chirurgus, ut nudum os tibiæ atque hinc inde sphacelatum & musculorum gastrocnemiorum magnam partem absumptam videt, ægre ac precibus ad curam adductus, post quatuor septimanarum industriam, cum omnia ad consolidationem spectarent, ex improviso curationem per copiosum & vehementem ichoris sanguinei ex ulcere effluxum abrumpi observat. Durabat ille fluor ipsos sex dies, quibus recens natæ carnes ita humescebant, ut vix post tres septimanas exsiccari, & ad priorem soliditatem reduci possent; reducebantur tamen; sed vix mensis a primo fluxu abierat, cum identidem novus & antecedenti quam similis fluor carnes pene coalitas dissolveret, & curationis molestiam renovaret, donec rursum mensis spatio idem ichor incumberet, spem plenæ sanationis frustratus. Quæ tamen postea, menstruo fluxu per certa decocta in ordinem redacto, feliciter absolvebatur, juxta Joh. Nic. Pechlin. *Obs. phys. med. Lib. 1. Obs. 39. p. 91. seq.* In ancilla quadam sanguinem menstruum ex suris provenire vidisse inquit Stephanus Blancardus *Collect. med. phys. Cent. 1. Obs. 69. p. 102. seq.* Ex profundo pedis ulcere menstrua prorumpere in nosocomio Lugdunensi observavit Michael Bernhardus Valentini,

vid. *M. N. C. Dec. 2. An. 5. Obſ. 81. p. 186.* vid. etiam ejusdem *Noſocom. Acad. Caſ. 11. §. 2. p. 622.* De coxarum feminæ apoſtemate, e quo menſtrua ſingulis menſibus profluebant, vid. Joh. Bapt. a Lamzweerd. *Append. ad Armam. chirurg. Joh. Scultet. Obſ. 97. p. 282.* Hæmorrhagiam menſtruam per talum in femina agreſti, ætatis anno trigeſimo quarto tertium gravida, annotavit Alhardus Hermannus Cummius, *M. N. C. Dec. 1. An. 1. Obſ. 96. p. 224. ſeq.* poſt primam ſcilicet menſium retentionem ſtatim pati incipiebat dicta femina ſanguinis profluvium, ex poplite ſiniſtro periodicum, quo primis menſibus tanto impetu ſanguis erupit, ut de eo vel potentiſſimis remediis ſiſtendo cogitaret, ſed poſt tertium prægnationis menſem citra ullum impetum & ferme guttatim tantum ſanguis promanabat. Sanguis autem fluebat continuo ſine ulla intermiſſione noctu æque ac interdiu, donec periodus, quæ tribus primis menſibus trium dierum naturalium & ſex horarum ſpatio terminabatur, poſt duorum dierum & aliquot horarum, ſemel tantummodo unius diei & decem horarum ſpatio durabat, abſolveretur &c.

Obſervatio. Anno 1694. ſutoris Dresdenſis uxor, triginta duorum annorum, femina evſarca & procera, tunc temporis gravida, ſeptimo geſtationis menſe ſuper glacie ambulans ex infortunio in terram proſtrata, in ſiniſtro pede utriusque oſſis, tibiæ ſcilicet ac fibulæ, fracturam patiebatur, adeo ut feſtuca diffracti oſſis ad digiti fere longitudinem extra cutem circa talum promineret. Hæc fractura non modo ægrotanti multum doloris, ſed Chirurgo quoque plurimum laboris cauſabatur, ſiquidem ingens totius ſuræ ad genu usque ſe extendens tumor inflammatorius ſuperveniebat, ex quo paulo poſt aperto non ſolum magna puris copia, ſed feſtucæ quoque atque fragmenta oſſium variæ magnitudinis prodibant & extrahebantur. Quibus remotis vulnereque purificato omnia in meliorem ſtatum rediiſſe videbantur, niſi quod circa talum foramen ad dimidii groſſi magnitudinem, nullo modo occludendum, per longum tempus remaneret, ex quo tum ante partum duabus vicibus, & quidem poſt plenilunium, ſanguis per tres vel

quatuor

quatuor dies, tum etiam post partum lochia profluebant. Imo cessante hoc sanguinis effluxu per tres circiter septimanas magna lactis copia, iterumque per aliquot dies sanguis, & per vices denuo lac per dictum foramen derivabatur, donec tandem lac penitus evanesceret, ipsaque mater, ut lac nato præberet, non amplius sufficiens esset. Hoc proinde exsiccato, mensiumque fluxu, post idonea medicamenta, per ordinarium locum redeunte, dictum foramen, ob utriusque liquoris, sanguinis scilicet & lactis, affluxum tam diu apertum, intra parvum temporis spatium consolidabatur, ipsique ægrotanti successive sanitas restituebatur. Puella cacoethes experta est ulcus in pede sinistro, per quod statis temporibus menses effluxere: Is quasi emortuus abscissus est super genu, tandem convaluit, & menses recte eruperunt post amputationem, uti ex Esaiæ Meichsneri observationibus refert Johannes Schenckius *Obs. med. Lib. 4. fol. 635.*

§. 16.

Per vesicam cum urina uxori cujusdam civis Servestani, & *per vesicam.* quidem gravidæ, statis & justis temporibus, seu intervallis, & satis sufficienti quantitate, menses movebantur, referente Philippo Salmuth *Obs. med. Cent. 3. Obs. 36. p. 128.* Religiosam virginem curavit Brassavola, quæ singulis mensibus sanguinis mictum habebat, & illi menses defecerant; expurgabatur autem per urinam, quia solum, dum mingebat, exibat sanguis, aliter vero non exibat. vid. Joh. Schenck. *l. a.* Celeberrimi quoque mercatoris Dres- *Observatio.* densis uxori, tempore mortis mariti sui menstruatæ, præ mœrore tributum hoc lunare ex tempore cessabat, post trimestre vero spatium, assumtis idoneis medicamentis, equidem redibat, maximam tamen partem per vesicam exitum quærebat. Tempore enim ordinario redeuntes menses unam vel alteram horam per loca ordinaria, mox vero & quidem toto reliquo tempore ordinario per vesicam cum urina prodibant, donec tandem præterlapso annuo spatio omnia in ordinem redirent. Uxor civis cujusdam Hafniensis honesta & juvencula, loco mensium, cruen-

tum lotium ſtatis menſtruisque viciſſitudinibus mejit, cum iisdem ſymptomatibus, quæ alias ſolebant menſium eruptiones præcedere, dolore præterea circa veſicam, ut urinam continere eſſet difficile, quæ incontinentia exacto fluxus menſtrui termino deſiit, uti ex propria obſervatione refert Thomas Bartholinus *de inſolit. Part. viis cap. 5. p. 38.*

§. 17.

per alvum. Per alvum & vaſa hæmorrhoidalia menſtruus quandoque ſanguis evacuatur, quale exemplum refert Georgius Wolfgangus Wedelius de femina unius & quadraginta annorum, quæ ab octo annis menſes per uterum non viderat, ſed ſemper per anum. Dixit autem hæc femina, ſe a partu exantlato primitus hoc præpoſtero fluxu tentatam & habitis medicamentis quaſi reſtitutam fuiſſe. Sed, cum ingravidata denuo eſſet, iterum priſtina legiſſe ſanguinem veſtigia, quod quidem tolerabile eſſet, niſi immodico & nimio exeuntis ſanguinis diſpendio vires labaſcerent. vid. *M. N. C. Dec. 1. An. 3. Obſ. 24. p. 41.* Puella contumaci menſium laborabat ſuppreſſione; ne tamen natura ſub iſtius excernendi ſanguinis cruore ſuccumberet, una cum alvinis fæcibus aliquam ſanguinis quantitatem excernere ſolita eſt; ſic & hoc modo naturæ ſatisfactum, ut quæ ſemper ſuæ conſervationi ſtudet, juxta Johannis Ludov. Hannemanni obſervationem. *vid. M. N. C. Dec. 3. An. 5 & 6. Obſ. 197. p. 457.* Johannes Rhodius *Obſ. med. Cent. 2. Obſ. 93. p. 101.* Patavinæ mulieris meminit, quæ ſuppreſſis menſtruis quatuor menſes integros ultra quatuor ſanguinis uncias quotidie per hæmorrhoides excrevit. De duabus mulieribus nobiliſſimis, jam quatuor menſes in utero habentibus, quibus tamen utiliter fluxerunt hæmorrhoides, vid. Scholiograph. in Jacob. Holler. *de Morb. intern. Lib. 1. cap. 51. p. 157.* Puellæ cuidam ſexdecim annorum, eximiæ formæ, ob genitalia, a natali clauſa, menſes & urina ordinarie modo ſolitarie, modo cum cæteris fecibus, per alvum ſine moleſtia fluxiſſe refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec. 2. An. 7. App. p. 161.* vid. etiam ejusdem *Tract. de Aſm.*

Sect. 4.

Sect. 4. cap. 3. p. m. 253. Idem Autor etiam novit Baronem illustrissimam, cui licet menses rite haberent, interdum hæmorrhoides tanta fluebant copia, ut eas medicamentis sistere, necessum fuerit. vid. *M. N. C. Dec. 3. An. 5 & 6. App. p. 99.* Anno 1669. femina summe cachectica dysenteria defungebatur, cui ordinarie menses per alvum fluebant; dixit autem, se male olim in partu tractatam, unde nova via menses eruperint, relicta veteri, uti ex Epistola Wedelii recenset Thomas Bartholinus *Act. Hafn. Vol. 2. Obs. 34. p. 138.* Ibidem etiam *Vol. 1. Obs. 81. p. 165.* Casparus Kœlichen honestæ matronæ meminit quinquagenariæ, quæ post febrem continuam malignam sanitati restituta, paulo post maxime debilis convulsionibus tentabatur; vocato autem Medico, de causa hujus tam subitæ imbecillitatis quærenti, respondebant adstantes: Dictam matronam, postquam menstruus ille fluxus, sequiori sexui alioquin familiaris, ipsam defeciisset, singulis mensibus per aliquot dies & quidem sine ulla debilitate, aut sanitatis dispendio, laborare fluxu hæmorrhoidali, jam vero consueto quidem tempore, sed copiose admodum ipsi fluere hæmorrhoides, ut de vita periclitaretur. Præscripsit ergo Medicus decoctum sanguisorbæ pro potu ordinario, & sic stitit fluxum illum enormem. Rhedarii uxor, sexaginta quatuor annorum, non modo olim, mensibus non minus fluentibus, hæmorrhoidum fluxum passa erat, sed etiamnum in dicta ætate eadem laborabat, licet naturalis mensium terminus dudum cessaverit, annotante Georgio Wolffg. Wedelio *M. N. C. Dec. 1. An. 3. Obs. 22. p. 39.* Daniel Sennertus etiam novit nobilem feminam, corporis constitutione sanguineam, affectioni tamen hypochondriacæ obnoxiam, quæ singulis mensibus ordinarie, & quidem die post menstruum fluxum decimo quarto hæmorrhoides patiebatur. vid. Sennert. *Pract. Lib. 3. Part. 2. Sect. 2. cap. 13. p. 418.* Mensium & hæmorrhoidum fluxum alternatim factum observavit Christianus Franciscus Paullini, & quidem militis uxori, annorum & octo & viginti, quæ intra novi- & plenilunium tres quatuorve dies fluxum habebat menstruum ordinarie &

rie & satis copiose. Intra plenilunium postea usque ad novilunium continuo fere, at non semper fluxere hæmorrhoides, & sic alternatim ad septimum usque mensem, viribus adhuc robustis. Lapsa deinde casu in Visurgim, ex terrore menses sensit suppressos, fluxu hæmorrhoidum vero sequente largiori. vid. *M. N. C. Dec. 2. An. 5. App. p. 52.* Mensium defectum menstruum alvi profluvium supplebat in rustica quadam muliere, mediocris ætatis, quæ puerperio feliciter absoluto, justo tempore, sed semel tantum, mensium fluxum iterum experta, postmodum absque menstruis vivebat, initio gravidam se iterum esse rata, sed hallucinabatur. Loco tamen mensium, singulo menstruo spatio elapso, circa tempus, quo lunare alias debitum persolvere necessum foret, alvi profluvio corripiebatur, largiterque saburram vitiosorum humorum dejiciebat, perque integrum biduum, & interdum ultra hunc terminum continuabat: Quo præterlapso, diarrhœa illa menstrualis sponte remittebat, alvo posthac consuetum suum officium rite iterum obeunte, donec absoluto menstruali intervallo, eodem rursus modo, naturæ molestum vel superfluum quod erat, eliminaret, motumque hunc præcise observabat. Mulier quoque, quamdiu hoc profluvio detinebatur, eadem ipsa sentiebat symptomata, quæ mensibus rite adhuc prorumpentibus comperta erat, teste Petro Rammelio *M. N. C. Dec. 2. An. 10. Obs. 193. p. 374.* Mulieri procidentia uteri laboranti, ablato postmodum utero, menses, cum purgationis tempus instaret, non per sinum illum, sed vicinum anum, stato tempore, colore convenienti effluxisse refert Felix Platerus *Obs. Lib. 3. p. 764. seq.* In principissa Nassovica quadam juniore fluxum menstruum novilunio, una cum fluxu hæmorrhoidum, plenilunio fluentem, se observasse scribit Johannes Dolæus *Encyclop. med. Lib. 3. cap. 10. pag. m. 519.* Matronam novit idem Autor valde plethoricam, quæ fluxum hæmorrhoidalem una cum menstruo patiebatur. vid. Theod. Bonet. *med. sept. Part. 2. fol. 31.* Puella nobilissima anno 1608. prope Giessam, consueto menstruorum fluxu destituta, singulis mensibus

per

per alvum aliquot diebus sanguinem excernebat, idque propter uteri venas subtiliores obstructas, juxta Greg. Horst. *Oper. Tom. 2. Lib. 5. Obs. 3. fol. 264.* Anno 1707. in virgine nobili a Carlowiz, quinquaginta aliquot annorum, satisque crassa, menses modo per locum ordinarium, modo per alvum tantum, quandoque etiam, & quidem sæpissime, per utrumque locum simul effluere annotare mihi licuit. Nota etiam est mihi virgo jam sedecim annos habens, aurifabri filia, cui nunquam menses per locum ordinarium, sed semper per alvum, utplurimum etiam cum diarrhœa, stato tamen tempore fluxerunt. Et matrona quædam nobilis de Libenau mihi referebat, se a primo statim pubertatis tempore non tantum per loca consueta menstruas purgationes pati, sed semper etiam durante illo tempore simul per intestinum rectum floridum sanguinem excernere. Id quod etiam in filia sua Dn. a B. hactenus observasset.

§. 18.

Per cutis poros in variis locis instarque sudoris quandoque sanguinem menstruum transire, in nosocomio se vidisse refert Franciscus Sylvius *Prax. Lib. 3. cap. 3. §. 491. fol. edit. Avenion. 387.* Scorbuticam puellam Hafniæ curavit Olaus Wormius, cui mensium tempore, ubicunque ostiola venarum in manibus, facie, labiis, aliisve partibus erant, maculæ nigro-purpureæ pisi instar eminentes emergebant, menstruis ipsis ex voto fluentibus, hisque finitis evanescentes. vid. Thom. Bartholin. *Cent. 1. Hist. 15. pag. 26.* Idemque Autor *Obs. 13. p. 22. seq.* in femina plethorica menstruorum tempore per cutem siniſtræ manus & dextræ genæ post frictionem guttulas sanguineas cum impetu saltuque prolici annotavit. Quotiescunque honestissimæ matronæ fluxus menstruus instabat, toties maculæ rubræ, morsibus pulicum similes, in utraque manu interna seu vola copiose erumpebant, absque ullo pruritu vel alterius molestiæ sensu, quæ postea cessante fluxu sponte rursus evanescebant. vid. Phil. Salmuth. *Obs. med. Cent. 3. Obs. 18. p. 120.* Honesta virgo Norwagica, mensibus ordinarie instantibus, maculis

per cutem.

rubicundissimis iisque latioribus, per totum fere corpus, inprimis autem circa mammas, pingebatur; subsequente gravissima cephalalgia, plerumque cum odontolgia conjuncta. Consultus Medicus suasit sudoriferum sumere ex rob sambuci, immixto sale cornu cervi. Secutus largissimus sudor, maculis plane evanescentibus, omnique malo, dolore & questu penitus sublato. Hoc remedio postea semper cum successu usurpavit. Interim Medicus linteamina a sudore cruento valde tincta observavit, mensesque ordinarie per sudorem expellebantur. vid. *M. N. C. Dec. 2. An. 6. App. p. 54.* In primæ notæ & formæ feminæ corpore universo enascebantur maculæ sanguineæ, latæ parvæque in crure & brachio efflorescentes, quæ licet nullo incommodo actionibus officiebant, aliquas tamen animo sollicitudines ingerebant. Medicus querulæ feminæ persuadebat, ebullitionem esse sanguinis nullo vitio depravati, sed copia peccantis, menses enim in ordinato cursu fluebant, & nunquam conceperat. Disparebant maculæ, quando ægritudine aliqua corpus conficiebatur, redibantque ad sanitatem redeunti. Post venæsectionem non comparebant. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. 1. Obs. 22. p. 52.* De virgine ex scapulis scarificatis, *mensibus purgata sequentem* observationem recenset Sylvester Samuel Anhornius *M. N. C. Dec. 3. An. 1. Obs. 88. p. 138. seq.* Lectissima virgo, Anna Maria Boschia, viginti quatuor annos nata, bene carnosa & sana, pro vitio sequiori sexui connato, appetitui indulgens crudis & mali succi cibis, omni ne quidem excepto mensium tempore delectabatur; unde rubei vehiculo nectaris sensim incrassato & inviscato menstruus cruor acescens & vasa uterina stringens evacuationi menstruæ viam præclusit; tandem denegato tributi lunaris debito post varia symptomata & medicamenta a Chirurgo ordinata molestissimum in toto corpore pruritum sentiebat; cui ut mederetur, medicaster cucurbitulas scapulis scarificatas apposuit; unde hac data porta sanguis tanto impetu prorupit, ut brevi temporis spatio aliquot libræ sanguinis rutilantis ex locis scarificatis profunderentur. Et quamvis

vis sanguis per interna & externa medicamenta sisteretur: Media nocte novo orgasmo sanguis vincula rupit, & ad multas uncias prodiit; cessante denique hæmorrhagia post elapsum mensem pruritus in scapulis nuper scarificatis molestissimus rediit, donec medicamentis dispelleretur mordicans serum. Verum proxime subsecuto mense pruritus ille scapularum recruduit, quibus vino lotis, facta turgescentis undæ metastasi, vi prodiit e naribus sanguis, magno pondere per biduum profusus &c. Hanc observationem communicat Michael Alberti: Cum ancilla quædam feces fervidas, a destillatione spiritus ardentis residuas, negligentius tractaret, utrosque suos pedes, tunc nudos, cum illis fervidis fecibus gravissime adussit; ex qua vehementi ambustione, circa illud tempus, quo proxime menstruus fluxus recurrere debuerat, commissa, non modo in gravissimum terrorem, sed intensissimum dolorem prolapsa est, imo cum justus metus proximæ sphaceloſæ corruptionis advenerit, ex eo misera hæc ancilla maximopere moraliter anxia reddita est. Subsistebant ab hac ambustione menses per septem circiter septimanas: Cum vero interea cura ita feliciter cessisset, ut non modo corruptela talis præoccupata, sed & pedes optime restituti fuerint, ita posthæc mensium suppressio, anguſtia præcordialis & respirandi difficultas hanc servam iterum anxiam detinebant. Accidit vero brevi post, ut eo tempore, quo hic fluxus recurrere debebat, dolores quosdam tensorios, oppletorios & leviter spasticos in pedibus experiretur, donec tandem circa malleolum & sub suris ex utroque pede per recenter natam & tenerrimam cuticulam floridus sanguis in notabili quantitate, guttatim transstillaret, iterumque post aliquam moram effluere sponte cessaret. Hinc post tres cum dimidia septimanas eadem scena in ancilla ludebatur, ut inde insolitus mensium fluxus discerneretur. vid. *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. 3 & 4. Obs. 101. p. 241. seq.*

§. 19.

De mensibus ex dorsi cute fluentibus exemplum annotavit *in dorso.*

Theodorus Zwingerus *loco allegat. Cent. 7 & 8. Obſ. 86. p. 206.* Vidua annos nata triginta octo, robuſta & vegeta, anno 1711. gravida, ex mœrore ob mortem mariti incidit in febrim quartanam, per tres menſes durantem; ſeptimo dein menſe ingravidationis ſentit protuberantiam in dorſo, venam tumentem ſive varicem æmulantem, ad dextram ſpinæ, in regione muſculi latiſſimi, quæ leviore frictione aperta ſanguinem fundebat ſeroſum parca quantitate. Biduo hinc elapſo rivulus hic ceſſabat, ulcusque ſponte claudebatur. Perdurante autem febre circa finem ſeptimi menſis femina immaturo quidem, ſed felici tamen partu excludebat puellam emaciatam, ſed vivacem & vegetam. Lochia parce fluebant, neque durabant ultra diem & noctem. *Diſpulſa hinc* febre papillula varicoſa in dorſo iterum apparuit, ſponteque rupta ſanguine manavit per aliquot dies, ſine ullo dolore, aliove incommodo. Atque ſic regulariter ſingulis menſibus fluxum patiebatur ordinarium, ſiccatis vel obſtructis plane viis menſtrui debiti. Papilla hucusque ad magnitudinem avellanæ nucis majoris, rubedine quadam circumdata, excreverat, ceſſanteque fluxu menſtruo iterum ſubſidebat.

§. 20.

per abſceſſum ſub coſtis.

Per abſceſſum ſub coſtis ſpuriis excretos menſes annotavit Thomas Bartholinus *Cent. 2. Hiſtor. 87. p. m. 285.* ſcilicet ſuppreſſis mulieri Malmogianæ menſtruis evacuationibus, ingens ſub coſtis ſpuriis dextri lateris oriebatur tumor circa hepatis regionem, de cujus dolore ſæpius antea fuerat conqueſta. Aperto abſceſſu maturo pus effluxit cruentum, percuratoque ulcere, ſana vixit, ex voto deinceps menſibus fluentibus. Neapoli etiam dictus Bartholinus feminam duobus abſceſſibus occupatam inviſit, quæ ex ſolo moſchi odore menſes ſuppreſſos provocavit.

§. 21.

per umbilicum.

Per umbilicum evacuatos menſes legimus apud Joh. Rhod. *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 49. p. 145.* ubi inquit: Feminæ Patavii noſtra ætate, prope hortum medicum habitanti, ſtatis temporibus menſes manabant

manabant per umbilicum; ubi venæ epigastricæ ramus cum mammaria jungitur. Vixit in urbe Tridentina, quo tempore ibi Concilium celebrabatur, mulier quædam, quæ præterquam quod singulo mense *illi* menses ex umbilico erumpebant, inde quoque vivi lumbrici effundebantur, juxta Marcell. Donat. *de med. Histor. mirab. Lib. 4. cap. 26. p. 490.* Femina quædam suppressione menstrui laborans, cui nunquam menstrua per naturalem locum eruperant, singulis mensibus aliarum mulierum ritu, ventris tormina & aliqualem umbilici dolorem persentiebat. Deinde soluta placide umbilici unitate, sensim manabat per dies octo sanguis ad libras tres. Cessante fluxu vivebat alacriter, & si forte exminuta per eam partem purgatione recurrebat morbus, venæsectio in talo præsidio erat, juxta Zacut. Lusit. *de Prax. med. admir. Lib. 2. Obs. 101. fol. 67.*

§. 22.

Per inguina erumpentes menses idem Autor *l. a. fol. 67.* annotavit in virgine quadam. Hæc cum succulenta esset, & plurimo beneque cocto sanguine turgeret, ætasque ad menstruas purgationes adesset *idonea*, neque menses profluerent, natura excrementitium sanguinem per inguina expellere satagebat, sicque placide ac lente foraminibus parvis & vix sensui conspicuis apertis, quinque, sex & interdum septem dierum spatio, sanguis ex inguinibus continuo emanabat. Occludere foramina cauterii & adstringentium ope, dubitatum fuit: Timentibus multis, ne forte sanguis in profundum restagnans dira mala pareret. At vincentibus aliis, cauterium inustum; quo facto cum sanguis exitum non haberet, ad altas partes regurgitans acutam febrim excitavit, quæ saphænarum sectioni succubuit. Lochia per tubas Fallopianas in abdominis cavitatem erumpentia in puerpera quadam acriter febricitante, & post hypogastrii tensionem ac indurationem brevi post e vita discedentem, observavit Fridericus Ruyschius *Obs. 84. pag. 109.*

per inguina.

Lochia.

§. 23.

Hæmorrhagiam menſtruam per talum in gravida obſervavit Alhardus Hermannus Cummius *M. N. C. Dec. 1. An. 1. Obſ. 96. p. 224.*

CAPUT IV.

De Menſtruatione in Maribus & Brutis.

§. 1.

Menſtruatio in maribus

SIcuti autem huc usque allegata exempla de fluxu menſtruo ſexus ſequioris loquuntur, ita etiam maribus interdum analogum quid contingere, id eſt, per ſingulos menſes, menſtruantium feminarum more, ſanguinem hinc inde effluere, obſervationes teſtantur medicæ. Proveniunt autem tales menſtruæ marium excretiones vel per hæmorrhoides, uti famulo illi mercatoris Hafnienſis, cui ſingulis menſibus ordinato fluxu ſanguis per inferiora expurgabatur, vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. 5. Hiſtor. 33. p. m. 55.* ubi addit: In Lotharingia & Germania viſos nonnullos a ſe teſtatur Andreas Lacuna, qui purgationes muliebres ordinata viciſſitudine paterentur, ac lac in mammillis gignerent. Hæmorrhoidas menſtruas viris erupiſſe teſtatur Amatus Luſitanus *Cent. 5. Cur. 3.* Fabro cuidam murario, ſexagenario ab anno viceſimo ad ſexageſimum usque ſingulis menſibus fluxiſſe hæmorrhoides, perinde ac apud femellas menſtrua ſtato tempore redire ſolent, item dictum murarium pariter inſtante fluxu hoc paria cum femellis expertum fuiſſe ſymptomata; imo diutius fluere volentes iisdem ſopitas fuiſſe, quibus mulierum menſtrua remediis, refert Ehrenfridus Hagedorn. *Hiſtor. med. phyſ. Cent. 2. Hiſt. 34. p. 199. ſeq.* vid. etiam *M. N. C. Dec. 1. An. 2. Obſ. 192. p. 294.* Paſtor quidam in Ducatu Bremenſi hæmorrhoidibus laboravit, & ſi non fluerent ſtato tempore, ea ſymptomata pati ſolebat, quæ patiuntur mulieres in menſium ſuppreſſione, juxta relationem Hannemanni v. *Act. Hafnienſ. Vol. 3. Obſ. 18. p. 30.* De nobili Hiſpano, qui quotidie libram ſanguinis per quatuor annos, per hæmorrhoidales venas

per hæmorrhoides.

les venas excernebat optimaque fruebatur valetudine. vid. Dominic. Panarol. *Pentecoſt. 2. Obſ. 46. p. m. 56.* qui obſervatione ſequenti mentionem facit ſenis cujusdam, qui, cum non recte ſe haberet, dum eſſet juvenis, erumpente ſanguine ex hæmorrhoidalibus venis ſanus fiebat. Hæmorrhagiæ menſtruæ per penem bina exempla obſervavit Gulielmus Musgravius. vid. *Act. Erudit. Lipſ. anno 1702. menſ. Februar. p. 93.* Cum uxoris catameniis ſingulis quatuor hebdomadibus incipientibus & deſinentibus maritum eodem tempore aliquoties per octiduum hæmorrhoidali fluxu laboraſſe, refert Joh. Matthias Müllerus *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. 10. Obſ. 68. p. 377.* Haynoni Rigio, Medico Roſtochienſi, ab anno ætatis decimo octavo hæmorrhoides ordinarie ſingulis menſibus per aliquot dies fluere ſolebant, non ſine magno valetudinis commodo: Siquidem cum interdum fluxus ille vel deſiiſſet, vel non ſufficienter proceſſiſſet, ſe male valere, conqueſtus eſt, uti de hoc ſuo amico recenſet Simon Schultzius *M. N. C. Dec. 1. An. 4 & 5. Obſ. 44. p. 39.* Idem Schultzius *l. a. Obſ. 69. p. 57.* eundem fluxum in duobus decrepitis, uno ſene & altero ſilicernio, hoc ſocero, iſto genero demonſtrat. *Habitat, inquiens, in horto meo extra civitatem ſenex quidam octogenario major, ſed robuſtus & ſalaciſſimus, ex corbium ſirpandorum opificio victum quærens, qui a prima ſtatim juventute ad prædictam ætatem fluxum hæmorrhoidum patitur; & quidem quovis menſe, cum maximis dorſi doloribus & ventris torminibus ordinarie & uberrime redeuntem. Apud ipſum ſocer ejus commoratur mendicando vitam ſuſtentans, nonagenario major, cui idem ab ipſa quoque juventute hucusque menſtruatim contingit.* Meminit etiam Andreas Veſalius *Anat. Lib. 5. cap. 15. fol. m. 415.* cujusdam hæmorrhoidum vitio laborantis, qui ordinatis vicibus, ut mulieres ſuis menſibus, ſanguinis fluxu ex venis in anum pertinentibus vexari conſueverat. Viro octogenario in comitatu Naſſovico non modo erumpebat, dens caninus cum vehementibus doloribus, ſed etiam ſingulis menſibus fluxum habebat hæmorrhoidalem magno cum ſanitatis ſuæ emolumento,

lumento, & bene lauteque ætatem agebat senilem. vid. *M. N. C. Dec. 1. An. 9 & 10. Obs. 134. p. 308. seq.* Fuit etiam Kiliæ Holsatorum quidam Vulcani, vel Tubalcaini minister, qui quolibet mense & luna, non secus ac feminæ, suum pependit vectigal de rosa vitæ, eodemque modo se præparavit, quo feminæ has lunulas habituræ, & terminum istius fluxus instare præsentire poterat, teste Johanne Ludovico Hannemanno *l. a. Dec. 2. An. 1. Obs. 70. p. 171.* Et Johannes Georgius Sommerus *ibidem An 3. Obs. 108.* amici meminit, in quo hæmorrhoides jam per quadraginta annos periodo menstrua redibant; anno scilicet ætatis vigesimo primum passus est hunc fluxum hæmorrhoidum, quem natura ex eo tempore, quolibet mense, stato tempore repetiit. Et quoties hæmorrhoides tributum suum ratione quantitatis aut temporis moræ non rite persolvebant, toties actiones naturæ principes hinc inde turbatæ labascebant &c. De periodico hæmorrhoidum fluxu vid. etiam Joh. Christ. Frommann. *de hæmorrhoid. Part. 1. Probl. 25. p. 115. seqq.*

§. 2.

per os. Observantur deinde viri, quibus uti hæmorrhoides, ita sanguinis etiam sputum vel tussis periodice contingit. Siquidem cum in viro, qui quolibet mense copiosissime per hæmorrhoides, perinde ac per uterum mulieres, evacuabatur, sanguis hic aliquando solito more haud flueret, eundem per os sine tussi & febre rejiciebat, uti ex Amato Lusitano refert Johannes Bohnius *Circul. anat. physiolog. Progymn. 16. p. 239. seq.* Scribit etiam Theodorus Kerckringius *Spicileg. anatom. Obs. 25. p. 61. seq.* se quendam novisse virum, Arnoldum Pauli, sexagenario majorem, qui phthisi laborare incepit cum vehementi ejectione sanguinis, quæ perseveravit ad quindecim usque dies, deinde medicamentis quibusdam inhibita prima ista violentia, rediit post mensem idem sanguinis vomitus, eamque periodum tot mensibus servavit, donec octavo denique vehementius ingruens hominem de medio sustulit. Et Johannes Nicolaus Pechlinus *Obs. Lib. 1. Obs. 43. p. 98.* scribit, se novisse aurigam rhedarium, cui cum ante duos annos post hæmoptoen

ptoen tabes interitum minaretur, cannabini ſeminis in lacte decocti quotidianus uſus in tantum profuit, ut muneri ſuo præeſſe poſſet, hoc uno cauſariam valetudinem agnoſcens, quod ſingulis menſibus a pruriginoſa tuſſi & pectoris gravitate non ante liberaretur, quam certum ſanguinis demenſum ore profuderit &c. Item juveni per ſesquiannum redierat nova conſtanter luna ſanguinis ſputum, quod ſemper ad quatuor aut quinque dies perſtitit, uti obſervavit Richardus Mead *de Imper. Solis & Lun. p. m. 368.*

§. 3.

Quandoque etiam per penem, & quidem modo cum, modo etiam ſine urina tale periodicum in maribus obſervatum ſanguinis profluvium apud Autores legimus, e. g. juxta Phil. Salmuth. *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 47. p. 134.* Paſtor Serveſtanus fluxu ſanguinis periodico, quaſi menſtruo, per urinam, multos jam annos conflictari ſolitus, ejusque tandem, cum quandoque copioſius & minus tempeſtive rediret, pertæſus, remedium a rabulæ cujusdam uxore petiit. Hæc potionem fluxum ſiſtentem exhibet, qua ſumpta in ſummam pectoris anguſtiam maximamque ſpirandi difficultatem vir ille incidit, paucosque intra dies extinguitur. In duobus quoque viris menſtruam per virgam periodum animadvertit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. 1. Obſ. 80. p. m. 344. ſeq.* Inquit etiam Johannes Michael Fehr *Hier. pior. ſive de Abſinth. p. 138.* ſe nobilem vidiſſe menſtruatum, cui quovis menſe ſanguis perſpicuus cum urina profluebat; grumeſcebat is quandoque a diuturna retentione aut errore victus & tum hypogaſtrium dolebat, ſed abſinthitis hauſtu levabatur. Menſium excretionem virilem per virgam, omni novilunio redeuntem, cum ſymptomatibus iisdem, quæ moleſtant feminas, ſi forſan ſuppreſſionem patiantur, ex Thiermeyero recenſet Michael Ettmüllerus *Tom. 2. fol. m. 1010.* Et Hieronymus Fabricius ab Aquapendente *Oper. Chirurg. Part. 2. Lib. 3. cap. 13. edit. Francof. p. m. 1022. ſeq.* ſcribit: Ut menſtrua ſingulis menſibus prodire ſolent mulieribus: Ita viris quibusdam redundantia ſanguinis, qui nec per urinam, nec ſudores, nec inſen- *per penem.*

silem transspirationem discuti potest, ad testes confluit, & per lotii meatus excernitur. Hinc viri nonnulli effeminati & lac gignunt, & purgationes, instar muliebrium, ordinata vicissitudine patiuntur in Germania & Lotharingia. Davidi van Hoogstraten notum est exemplum viri, cui per singulos menses, menstruantium feminarum more sanguis per penem effluxit. *vid. ejusd. Dissert. Epist. de Hodiern. Medicin. Stat. p. m. 23.* Virum imberbem & toto corpore depilem, effeminatum, mulieris aut spadonis instar, cognovit Zacutus Lusitanus, cui a vigesimo ad quadragesimum quintum annum menstruæ purgationes per pudendum, statis quibusque mensibus, quatuor aut quinque dierum spatio in non parva copia emanabant, & si forte non recte fluebant, superveniente cum torminibus lumborum dolore, vena secta in talo illi remedio erat. Hic ex pleuritide occubuit, ex retento menstruo suborta. vid. Zacut. Lusit. *de Prax. med. admir. Lib. 2. Obs. 11. Oper. Tom. 3. fol. 69.* Vir nobilis Augustæ, habitu corporis gracili præditus & decolor, postquam in pueritia calculo sectus esset, deinceps singulis mensibus fluxum sanguinis ex pene patiebatur, non secus ac mulieres per uterum solent. vid. Georg. Hieron. Velsch. *Epistagm. 69. pag. 43. seq.* quo loco etiam in Carolo Barone a Dietrichstein ejusmodi hæmorrhoidum fluxum menstruum observasse Gabrielem Fallopium addit. Item Seduni fuit lanio, qui singulis mensibus per urethram sanguinem reddebat menstruum. Quod cum in vulgus emanaret, abhorruit a viro, nemoque deinceps carnes ex ejus macello coemere voluit, juxta relationem Georgii Franci *M. N. C. Dec. 2. An. 6. Obs. 83. p. 174.* Quorundam geminorum alter ante septimum decimum ætatis annum sanguinis per penem fluxui, aliquot annos continuanti, erat obnoxius, ita ut singulis post novilunium quadris quinque circiter punicei sanguinis uncias per virgam emitteret; præcedentibus tamen semper quibusdam non absque dolore torminibus circa umbilicum, lumbos ac inguina, uteri doloribus non absimilibus, ut ex Francisco Ignatio Thiermairio refert Cornelius Stalpart loco paulo ante allegato. Hermaphro-

maphroditi, cui ſanguis menſtruus per virgæ canalem manabat, ex *Act. Erudit. an. 1688. p. 228. ſeq.* in Spermatolog. noſtr. *cap. 13. §. 22. p. 592. ſeq.* mentionem fecimus. De duobus viris Styriacis fluxum menſtrualem ſanguinis per penem patientibus obſervationem communicat Johannes Baptiſta de Wenckh *M. N. C. Dec. 3. An. 9 & 10. Obſ. 136. p. 258. ſeqq.* Pervulgata etiam opinio eſt, Judæis hujusmodi expurgationem inter alia a Domino retributa ſupplicia additam fuiſſe, ut virtutem illam & robur, quam Deo comite adverſus gentes & idololatras omnes præſtabant, cum cæteris omnibus jam amiſſam & juſtiſſimi Dei punitione detractam experirentur; cujus loco metum, timorem, cordis pavorem, ut antea promiſſum fuerat, ſubſtituit, ut non aliter, quam mulieres, affectu & effectu ad omnem pugnam effeminati & timore perculſi inutiles forent, vid. Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. Qu. 47. §. 16. p. 581. ſeq.* Cui tamen ſententiæ contradicit Georgius Francus *l. a.* inquiens: Quando aſſerunt, Judæos per naturam habere fluxum ſanguinis per virgam ſecundum lunam quibusdam guttis ut mulieres, illis minime accedo; tum quod ſit præter rationem, tum præter experientiam, quod & illi, qui ad Chriſtianismum ſunt converſi, confirmant, ut taceam, iſtos propter munditiem & rigorem legis Moſaicæ in femellis menſtruatis eſſe admodum præciſos & accuratos. vid. etiam Franci *Satyr. med. 6. §. 3. p. 93.*

§. 4.

Porro ex pollice ſiniſtro cuidam viro ab ipſa infantia ad annum usque ætatis viceſimum quartum, plena ſemper luna, profluxit ſanguis, primum quidem ad uncias quatuor, poſt annum vero ſextum decimum ad ſemilibram. Atque ex indice digito manus dextræ caupo quidam Hybernus ab anno ætatis quadrageſimo tertio usque ad quinquageſimum quintum effuſionem ſanguinis, ad libras circiter quatuor, ſingulis fere menſibus recurrentem habebat. Quæ bina exempla Richardus Mead *de Imper. Solis ac Lunæ cap. 2. p. m. 369.* in Guil. Musgrav. *de Arthrit.* ex Philoſophicis Transactionibus recenſet. Similem obſervationem re- *ex digitis.*

fert etiam Caſpar a Reies *l. a.* ſcilicet Hiſpalienſi cuidam nobili ſingulis menſibus per radicem ungulæ indicis digiti plus quam ſanguinis libram effluxiſſe; item apud quendam per interfemineum adaperto poro conſuetam purgationem naturam tentaſſe. vid. etiam Joh. Freind *Emmenolog. cap. 8. p. 61. 62.*

§. 5.

Obſervatio. Imo in uno eodemque ſubjecto ejusmodi menſtruum ſanguinis fluxum diverſas ſibi quandoque vias quærere, ſequens me docuit obſervatio: Viro ſcilicet juveni, triginta aliquot annorum, ſatis robuſto, ſumme tamen hypochondriaco, per longum temporis ſpatium menſtruatim fluxerant hæmorrhoides & quidem ſatis largiter. Harum ille pertæſus ſuaſu Chirurgi cujusdam adſtringentibus, ab illo ordinatis, utitur, quo facto talis hæmorrhoidum fluxus ex voto quidem ceſſat, ſubſequente tamen, poſt aliquot menſes, menſtrua & quidem largiſſima narium hæmorrhagia, quam ipſe pariter, ob ſupervenientem debilitatem, ægre ferens per interna & externa refrigerantia, ſtyptica & id genus alia, ſanguinis e naribus effluxum, ejusdem Chirurgi cura, impedire tentat, eoque ſucceſſu, ut cruor, qui primum per alvum, & poſtea per nares exitum ſibi quæſiverat, nunc per penem, & quidem iterum ſingulis menſibus, cum urina, ad quam crebrius mittendam ſtimulabatur, egrederetur; unde æger hypochondriace anxius meum conſilium efflagitabat. Quare poſt demonſtrationem, nimirum menſtruam hanc per varias vias hactenus a natura, vel ſanguinis orgaſmo, quæſitam evacuationem absque metu majoris mali, vix omnimode impediendam, ſed ipſi potius commodiorem, & quidem ſecundum primum naturæ conatum, primam viam per hæmorrhoides, pro talis ſanguinis evacuatione, eligendam, & quantum poſſibile, quærendam eſſe, ſuaſor ipſi eram, ut circa inſtantis orgaſmi menſtrui tempus, quod ex laſſitudine totius corporis, & aliis ſymptomatibus, præſcire, atque prædicere poterat, per lenes frictiones circa ſpinam dorſi a parte ſuperiori verſus inferiorem, præſertim circa os ſacrum partesque vicinas,

nas, item per fomentationes & insessus, sanguini exitum quærenti viam panderet. Quod, Deo favente, ita successit; ut absque medicamentis, quæ jam abhorrebat, & absque venæsectione, quam in talo suadebam, ipse vero absque animi deliquio ferre non poterat, hæmorrhoides iterum apparerent, quas ad hunc usque diem, ultra viginti aliquot annos, optima cum sanitate, menstruatim experitur.

§. 6.

Brutorum fluxus menstruus.

Non autem tantummodo in homine utriusque sexus, sed in brutis quoque talem sanguinis menstrui evacuationem observatam volunt Medici, exempli gratia in simiis, de quibus Johannes Bohnius *Circul. anat. physiol. Progymn. 16. p. 252.* ita scribit: Cur simia homini non tantum ratione conformationis diversorum membrorum, sed docilitatis & actionum atque morum æmulationis quoque, quam analogum animal, cum eodem etiam menstrualem communem patiatur fluxum, a me ac Germanis nostris, qui observationum, ejusmodi phænomeno explicando necessariarum, sufficientia destituimur, propter animalium scilicet horum penuriam, hujus rei vix speranda erit sufficiens ratio. Hoc interim cuncti testantur Zoographi, & experientia, salacissimum hoc animalis genus ac lunæ mutationibus maxime obnoxium esse, ita ut in sacris etiam Ægyptiorum olim nutriretur, quo tempus conjunctionis solis ac lunæ accuratius scire potuerint; quatenus sub hoc mares ac feminæ visu non tantum, sed reliquis quoque functionibus animalibus deficere videntur, feminæ vero sanguinem simul per naturam egerunt. *in simiis.* In simiis autem ordinarium mensium fluxum in India se observasse scribit Johannes Otto Helbigius *Observat. de rebus variis Indicis. vid. M. N. C. Dec. 1. An. 9 & 10. Obs. 194. p. 456.* Abbatem quendam in simia singulis mensibus menstruas purgationes per spatium trium & plurium dierum observasse ex Mundino Mundinio refert Georg. Wolfg. Wedelius *Physiolog Sect. 3. cap. 29. p. 206.* Juxta Cornel. Stalpart van der Wiel *Obs. rar. Cent. poster. Obs. 19. Schol. p. 234.* mulieres & simiæ quædam quovis mense non exiguam ejiciunt sanguinis

copiam. Et secundum Joh. Conr. Peier. *Exercit. Anat. med. 4. p. 21. seq.* menstruum sanguinem bruta non excernunt præter simiam & pauca quædam alia. In Guinea esse quoddam simiarum genus, cujus femellæ haud secus ac mulieres ipsæ menstrua patiantur, e Gassendo refert Gualtherus Charletonus *de Cauſ. Catamen. cap. 4. p. 41. & cap. 7. p. 125.* inquit idem Autor, se nonnullas simiarum istius generis vidisse feminas, quæ sanguinis nonnihil, mucoso humore commistum, ex utero singulis mensibus per triduum aut quatriduum effunderent; causamque, cur mulieres nostræ & simiæ catamenia patiantur, ab utrique similibus vasis excretoriis, tubulis certis membraneis, derivat. Inquit etiam Franciscus Bayle *Dissert. de Cauſ. Flux. menstr. mulier. p. 8. seq.* inter simias omnis generis feminas, non secus ac mulieres menstruas purgationes pati; cum fere reliqua sint prorsus immunia ab ejusmodi sanguinis profusionibus. Et Fürstenaviæ simiam sexus sequioris singulis mensibus per duos aut tres dies menstruis purgari observavit Andreas Myrrhen *M. N. C. Dec. 3. An. 9 & 10. Obſ. 217. p. 387.*

§. 7.

in canibus. In cane femina observari menstrua testatur Felix Platerus *in Quæst. physiolog. 37. p. 66.* inquiens, quia cætera animalia non semper, sed semel fere tantum in anno calent, hac sanguinis redundantia, qua mulieres, non opus habent, nec sanguis, donec tempus illud, quo ad conceptum idonea fiunt, adsit, in ipsis adeo augetur: Qui &, cum fere semper concipiant, ad fœtus sustentationem tunc quoque retentus, non expurgatur; nisi forte magna cura, ut tunc animalia non congrediantur, impediatur: Tunc enim aliqua quoque sanguinis portionem per hæc loca reddidisse, in simia observavi. Quod & in canibus feminis, si a maribus arcerentur, accidere, in canicula parvula, quam domi habui, deprehendi: Quæ cum quoties caluit, ne congrederetur & concipiat, & in partu (uti in minimis istis caniculis, qualis illa fuit, fieri solet) moriatur, inclusa retenta fuit, e pudendo tumido tunc sanguinem, sed parva quantitate, cum & ipsa parva fuerit, reddens,

stratum,

ſtratum, cui incubuit, per dies aliquot commaculavit. Quod vero hoc in reliquis canibus, uti & cæteris animalibus, rarius contingat, cauſa eſt, ut dictum, quod, quotiescunque calent, ſanguisque ille redundat, marem quærentes & admittentes concipiant, unde ſanguis ille ad fœtus enutritionem, mox retinetur. De caniculo ordinarie certaque periodo menſtruum fluxum habente vid. Steph. Blancard. *Collectan. med. phyſ. Cent. 6. Obſ. 19. pag. m. 234.*

§. 8.

in equabus.

Equam menſtrua minime emittere, ſtatuit equidem Ariſtoteles *de Generat. Animal. Lib. 4. cap. 5. fol. m. 583.* econtra tamen Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec. 2. An. 4. Append. p. 210.* in equabus, ſcrofis & ovibus ſe aliquando menſtruam purgationem notaſſe ſcribit. Et ibidem refert Alexander de Inſula, ſe habuiſſe picam feminam, ſingulis menſibus in novilunio, ad duos vel tres dies, per inferiora ſanguinem, ſuo more, ſat copioſe excernentem, cætera optime ſanam. Id cibis initio adſcripſit, at ab ipſa experientia meliora edoctus vidit, quam mirabilis ſit Deus in omni creatura ſua. vide etiam Chr. Fr. Paullin. *Obſ. med. phyſ. Cent. 3. Obſ. 40. p. 329.* In raja piſce ordinarium fluxum menſtruum ſe obſervaſſe ſcribit Johannes Otto Helbigius *M. N. C. Dec. 1. An. 9 & 10. Obſ. 194. p. 456.* Plura de his vid. Georg. Franc. *Satyr. med. 6. p. 91. ſeq.*

in pica.

in raja.

CAPUT V.

De Menſtruationis Termino.

§. 1.

Menſtruationis tempus.

UT plurimum vero & ordinarie in ſexu ſequiore, uti ſupra Capite 2. §. 2. diximus, menſes circa annos pubertatis appare-re ſolent, vel juxta verba Johannis Fernelii *Phyſiol. Lib. 7. cap. 7. p. m. 179.* feminis circa annos pubertatis ingens incidit corporis univerſi mutatio: Ac tum temporis increſcente jam & vegetiore facto nativo calore pubes erumpit, ubera tumeſcunt, corpus libi-

dine

dine titillatur, exuberans sanguis calore velut extenuatus diffunditur, vixque suis receptaculis coercitus viam sibi parat, qua dimanet; qui menstruus in juvenculis solutus sanguis, secundum Dav. van der Becke *Experiment. circa natural. Rer. Princip. Lib. 2. p. m. 241.* signum quoddam est fœcunditatis, quo nobis innotescit, viro maturam esse virginem. Quod utplurimum secundo septenario absoluto, seu decimo quarto ætatis anno serius vel citius contingit, & raro ultra septimum septenarium durat, siquidem utplurimum circa annum quadragesimum nonum aut quinquagesimum, maturius paulo tardiusve pro temperamenti aliarumque causarum ratione subsistere menses solent. vid. enim Henr. Snellen *Delineat. Theor. mechan. Part. 2. p 94.* Juxta Martini Lister. *de Humor. cap. 44. p. 404.* uterini glandularum ductus tanto menstruorum liquori excoquendo & trajiciendo nati ante pubertatem impares sunt & præ anguftia inepti, quod patet ex parvitate uteri puberis virginis, vix fabam continentis. Ad quadragesimum vero & quintum ætatis annum marcescere incipiunt, & firmiter constringi. Ita ex certa naturæ lege, quemadmodum ante sedecim annos non fluunt, ita per sedecim alios annos fluere desinunt; *tantum scilicet femina otii habet ante puerperium*, quantum ab eo perfuncto. Et Georgius Ernestus Stahl *Theor. med. Physiol. Sect. 1. membr. 8. p. 384.* inquit: Excretio sanguinis menstrui habet illud peculiare, ut cum pubertate feminina sese exerat; & quidem illo tempore, quo conceptioni idoneæ fiunt femellæ: Et desinat iterum, ac evanescat, quo tempore feminæ concipere desinunt. Quod tamen non ita accipiendum, quasi concipiendi energia desinat, quia menses desinunt: Sed contra, menses desinunt, quia concipiendi energia aut intentio deficit &c. Juxta Joh. Bapt. Donat. *Comment. in Hippocr. de Morb. Virgin. n. 7. p. m. 227.* menstrua ferri solent anno decimo quarto, sed aliquando serius, aliquando citius descendunt pro puellæ temperamento. Et *pag. seq.* pergit: Erumpunt menstrua, cum ubera tument, vox gravior auditur, & venerem cupide sequuntur, tunc aptæ etiam viro

sunt,

sunt, & nubiles virgines ex Medicorum sententia. Docet autem quotidiana praxis, mensium fluxum pro temperamento regionis, vitæ generis, quantitatis & qualitatis sanguinis diversa ratione, modo citius vel tardius inchoare atque desinere.

§. 2.

Sæpius enim ab hac regula secedit natura, dum hinc inde apud Medicos observantur menses præcociores, i. e. qui in puellis dictam ætatem quatuordecim annorum nondum attingentibus, interdum etiam in infantibus recens natis apparent. Anno enim ætatis duodecimo menstrua puellis quandoque fluere, præter quotidianam experientiam, testatur Guilhelmus Fabricius Hildanus *Observ. Chir. Cent. 2. Obs. 60. Oper. fol. m. 135.* de matrona quinquagesimum ætatis annum prætergressa, quæ duodecimo ætatis suæ anno menstruis laborare incepit. Hujus vero feminæ cum mercatore Colonienſi natæ filiæ undecimo ætatis anno menstrua fluere cœperunt, quæ etiam quatuor aut quinque mensibus ordinate fluxerunt, juxta eandem Fabricii observationem. Virgunccula etiam nobilis, constitutionis sanguineæ undecimo ætatis anno ventris torminibus frequenter afficiebatur, quibus mitigandis cum pulverem baccarum lauri exhibuissent domestici, menses erupere, ordinarie & menstruatim deinceps fluentes, duodecimo nupsit eodemque peperit, plurium postea liberorum mater, juxta Baldass. Timæi a Güldenklee *Obs. Lib. 4. Cas. 13. p. 211. seq.* Scribit etiam Daniel Sennertus *Pract. med. Lib. 4. Part. 2. Sect 2. cap. 1. p. m. 131.* se noviſſe puellas, quibus undecimo anno fluxerunt menses, easque plerumque salaces esse. Mulieris cujusdam carnosæ bonique habitus, cui ab anno ætatis undecimo usque ad sexagesimum menses provenerant, meminit Johannes Rhodius *Obs. med. Cent. 3. Obs. 48. pag. 144.*

menses præcoces

in puella duodecenni.

in undecennii.

§. 3.

Decimo ætatis anno prorumpentes menses annotavit Samuel Ledelius in femina, ex generosa familia oriunda, quæ salaciſſima fuerat, annoque duodecimo maritale subierat capistrum, vid. *M.*

in decennii.

N. C. Dec. 1. An. 3. Obſ. 151. Schol. p. 274. Menſes decimo ætatis anno erumpentes bis notavit Georgius Wolfg. Wedelius. vid. *Phyſiolog. Sect. 3. cap. 29. p. 206.* In puella decem annorum Nordlingæ ſe menſium fluxum obſervaſſe refert Roſinus Lentilius *l. a. Dec. 3. An. 5 & 6. App. p. 119.* Et in generoſa virgine annos decem nata primos menſes in plenilunio, & quidem ea ipſa hora, qua eclipſis fiebat, obſervavit Georgius Francus. vid. *Annotat. in Paul. Zacch. Qu. med. leg. Lib. 1. Tit. 1. Quæſt. 6. §. 33. fol. m. 19.* quo loco, eandem virginem menſes ſine ulla noxa habuiſſe, atque ad ſummam proceritatem procreviſſe, addit.

§. 4.

in novenni. Puellas, quæ ante decimum ætatis annum catamenia viderunt, ſe in praxi medica facienda vidiſſe, ſcribit Joſephus Lanzonus *Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ. Cent. 1 & 2. Obſ. 42. p. 110.* De novenni puella menſtruata ſequentem obſervationem recenſet Thomas Bartholinus *Hiſt. anat. Cent. 3. Hiſt. 91. p. m. 184.* Novi, inquiens, puellam annos novem natam, in urbe noſtra, cætera macilentam & colore faciei pallido, cui menſes fluere cœperunt, ſive quod uteri cervicisque vaſa ſanguine ſeroſo aperiantur, ſive quod nativa conſtitutione ampliora ſint, ſive denique quod ſanguinis copia, etiam in macilentis ſubinde abundans, vaſa uterina diſtendat impleatve. Addit etiam Bartholinus, Herculem Saxoniam plures puellas noviſſe, quæ decimo anno liberalius purgatæ fuerint. Puellæ cuidam anno ætatis nono fluxus menſtrualis ſupervenit, usque ad quinquaginta annos perdurans, vid. Gerard. Blaſii *Obſerv. med. Part. 1. Obſ. 7. p. 12.* de cujus utero magno infra plura. Notatu digna eſt obſervatio a Johanne Georgio Hoyero *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. 5 & 6. Obſ. 75. p. 335.* communicata. Scilicet matronæ cujusdam generoſæ, quæ menſes quidem in virginitatis adhuc annis ordinarie, nunquam vero poſt matrimonium contractum, niſi tempore ingravidationis & conceptionis inchoatæ, obſervavit, filia animo & corpore vegeta, anno ætatis ſuæ nono menſes rite & ordinarie inchoare & fluxum continuare experta fuit, evi-

denti

denti teſtimonio, quod natura filiæ in hoc evacuationis genere eundem fere in modum matriſſaſſe & extraordinarie agere geſtiat. Mercatoris apud Dantiſcanos non poſtremi filia circa nonum ætatis annum menſes patiebatur, nunc ordinarie, nunc extraordinarie, nullam obſervantes periodum, copioſe profluentes, quibus lege naturæ ceſſantibus, fluor quoq; albus ſeſe monſtrabat, qui venuſtam alias ſatis puellam, non decolorem tantum, ſed emaciatam plane reddidit. In ea autem non raro copia apparebant menſes, ut in contumaciſſimam uteri hæmorrhagiam, vix ullis expugnabilem remediis, deſinerent, juxta relationem Joh. Schmidii *M. N. C. Dec. 1. An. 4 & 5. Obſ. 23. p. 25.* Tale exemplum puellæ novem annorum menſtruationem patientis annotavit etiam Franciſcus Mauriceau *Obſervat. ſur la Groſſeſſ. & l'Accouchement des Femmes Obſ. 392. p. m. 230.* inquiens: Une femme me dit, qu'elle avoit eû des l'âge de neuf ans ſes menſtruës, qui avoient commencé à luy paroiſtre par une eſpece de perte de ſang, aprés la quelle elle ne les avoit eûës que d'année en ennée durant trois ans, & qu'enſuite elle les avoit eûës reglement tous les mois. Menſes in puellis novem annorum ſe quoque notaſſe, inquis Georgius Wolfgangus Wedelius *M. N. C. Dec. 2. An 5. Obſ. 78. p. 184.*

§. 5.

Imo in puellis adhuc junioribus menſtruationem annotarunt *in octenni.* Autores, e. g. de puella octenni menſtruata hanc obſervationem communicat Bernhardus Verzaſche *Obſ. medic. 24. p. 65.* Mercatoris Baſileenſis filia octennis, facie pallida & corpore macilento, fluxum ſanguinis inopinate paſſa fuit. Parentes conſternati me vocarunt, indicavi illis, fluxum hunc ſanguinis menſtruum eſſe, & ſerum acre vaſa uterina aperuiſſe: Duravit iſta fluxio per tres dies & poſtea ſponte ceſſavit. Parentes perterrefactos ſimilibus aliorum medicorum obſervationibus erexi, ſiquidem Fernelius & Geſnerus puellam eodem anno octavo ætatis menſtruatam obſervarunt. Virginem nobilem pro verminante a Medico habitam poſt aperientium ac vermes necantium uſum octavo ætatis ſuæ

anno semel menstruum fluxum aliquot dies cum nullo virium dispendio passam esse, refert Henricus a Moinichem *Act. Hafn. Vol. 1. n. 79. p. 161.* Filia bibliopolæ Tubingensis octennis fuit menstruata, sed deinde pumila sive nana. vid. Georg. Hier. Velsch. *Exotic. Curat. Chil. 2. n. 253. p. 313.* Mercatoris Francofurtensis filiam octavo ætatis anno menses expertam esse, ex Sebastiani Schefferi observatione refert Georgius Francus *l. a.* Fluorem uterinum in puella octenni observavit Joh. Fernelius *Pathol. Lib. 6. cap. 16. p. m. 200.*

§. 6.

in septenni. Infantem puellam septem annos natam menstrua habentem Lugduni Batavorum observavit Fridericus Deckers. vid. ejusdem *Annotat. in Paul. Barbett. Prax. med. Lib. 4. cap. 13. p. m. 206.* ubi hanc puellam jam sexies menstrua, singulis mensibus accurate redeuntia, habuisse, sanamque mansisse annectit. Gustavus Casimirus Gahrliep in propria filia septenni talem purgationem per triduum observasse scribit *M. N. C. Dec. 3. An. 7 & 8. Obs. 140. p. 259.* Septenni puellæ hoc modo aperta esse vasa uteri, in prælectionibus retulit Theodorus Craanen, juxta David. van Hoogstrat. *Epist. ad Nicol. van der Kappen de hodiern. Medicin. Statu p. m. 22.* Filiam civis Ferrariensis septem annorum menstruatam observavit Josephus Lanzonus. vid. *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent 1 & 2. Obs. 42. p. 111.* In puella septimum nondum prætergressa annum mater per biduum vel triduum, initio mensis Decembris, ex indusio tibialibusque sanguine maculatis purgationem sexui sequiori alias plurium annorum consuetam, sat copiosam cum consternatione animadvertit, qui fluxus calendis Januarii sequentis anni copiosius rediit, atque iterum in tertium usque diem duravit, ita ut puella pudibunda linteis aqua calida madefactis clam matre pudoris sinum atque femora, sed frustra, abstergere conaretur, circa diem illius mensis vigesimum quartum, tum cum sociis pueris atque puellis ludens, ac hyberno tempore traha vecta subito correpta fuit convulsionibus, post paucas tamen horas remittentibus, atque tertio abhinc die fluxus talis menstruus iterum, sed parce admodum, animad-

animadverſus ſecundo ceſſavit die, a quo poſtea per ſeptem libera permanſit, menſes ſanaque vixit. Ipſius etiam matri ab anno duodecimo lunare iſtud tributum ad quadrageſimum fuit ſolvendum, teſte Johanne Matthia Müllero *l. a. An. 5 & 6. Obſ. 54. p. 83. ſeq.* Ex literis Montaubani ad Duncanum ſequentem obſervationem legimus dans le Journal des Sçavans *Tom. XI p. 38.* Une petite fille agée de ſept ans a depuis 18. mois, ce que les femmes doivent avoir chaque lune. Elle a un teint fleury qui marque ſon temperament ſanguin, un embonpoint mediocre & une vivacité, qui n'eſt pas ordinaire. Elle ne ſe porte jamais mieux, que quand elle a eu cette evacuation periodique, durant la quelle elle ſont dans ſes entrailles une chaleur extraordinaire, une petite douleur à la téte. En un mot elle a les mêmes accidens, que les femmes, dont le ſang s'épure tous les mois par cette evacuation naturelle &c. Nobilem puellam a ſeptimo anno primum fluxum menſtruum patientem curandam ſe habuiſſe, refert Johannes Dolæus *Encyclop. med. Lib. 3. cap. 10. p. 519.* In India puellas ſeptimo anno menſes pati, inquit Theodorus Craan *de Homin. cap. 162. p. 707.*

§. 7.

Conſultus quoque fuit Georgius Wolfgangus Wedelius de puella nobili, quæ ſextum ſaltim annum ingreſſa a tribus menſibus menſes experta erat, cæteroquin bene valens, ſed tenerrimæ texturæ. vid. *M. N. C. Dec. 2. An. 5. Obſ. 78. p. 184.* De puella hermaphroditica, quæ anno ætatis ſuæ ſexto fluxionem menſtruam paſſa erat diuturnam & vehementem, vid. Theod. Kerckring. *Spicileg. anat. Obſ. 12 p. 32.* Puellam ſexennem menſtruatam obſervavit Johannes Daniel Horſtius, uti ex ipſius literis refert Georgius Francus *Satyr. med. 6 p. m. 94.* Scribit etiam Alardus Hermannus Cummenus, ſe Hannoveræ puellam vidiſſe, quæ ſextó ætatis anno fluore uteri albo laboraſſet. vid. *M. N. C. Dec. 1. An. 3. Obſ. 114. p. 185.* *in ſexenni.*

§. 8.

Quinquennium puellarum menſtruis, ſine valetudinis in- *in puella quinquenni.*

commodo, affectarum bina exempla communicat Johannes Schenckius *Observ. medicin. Lib. 4. fol. 629.* & quidem primo de puella Veneta, quæ singulis mensibus, modice tamen expurgabatur; deinde de victoris filiola, quæ statim, atque quintum ætatis annum exegit, menstruo fluxu laborare cœpit, quo postea ab eo tempore semper statis diebus laboravit. vid. Thom. Bartholin. *Histor. anat. Cent. 3. Histor. 91. p. 184.* Matronam novit Johannes Dolæus valde plethoricam, quæ annum quintum nondum egressa menstruum fluxum passa erat. vid. Theoph. Bonet. *Medicin. Septentr. Part. 2. Lib. 4. Sect. 2. fol. 31.* item *M. N. C. Dec. 1. An. 6 & 7. Obs. 63. p. 91.* Quinquennem menstrualem ex iisdem Horstii literis meminit Georgius Francus *l. a.* ubi etiam ex Hercule Saxonia exemplum puellæ adducit, cui a quinto anno incipiens menstruum dein singulis mensibus, modice tamen, fluxit. Filiolam sarcinatoris annorum quinque catameniorum fluxum patientem se vidisse scribit Josephus Lanzonus *Ephemerid. Academ. Natur. Curios. Cent. 1 & 2. Obs. 42. p. 111.* Georgius Dethargius aliquando ad filiolam vocabatur octennem, ex suppressione mensium cachexiæ obnoxiam, cui a quinto ætatis anno, stato tempore, exactissime fluxerant; & revocatis medicamentorum usu mensibus omnis cachexia cessabat &c. *vid. ibid. App. p. 186.* De puella quinquenni, per quindecim menses, tempore ordinario menses patiente. vid. le Journal des Sçavans *Tom. 11. p. 39. 112.*

§. 9.

in quadrienni. Tabellarii cujusdam filiæ a quarto in octavum ætatis annum periodice ubi fluxissent menstrua, accidit forte, ut illis suppressis omnis ipsorum sanguis conversus sit in caput, producens illic primum quidem dolorem dentis, sed mox sordidum ac sinuosum gingivarum ulcus, & tam pertinacem inferioris maxillæ cariem, ut non nisi tardissime potuerit ulceris cavum carne iterum impleri, & convenienter cicatrice obduci, teste Nicolao Tulpio *Obs. med. Lib. 3. cap. 36. p. 256.* Domicella Baronissa Ruepin a parentibus mediocris staturæ nata, cum vix quartum annum excessisset, menstruata

struata facta, singulis mensibus ordinate per uterum fluebat, facie interim senescente, octavo ætatis anno deficientibus viribus, nullo alio præsente morbo anno 1684. obiit, juxta relationem Georgii Tobiæ Dürrii *M. N. C. Dec. 3. An. 7 & 8. Obs. 149. p. 267.* In puella quatuor tantum annorum menses observasse obstetricem quandam, refert Josephus Lanzonus *l. a.*

§. 10.

in triennio.

Medico Burdegalensi, nomine Modery, oblata fuit puella, undecim circiter annos nata, chlorosi inquinata, atque ex aliorum relatione, ob suppressum fluxum menstruum, quem jam triennis & deinceps experta erat, tam vero statuto ordine, ut nunquam vel copia vel tempore deliquerint &c. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An. 1. Sept. Obs. 5. p. 143.* Puella quædam nobilis quindecim annorum a tertio ætatis anno menstruam patiebatur ordinario purgationem; cæterum bene valebat, nec ullum sentiebat incommodum, a scabie itidem, variolis morbillisque aliisque puerilibus affectibus plane immunis erat, annotante Alardo Hermanno Cummeno *M. N. C. Dec. 1. An. 3. Obs. 114. p. 185.* Johannes Nicolaus Pechlinus *Obs. med. phys. Lib. 1. Obs. 34. p. 81.* ex ore fidelis Medici refert, puellam, quam habebat, unicam, trium annorum, jam tum mensibus fuisse divexatam, mox præcocis naturæ impetu lente deficientem, ipso ætatis anno quinto interiisse. vid. etiam *M. N. C. Dec. 1. An. 9 & 10. Obs. 27. p. 84. seq.* In puella trienni optime sibi nota menses præcoces cum admiratione observasse, nullo prægresso morbo, scribit Ehrenfridus Hagendornius *Histor. med phys. Cent. 2. Hist. 83. p. 260.* De puella, quæ non modo secundo ætatis anno magnas admodum, instarque lactantium feminarum, habuit mammas, sed etiam post tertium annum ordinarium mensium fluxum passa est, sextumque agens annum filium peperit, vid. Joh. Albrechti de Mandeslow *Epistol. ad Adam. Olear. fol. m. 11.* vid. etiam Joh. Jacob Saars Ost-Indian. Reise *cap. 4. fol. 63.*

§. 11.

in bienni.

Infantem duorum circiter annorum menstrua habentem, quæ tamen

tamen post tertiam menstruationem periit, Lugduni se observasse scribit Fredericus Deckers *in Not. ad Prax. Barbett. Lib. 4. cap. 13. p. m. 206.* De infante bienni Hagæ menstruo fluxu laborante, vid. Dan. Menon. Matthiæ *Obs. 14. p. 96.* Textoris filiolam annos duos habentem jam ter vel quater menses passam fuisse, refert Stephanus Blancardus *Collect. medic. physic. Cent. 1. Obs. 81. p. m. 111.*

§. 12.

in puella unius anni. Menstruam periodum in infante unius anni observavit Theodorus Liebergius, illi scilicet unum tantum annum, vel paulo amplius habenti, sed optime valenti, jam ter repetita vice adultarum more (habita sanguinis infantisque tenelli corporis ratione) menstruus fluxerat sanguis. vid. Cornel. Stalpart van der Wiel *Obs. rar. Cent. 1. Obs. 77. p. 336. seq.* Puellæ cujusdam, unius & trium quadrantum anni, cui totum fere corpus pilosum, facies pro ætate major & vox gravior, pudenda magna & pilosa, mammæ item magnæ ac turgidæ erant, quæque jam tum menses ter sine ullo incommodo viderat, meminit Ido Wolfius *Observ. chir. medic. Lib. 1. Obs. 20. p. m. 67.*

§. 13.

in puellis recens natis. Imo *in nonnullis puellis statim primo* ætatis anno, quandoque etiam in recens natis & a prima nativitate menses apparere solent; qualia exempla Johannes Bohnius *Circul. anat. physiolog. Progymn. 16. p. 243.* de duabus puellis recensет, in quibus tertio & quarto a nativitate die simile quid observasse testatur, ita tamen ut in earum una cruentationis hujus ne vestigium amplius comparuerit, donec anno tertio ex febre acutissima moreretur, & vix aliquot ante discessum horas aliquid sanguinis per pudenda æque ac gingivas ipsi erumperent. Altera autem harum puellarum ad duodecimum usque annum, statis temporibus menstruum tributum naturæ solvit. vid. etiam Joh. Bohn. *Tract. de Offic. med. duplic. Lib. 1. cap. 20. p. m. 417.* De puella nata mammillis pendulis, pilis alarum atque pubis ornata, cui etiam menstrua recens natæ fluebant, vid. Joh. Georg. Schenck. *Monstrorum Histor. p. 87.* Puellæ cuidam menses vige-

ſes vigeſimo a nativitate die fluere incipiebant, deinde ſuppreſſi redibant poſt menſem exactum denuo, poſt alterum iterum. Eandem periodum ſervabant tertio, quarto, quinto, ſexto, ſeptimo, octavo & nono ætatis menſibus. Decimo autem menſe puella variolis correpta interiit, juxta verba Alardi Hermanni Cummeni *M. N. C. Dec. 1. An. 3. Obſ. 114. p. 185.* De puella mox a nativitate menſtruum paſſa ſequentem obſervationem recenſet Jacobus Auguſtinus Hünerwolffius Phyſicus Arnſtadienſis *ibid. An. 9. Obſ. 100. p. 172.* Comis & urbana quædam femina, a marito caſtra ſequente, gravida hic relicta pedibus prodeuntem peperit filiolam, quæ quinque dies cum ingenti vagitu per uterum excrevit ſanguinem; poſtea vero deſiit hic fluxus & commodior venit filiolæ quies. De ſanguinis fluxu ex pudoris ſinu quatuor dies natæ puellæ & poſtea ſecunda vice periodico obſervationem refert Joh. Matth. Müllerus *Ephem. Acad. N. C. Cent. 10. Obſ. 68. p. 376.* ſc. anno 1718. dieb. Aug. apud filiolam de Stetten tertio poſt nativitatem die borborygmi in abdomine audiebantur, quibus ſequenti die ſanguinis ex uterculo ſupervenit fluxus; & tertio fluxus die labia pudendi turgidiuſcula, in vaginula quoque ſanguis congrumatus juxta caruncularam myrtiformem infimam obſervabatur. Poſt 14. dies idem fluxus per triduum, & finitis iterum tot diebus redibat, poſtea ad uſum coralliorum rubrorum ceſſabat. Huic analogam obſervationem de puella primo a nativitate octiduo, ſanguinem quaſi menſtruum excernente, refert Guſtavus Caſimirus Gahrliep *M. N. C. Dec. 3. An. 7 & 8. Obſ. 40. p. 259.* ſcilicet puella recens edita quinque a partu diebus nullum urinæ veſtigium reddebat, totumque triduum fletu & vagitibus tranſigebat, quo abſoluto e vulva & vagina uteri alba, viſcida ac tenax in longum ductilis materia biduum effluxit, qua ſenſim in ruborem transeunte ſucceſſit menſtruis virginum adultarum ſimillimus cruor, pro tantilla ætate copioſus, qui quinque dies continuos duravit, ſenſim tamen ſub finem præſertim imminutus &c. Anno 1668. elata eſt Amſtelodami puella, quindecim dies & tres omnino menſes nata. Mater

gravidationis tempore ira percita, ita commovebatur, ut menstrua ei fluere inciperent, & deinde mensibus singulis redirent, ita ut illa, num vere gravida esset, addubitaret: Præcipue cum sub finem gravidationis fluxus hic quindecim continuis diebus perseveraret: Eo nondum cessante parit puellam; cui menses fluere incipiebant ipso nativitatis die, & ita fluxerunt quindecim omnino diebus: Deinde suppressi, redierunt post mensem exactum denuo: Et post alterum iterum: Post tertium autem puella epilepsia correpta interiit, secundum ipsissima verba Theodori Kerckringii *Spicil. anat. Obs. 87. p. 168.* Fortasse hæc est eadem observatio, quam paulo ante a Cummeno communicatam ex Miscellaneis N. C. adduximus; quia utriusque verba adeo concordant. Hanc observationem refert etiam Jean Baptiste Verduc *dans la Suite de la Pathalogie de Chirurgie chap. 46. p. 114.* Puellæ cuidam, quatuordecim menses natæ beneque valenti, secundo a partu die menses & quidem satis magna pro modulo tantilli corporis quantitate, lunaribus periodis profluxisse ex observatione Cornelii Solingii recenset Cornelius Stalp. van der Wiel *l. a. Schol. p. 338.* In puella post octo a partu dies sanguinis quasi menstrui fluxum per decem circiter dies continuantem observavit Louyse Bourgeois *im Hebammen-Buch Part. 2. cap. 5. Obs. 17. p. m. 21.* vid. insuper Joh. Schenck. *Observ. med. Lib. 4. fol. m. 629.* Matthiæ Moran. *Direct. med. pract. p. 294.*

Observatio. Quibus observationibus annectere placet: An. 1692. In JCti apud Dresdenses non incelebris ex matre admodum biliosa recens nata filiola proxime post partum, summa cum obstetricis omniumque adstantium muliercularum admiratione, per quatuor dies cruentatio, puberibus puellis alias solita, apparebat, quæ, quamvis ab hoc tempore cessaret, singulis tamen mensibus periodice & tempore ordinario per sesquiannum redibat. Hoc vero sanguinis effluxu disparente, nihilominus loco sanguinis, ordinarie seu certis periodis, per biennium fluor albus succedebat; a quo hæc puella adeo debilis reddebatur, ut ante completum annum ætatis octavum vix erecte incedere posset. Postero tamen tempore balneatori cuidam nupta vegeta satis vixit.

§. 14. Pari

§. 14.

Pari modo etiam terminum ceſſationis ſupra indicatum, annum videlicet quadrageſimum nonum vel quinquageſimum, rationem menſtruationis nonnullæ feminæ transſcendunt, atque interdum ad ſenium usque menſtrua experiuntur, non tantum ſexagenariæ, ſed etiam ſeptuagenariæ & ultra, uti ex ſequentibus obſervationibus patet. Novit ſcilicet Simon Schultzius inter plebejas viduam operarii cujusdam, quinque liberorum matrem, vegetam laborioſamque mulierem, cui adhuc anno ætatis quinquageſimo nono fluxus ille duravit: Qui fortaſſe diutius continuaſſet, niſi eodem anno mulierem iſtam peſtis ſuſtuliſſet. In femina antiſtita cœnobii D. matris Domini, Patavii e familia Camerina, carnoſa bonique habitus, menſes ab anno ætatis undecimo usque ad ſexageſimum proveniſſe, refert Johannes Rhodius *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 48. p. 144.* Bina exempla annotavit etiam Antonius le Grand *Curioſ. Rer. Perſcrut. p. 343. ſeq.* ſive, qui verus Autor eſt hujus libri, Julius Cæſar Baricellus *Hortul. geniol. p. m 394. ſeq.* mulierem, inquiens, hic cognovi, Victoriam nomine; huic in anno quadrageſimo quinto menſtrua ceſſarunt, & fauſta valetudine vixit. Cum autem ſexageſimum fere annum attingeret, ecce illi menſes rubei bonique coloris rediere, uberaque, quæ prius flaccida erant, more virginum turgidula facta ſunt, lactisque tandem copia impleta, ut impulſu ferretur: Quare ut puerulum filiæ ſuæ lactaret, a me admonita eſt. Alteram cognovi, quæ usque ad annum ſexageſimum quintum ſemper menſtrua paſſa, & hodie vivit, & menſtrua ſingulis menſibus fluentia habet. Ex quibus obſervationibus deinde ita concludit allegatus Baricellus: Quam fallax ſit tum Ariſtotelis, tum aliorum judicium, quod in mulieribus circa quadrageſimum annum, ſive quinquageſimum, menſtrua deficiant, quotidiana demonſtrat experientia. Scire autem debuiſſet Baricellus, Ariſtotelem, Hippocratem & alios doctos viros in ſuis regulis & aphoriſmis ad id reſpexiſſe, quod fere ſemper & utplurimum fieri ſolet. Porro matronæ cuidam Hano-

Menſium ceſſatio.

Menſes in ſexagenaria.

veranæ menſes ſubſtiterant anno ætatis quadrageſimo ſecundo; nullo tamen inde vexata incommodo ſana vixit ad annum usque ætatis quinquageſimum tertium; quo tempore Piermontanas acidulas petiit. Has cum biberet, menſes redeunt ſtato quidem tempore, ſed copioſe fluentes, ad annum usque ætatis quinquageſimum ſeptimum, quo tempore hæmorrhagia uteri copioſiſſima corripitur. Reſtituta autem commodis remediis per aliquot menſes juventutis vernavit floribus. Sub hyemem tamen, cum ex fractura tibiæ lecto affigeretur, menſtrua purgatio periit, nec poſtmodum rediit; quod ipſum tamen magno cum ſanitatis incommodo factum, juxta relationem Alardi Hermanni Cummeni *M. N. C. Dec. 1. An. 3. Obſ. 114. p. 185.* Matronam nobilem, cui ſexageſimo ætatis anno iterum menſes erupere, ſed intra annuum ſpatium obiit, ſe noviſſe ſcribit Paulus Spindlerus *Obſerv. 68. Schol. pag. 128.* Inquit etiam Valeſcus de Taranta *Philon. pharmac. Lib. 6. cap. 9. p. m. 662.* Se noviſſe mulierem boni habitus, quæ poſt ſexageſimum annum habuit menſtrua, concepit & peperit tres filios, quorum ultimus natus eſt anno matris ſuæ ſexageſimo ſeptimo. Juxta obſervationem Benjam. Scharffii *M. N. C. Dec. 3. An. 5 & 6. Obſ. 91. p. 176.* mulier ſexaginta quatuor annorum ſatis ſana ſibi viſa, præterquam quod ſæpius inſultibus tentaretur podagricis, tributum lunare ordinarie ſingulis menſibus perſolvebat, quin & partum adhuc & conceptionem expectabat.

§. 15.

in ſeptuagenaria. Novit etiam Simon Schultzius matronam, quæ fere usque ad ſeptuageſimum annum, ſc. ad finem vitæ eundem fluxum naturaliter experta eſt vid. *M. N. C. Dec. 1. An. 3. Obſ. 151. p. 274.* Poſt primi entis vegetabilis, meliſſæ, uſum vetulæ cuidam ſeptuaginta ferme annorum purgationes menſtruas magna in copia rediiſſe obſervavit Robertus Boyle *in Tract. de Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. 5. §. 12. p. 258.* In conſulis Colbergenſis uxore, ſeptem liberorum matre, menſtrua usque ad ſeptuageſimum ſextum ætatis annum ſtatis temporibus fluebant; hoc fluxu autem ceſſante & vires ſenſim decrevere,

crevere, donec septennio post, anno scilicet ætatis octuagesimo tertio, e vita decederet, referente Baldassare Timæo a Güldenklee *Cas. medic. Lib. 4. Cas. 14. p. 212.* Georgius Segerus Wittebergæ in hospitio suo vetulam septuaginta duorum annorum cognovit, quæ menstruarum purgationum jam fere oblita cum vitæ dispendio easdem experiri coacta fuit. vid. Thom. Bartholin. *Epistol. med. Cent. 2. Epist. 86. p. 683.* Menstrua ad annum usque septuagesimum octavum profluentia observavit Guilhelmus Fabricius Hild. *Observ. Chir. Cent. 2. Obs. 61. fol. m. 135.* & quidem in matrona nobilissima Maresealkia Plettenburk, cui menses ad dictum ætatis annum ordinarie profluxerant. Quo anno cum ab ordine discedere & inordinatius prodire cœpissent, in febrem continuam incidit. Cum vero natura per criticam expulsionem sese in crus sinistrum exoneravisset, exorta est inflammatio, & dolor maximus, indeque gangræna cum subsequente morte. Hæc Maresealkia, juxta Reiner. Solenandr. *Consil. Sect. 5. Cons. 15. fol. m. 492.* cum ageret annum septuagesimum & amplius, recepit suos menses ordinate, bene valens & retinuit annos quatuor. Quarto tamen anno videbantur ab ordine discedere & inordinatius prodire, obiit autem anno nonagesimo. Sequentes observationes recenset Josephus Lanzonus *Ephemerid. Cent. 1 & 2. Obs. 42. p. 110. seq.* Famula quædam monialium Ferrariæ septuagenaria quovis mense fluxum patiebatur menstruorum spatio quatuor dierum perdurantem. Pariter uxor cujusdam Judæi annorum sexaginta novem erat menstruata. Idem etiam in honesta vidua septuaginta duorum & in rustica sexaginta septem annorum observavit. In femina sexagesimum septimum annum agente menses observatos allegat Rosinus Lentilius *M. N. C. Dec. 3. An. 5 & 6. App. p. 118.* In anu septuaginta duorum annorum fluxus menstrui, ter vel quater uno mense per collum prorumpentis, exemplum recenset equidem Stephanus Blancardus *Collect. med. physic. Cent. 6. Obs. 47. p. m. 280.* Utrum vero talis hæmorrhagia vel hæmoptysis a mensibus, an ab alia causa ortum sumserit, non immerito mecum dubitat Rosinus Lentilius *l. a. p. 119.*

In vetula septuagenaria menses per os excretos annotavit Dominicus Panarolus *Pentec. 1. Obs. 6. p. 4.* scilicet cum mulier ab adolescentia nunquam menstruata fuisset, incidit in febrem, cum maximis ventris infimi doloribus, donec largo effluxo sanguine per vomitum sanata fuerit, verum singulis mensibus usque ad annum septuagesimum semper hoc modo menses excrevit magna cum intuentium audientiumque admiratione. Refert etiam Georgius Francus *Satyr. med. 6. p. 97.* Generosissimam Dominam de Landas, natam de Hammerstein, Electoris Palatini Mareschalli viduam, ad septuagesimum annum usque & ultra ordinarie mensium fluxum passam esse, ut ipsa æque ac agnati ejus alii ipsi Franco confessi fuere. Duo ejusmodi mensium ultra septuagesimum annum profluentium exempla ex communicatione amicorum refert Guilhelmus Fabricius Hild. *l. a. Cent. 4. Obs. 63. fol. m. 336.* & quidem primo in nobili vidua, quæ annum circiter septuagesimum tertium statis temporibus ordinato menstruo fluxu laborabat. Deinde virgo quædam, cum ab anno quinquagesimo ætatis suæ menstruis caruisset fluxus, & annum septuagesimum ætatis prætergressa esset, denuo ipsi menstrua supervenerunt, & tribus ordinariis mensibus recursum habuerunt, postea cessarunt. Sed, quod annotatione dignum, ex evacuatione illa natura quasi reviviscens ad centesimum fere annum ætatis pervenit virgo illa, & tandem extrema macie confecta e vivis discesit. Ex qua observatione videmus non semper infallibilis consequentiæ esse prognosin Eberhardi Gockelii & aliorum Medicorum; Menses scilicet in senio contra naturæ consuetudinem erumpentes plerumque mortis brevi insecuturæ prodromum esse, quod dictus Gockelius *Gallicin. Cent. II. Conf. 95. p. m. 603.* tribus exemplis corroborat, quæ tamen non æque de periodico mensium in vetulis fluxu, quam uteri hæmorrhagia loquuntur. Uxor chartarii septuaginta sex annorum, fonticulo ex consilio medici in crure dextro excitato, sensit præter expectationem menstrualem fluxionem ex postliminio redire, justam servare periodum, tanto quidem

cum

cum effectu, ut exinde juveneſcere videretur, annotante Johanne Petro Prückelio juxta M. N. C. *Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 9. p. 46. vid.* etiam Theoph. Bonet. *Medicin. ſeptent. Part. II. Sect. 2. Obſerv. 15. fol. 34.* De muliere ſeptuagenaria, bis menſes iterum experta, & tandem pro gravida habita, ſequentem obſervationem inſeruit Johannes Georg. Hoyerus Ephemeridibus *Acad. Nat. Cur. Cent. V & VI. Obſ. 34. p. 333.* Mulier ſeptuaginta trium annorum in duobus matrimoniis fœcunda, in tertio vero per octodecim annos ſterilis, alias ſatis vegeta, corpore & animo in nuptiarum conſanguineæ ſolenniis paulo magis exagitatis cum prægreſſo titillationis ſenſu de novo menſes eo, quo olim, ordine per aliquot dies experitur, qui, præterlapſo menſe, quoque recurrunt &c. Femina ſana & robuſta ſeptuageſimo ſexto ætatis anno menſtruum ſanguinis floridi fluxum, quem hactenus plures per annos non viderat, ſtato tempore & ordine egregia cum euphoria quinquies experiebatur. Hoc autem ceſſante paulo poſt ſyncope moriebatur, teſte eodem Hoyero, *ibid. Cent. I & II. Obſ. 115. p. 239.*

§. 16.

Magis tamen adhuc mirandum videtur, quod de feminis octogenariis & ultra recenſent auctores, exempli gratia, Thomas Bartholinus *Hiſtor. Anat. Cent. VI. Hiſt. 34. p. 257.* de vidua Paſtoris religioſi annos octuaginta duos nata, quæ hac in ætate robuſta adhuc & vegeta, ſed nimio ſanguinis fluxu anxia fuit. Olim illi ante annum quinquageſimum ſubſtitere menſes. Interea ſana vixit, donec anno ætatis ſeptuageſimo ſeptimo præter ſpem fluxus menſium repeteret. Fluebat vero ſanguis parce & guttatim per biduum, quo non parum vetulæ vires frangebantur; poſtea per biduum ceſſabat, beneque valebat & easdem vices redeundi ad dictum tempus ſervabat. Vitæ ſuæ & ſanitati timebat, quia hujus fluxus occaſione ipſius mater, quum annum centeſimum ſuperaſſet, occubuerat. In ejusdem Bartholini *Epiſt. Med. Cent. 4. Epiſt. 86. p. 488.* refert Daniel Puerarius, mulierem quandam octogenariam, a duobus circiter annis, menſtruas purgationes paſſim fuiſſe ἐυτάκτως cum

in octogenaria.

cum ſanitatis commodo & εὐφορίᾳ. Item mulieri cuidam anno ætatis ſuæ quadrageſimo tertio menſtrua ſubſtiterant; ipſa tamen nullo inde vexata incommodo ſana vixit annum usque octogeſimum: quo febre tertiana, non gravi tamen, cœpit laborare, & anno ſequenti, id eſt, octogeſimo primo ætatis rediere menſtrua, eaque ſtatis ſuis temporibus fluxerunt, ſine ulla ſanitatis læſione (niſi quod, antequam ſingulis menſibus redirent, aliquo ſuffocationum uterinarum laboraret incommodo) usque ad annum octogeſimum quintum, quo vivere deſiit, vide Theod. Kerckring. *Spicileg. anat. Obſ. 88 p. 169. ſeq.* Hanc obſervationem recenſet etiam, absque tamen Kerckringii mentione, Johannes Baptiſta Verduc *de l' Uſage des Parties Tom. I. cap. 16. p. 248.* on a vû, inquiens, une femme de quatre-vingt ans, qui avoit ſes purgations; elles ceſſerent a quarante-trois ans, ſans en étre incommodée ſa ſanté fût toûjours favorable depuis, jusqu' a quatre-vingt ans: il lui prit une fievre tierce l'année ſvivante, c'eſt à dire à quatre-vingt un an; ſes ordinaires revinrent & coulerent reglement jusqu'a ſa mort, qui arriva à quatre-vingt-cinq ans. Similem obſervationem communicat etiam Johannes Henricus Hottingerus *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 26. p. 403. ſeq.* Honeſtam, inquit, aliquam novi matronam, octogeſimum ſecundum annum jam excedentem, liberorum aliquot matrem, quam menſtrua purgatio anno quadrageſimo ſexto reliquit, ipſa vero ad octogeſimum pertraxit annum absque ullo incommodo vitam, ſecus quam quod variis pro ſenum more affectibus catarrhoſis fuerit detenta, dictoque anno inſultum apoplecticum percepit, quo tamen feliciter ſuperato, elapſis aliquot poſt menſibus, fluxum ſanguinis uterini experta, qui tribus peractis hebdomadibus recurrit, & quidem cum maxima euphoria ſanitatisque emolumento, qui & poſtea repetitis dicto temporis intervallo vicibus copioſe ſatis ſeſe manifeſtavit, læteque proſpera fruitur valetudine. Bina viduarum, annum octogeſimum jamjam transgreſſarum, ſemper nihilominus ſingulis menſibus, inſtar mulierum juniorum, menſtruatio-

ſtruationis fluxum patientium exempla refert Louyſe Bourgeois *de Art. Obſtetric. Part. 2. cap. 6. p. 22.* In matrona nobili octogenaria ſcorbutica conſummata catameniorum profluvium, ſalutare tamen & pro critico habitum, annotavit Johannes Georgius Freſenius *vid. Ephemerid. Academ. Natur. Curioſ. Cent. 7. & 8. Obſ. 48. p. 93.* In agnata octoginta novem annorum menſtruationem annotavit Georgius Francus *Satyr. med. p. 451.*

§. 17.

De nonagenaria menſtruata hanc obſervationem refert Ehrenfridus Hagendornius *Hiſtor. med. phyſic. Cent. 2. Hiſtor. 84. p. 262. ſeq.* Vixit hic loci (Gorlicii) matrona quædam non infimæ conditionis, juvenilibus annis bis maritata, hinc ad mortis articulum vidua, cui Deus id naturæ robur conceſſerat, ut maximam ætatis partem ſine morborum inſultibus transegerit, inſtructa quoque ea valetudinis integritate, ut potum frigidiſſimum cibosque difficillimæ concoctionis ſine noxa aſſumere & perferre valeret, præterquam quod circa annum ætatis nonageſimum de quadam viſus obſcuritate & languore univerſali conqueri cœperit. Annum ætatis nonageſimum ſecundum ſupergreſſa, iisdem per quadraginta & amplius annos ſilentibus, perinde ac juvencula ſucciplena, ſtato tempore experitur menſes, primo ſibi formidine quadam inde inceſſa, poſtea vero, cum nihil detrimenti inde paſſa fuerit, Dei arbitrio naturæque extraordinarie ſic ludentis curſui re tota commiſſa. Continuante ſic fluore hoc menſtruo per anni ſpatium, tandem is imminui, ſenſim ſenſimque evaneſcere, & matrona anno ætatis ſupra nonageſimum quarto placide obdormivit. *in nonagenaria.*

§. 18.

Inter rariora referendum, quod Reinerus Solenander *Conſil. med. Sect. 5. Conſ. 15. fol. 492.* recenſet: Nobilis femina Burgundica ex Dorbeck novit mulierem trium ultra centum annorum, honeſtam, quæ cum eſſet annorum centum & unius, recepit menſes ordine fluentes magna commoditate naturæ & valetudinis. *in centenaria & ultra.*

Retinuit istum ordinarium fluxum annos 101. 102. & 103. sed hoc anno profluxibus eisdem tentata occubuit. Monialii cuidam ab anno centesimo ad centesimum tertium fluxisse menses ex Hercule Saxonia refert Georgius Francus *Satyr. med. 6. p. 98.* Sive virgini sacræ centesimum agenti annum cessasse molestum sex mensium pruritum a fluxu menstruo, cujus in annum tertium vices persensit, ex Hercule Saxonia refert Johannes Rhodius *Obs. med. Cent. 3. Obs. 48. p. 144.* Feminam quandam transacto centesimo ætatis anno per tres continuos annos singulis mensibus menstruo fluxu laborasse, ex relatione celeberrimi Theologi Amstelodamensis Balthasaris Beckeri recenset Stephanus Blancardus *Collectan. medic. phys. Cent. 7. Obs. 18. p. 22. & Obs. 19.* Idem Autor etiam feminam, uxoris suæ cognatam, a prima juventute usque ad centesimum sextum ætatis annum tempore ordinario, menstruationis beneficium habuisse scribit.

CAPUT VI.

De Menstrui sanguinis Quantitate aucta & diminuta.

§. 1.

Mensium quantitas incerta.

QUantitatem profluentis sanguinis menstrui quod attinet, eandem nonnulli Medici secundum mensuram vel pondus describere atque determinare student, ubi ex mente Hippocratis moderata menstrui quantitas est mensura duarum heminarum, quæ novem continet uncias. v. Zacut. Lusitan. *Prax. Histor. Lib. 3. cap. 2. Oper. Tom. 2. fol. 487.* & Joh. Freind *Emmenol. cap. 3. p. 13. seq.* cum tamen dicta quantitas tam ratione omnium feminarum, quam unius ejusdemque subjecti pro variis causis & accidentibus, v. g. pro differentia climatis seu regionis, status sani & morbosi, temporis anni & vitæ generis variare soleat. Unde etiam Martinus Lister. *Dissert. de Humorib. cap. 44. p. 407.* hujus profluvii menstrui mensuram admodum judicat incertam esse; nec determinari

nari poſſe ad certum pondus, niſi Statices ope. Certe, pergit idem, Hippocrati de viginti unciis utique fidem non do; cum ad tertias & infra, his certe frigidis regionibus, res reducenda eſt. Certe noſtris fere feminis multo minore & admodum moderata quantitate profluunt; idque ad biduum aut triduum, guttatim & interdum per leves quosdam ſaltus, pro uterinorum ductuum apertione. Et juxta Henrici Snellen *Delineat. Theor. mechan. Part. 2. p. 97. 98.* pondus menſtrui ſanguinis ab uncia una alterave in maxime ſanis aſcendit utplurimum ad libras tres quatuorque, ſi ulla fides externis adhibenda; nam certi aliquid hic pronunciare nemo poterit, niſi primo ſanitatis perfectioris ſtatum traderet, & reliqua ad morbos menſtrua viginti unciarum pondere minora aut majora releget, quod impoſſibile ſtatuimus, & mere ex unius medici docentis arbitrio, vel ex ſtatu unius vel alterius mulierculæ dependeret, ſed in demonſtrationem liquidam nunquam caderet. Auctoritas Hippocratis nullius hic eſt ponderis, ille enim non magis de ſanguinis illius quantitate pronunciare poterit, quam Medicus hodiernus. Hippocrates in calida regione praxin exercens, de illis forſan regulari magis ſtatu præditis menſtruis, ex mulierculis ſedentariæ nimisque tranquillæ & domeſticæ vitæ per vim deditis, ac a nimium zelotypis illarum maritis polygamiam foventibus, aliquid inquirere potuit; quamvis hæc inquiſitio difficultate ſua haud caruerit: Sed hæc non ita de noſtris, nec tam otioſis, nec ſolem tam anxie fugientibus, affirmare ullus ſobrius poterit, multo minus eas laborioſas minus menſtruare debere, quod totaliter veritati contrariatur. vid. etiam Joh. Bohn. *de Offic. Medic. dupl. Part. 1. cap. 20. p. 416.*

§. 2.

Dari autem hujus fluxus menſtrui differentiam, ex eo videre primo licet, quia nonnullis feminis in parva, aliis in debita ſeu mediocri, aliis vero in nimia quantitate fluere ſolet. Nimis autem diuque fluentium menſium exemplum refert Thomas *Menſes nimii.*

Bartholinus *Cent. 3. Hist. 8. p. 22.* de pastoris in Scania menstrui fluxus ubertate laborante uxore, triginta octo annorum, cui inter dolores maximos prodierunt menses, sex hebdomadum spacio leniter fluentes, qui subinde per biduum subsistentes, recurrentibus iisdem doloribus revertebantur. Qui fluxus, medicamentis nihil proficientibus, evasit continuus atque octavo quovis die, velut periodicus, tanta copia effundebatur, ut grumosi sanguinis vasculum satis capax exciperetur, jamque vires valde prostratæ sanguinem sistentia poscerent. Nobilissima Domina de la Jassodiere, annorum quadraginta, optimi habitus & temperamenti, a duobus fere annis laborabat fluore muliebri seroso, qui per intervalla adeo copiosus erat, ut ægrotantem in vitæ periculum conjiceret. v. Lazar. River. *Obs. med. Cent. 4. Obs. 86. pag. 57.* quo loco alius uxoris meminit annorum circiter septem & viginti, quæ post excretionem molæ bimestris incidit in fluxum sanguinis immodicum, qui per tres septimanas perseverans eam in vitæ discrimen adduxit. Femina quædam gravida per menses quatuor menstruorum fluxu continuo, fœtu vivo ac superstite afflicta fuit. v. Freder. Deckkers *Exercit. practic. cap. 1. p. 16.* Villici cujusdam uxor nimium per aliquot annos passa erat mensium fluxum, cui deinde per sesquiannum continuo ex utero sanguis profluxerat, uti testatur Ido Wolfius *Obs. chir. medic. Lib. 1. Obs. 16. p. 151.* Mulier quædam, quadraginta annorum, ab annis tribus continuo mensium fluxu laboraverat, quo cessante sequuta fuerat per eandem uteri viam molestissima aquosæ materiæ fluxio, juxta Thom. Barthol. *l. c. Cent. 2. Hist. 42. p. 206. seq.* Mulierem, quæ bis quolibet mense in maxima quantitate, citra sanitatis noxam, menstrua ejiciebat, vidisse scribit Dominicus Panarolus *Pentec. 2. Obs. 41. p. 54.* Et *Pentec. 3. Obs. 3. p. 62.* idem Autor mentionem facit mulieris quinquaginta sex annorum & fortasse amplius, quæ tertia quaque hebdomada copiosissimum sanguinem ex utero excrevit. De menstruo fluxu post duas septimanas ordinarie revertente sequentem observationem annotavit Johannes Matthias Mülle-

Müllerus *Ephemerid. Academ. Cent. 8. Obſ. 39. p. 311.* Virgo ſcilicet honeſtiſſimis parentibus prognata ab anno ætatis decimo quarto menſium fluxum ſentire incepit, qui poſt quatuordecim dies ordinarie revertitur, & initio per totum octiduum, poſtmodum quinque vel ſex dies ſat copioſe durat, qualem periodum menſes poſt duas ſeptimanas jam ultra ſesquiannum in hac virgine alias ſana, robuſta, procera, plethorica nihilque ſanitatis detrimenti inde patiente ſervarunt. Uberiorem quoque fluxum menſtruum pati feminas ſcorbuticas, ſanguinem acriorem habentes, confirmat Michael Ettmüllerus *Phyſiolog. cap. 23. Tom. 1. f. m. 166.* Scribit etiam Philippus Jacobus Sachs *Gammarol. Lib. 2. Sect. 2. cap. 9. p. 873.* Sibi relatum eſſe, feminam, ſi tranſeat ſepulchrum feminæ puerperio extinctæ, eſſe laboraturam fluxu menſium perpetuo; ſanari ægram, ſi tres cancri ſepeliantur cum puerpera. Et juxta Henr. Snellen *l. a. p. 103.* in corruptis & depravatis menſtruis, ex talium particularum copia, quæ vehementius in obſtantia vaſa illidunt, menſtruatio prodigioſa abſolvitur, durans aliquando ad octo, decem, duodecim, quatuordecim dies. Cum vero in praxi quotidiana plurima nimii menſium, a variis cauſis dependentis, fluxus occurrant exempla, plura hoc loco adducere ſuperſedebimus.

§. 3.

E contra etiam quandoque menſes diverſis ex cauſis nimis ma- *Menſes mature ceſſantes*
ture & extraordinarie ceſſant, deficiunt & ſupprimuntur, vel etiam in feminis nunquam apparent. Imprimis autem obeſioribus menſes multo citius ceſſare ſolent juxta Joh. Freind *Emmenolog. cap. 1. pag. 3 & cap. 7. pag. 48. ſeq.* Id quod exemplo probat Roſi- *ob nimiam*
nus Lentilius *Miſcellan. med. pract. Part. 1. p. 237.* & quidem præmatu- *obeſitatem.*
ræ & innoxiæ menſium emanſionis: Conſulis ſcilicet & Chirurgi in parva quadam imperiali civitate uxori anno ætatis vigeſimo nono, nullo aut præcedaneo aut ſubſequente, vel levicula etiam moleſtia lunulæ fluere deſierunt; ex quo tempore non amplius menſes vidit, cætera ſana & obeſa mulier. vid. etiam Ephe-

merid. Acad. Nat. Cur. *Cent. 1. 2. App. p. 203.* Et juxta Daniel. Sennert. *Pract. Medic. Lib. 4. Part. 2. Sect. 2. cap. 3. pag. m. 140.* in pinguibus & obesis sanguis ille superfluus in pinguedinem convertitur. Unde Hippocrates & Galenus monent, quod corpora & gracilia & obesa, aut plane menstrua evacuatione carent, aut exiguum habent: in quibus etiam irrito conatu, stantibus hisce causis, in menstruis provocandis laboratur. Cui sententiæ etiam favere videtur Philippus Jacobus Hartmann *M. N. C. Dec. 2. An. 9. Obs. 13. p. 41.* ubi, vasa in obesis minus ampla esse, minusque continere sanguinis, scribit. Alii tamen dissentiunt, e. g. Henricus Snellen *Delineat. Theor. Mechan. Part. 2. p. 108.* Obesiores citius menstruum terminum absolvere, ut Johannes Freind & Sennertus volunt, nunquam se observasse inquit. Et mihi ipsi duæ sorores satis obesæ nimisque crassæ, altera quinquaginta, altera quadraginta septem annos habentes, notæ sunt, quæ ambæ menstruatim adhuc & ordinarie menstrua sua satis largiter per aliquot dies patiuntur, quarum junior, quæ primam suam menstruationem anno ætatis duodecimo experta est, insuper adhuc, pro evitandis phlogosibus cum rubore genarum inter prandendum ipsi obvenientibus, item pro impedienda crebriori narium hæmorrhagia, quotannis aliquoties venæ sectione & scarificatione abundantem sanguinem sibi detrahi curat.

§. 4.

Mensium cessationis causæ.

Plura equidem de mensium cessationis vel suppressionis causis adducenda essent, paucis tamen dicemus, easdem esse vel naturales vel præternaturales, ad naturales pertinet tempus ordinarium cessationis menstrui fluxus, quod utplurimum in septimum septenarium seu annum quadragesimum nonum vel quinquagesimum incidere solet. Deinde per naturæ observantiam gravidis atque lactantibus utplurimum menses deficiunt. Porro etiam feminæ gravioribus morbis decumbentes vel ab ipsis nondum plenarie restitutæ, item alias immodicas evacuationes, sanguinem

nem imminuentes, ejusque elaſticitatem infringentes, perpeſſæ, menſium defectu per tempus laborant. Ad præternaturales cauſas primario pertinet maſſæ ſanguineæ craſſities atque viſciditas, ſanguinis turgeſcentiam menſtruam vel motum impediens, quæ quandoque a cauſa interna v. g. ventriculi cruditate vel ab aliorum viſcerum vitio ſeu dyscraſia, quandoque etiam a cauſis externis & occaſionalibus, utplurimum ad diætam & res non naturales pertinentibus, contrahitur: Huc pertinet aer frigidus vel refrigeratio partium inferiorum ex immerſione in aquam frigidam, & quidem tempore, quo menſes inſtant vel jam fluunt; item aſſumpti cibi, v. g. panis calidus & modo ex clibano extractus, placentæ calidæ & pinguiores, aliique cibi indurati; acidi & auſteri, lac & lacticinia; vel etiam potus frigidus, corpore imprimis calente vel ſudante hauſtus. Nimia itidem quies & animi pathemata, imprimis terror, pavor, metus & mœror, anxietas & ſollicitudo; de quibus cauſis evolvi poſſunt Autores Pathologici & Practici e. g. Joh. Jacob. Waldſchmid. *Prax. Caſ. 47. p. 138. 504. ſeq. 880. &c.* Joh. Jac. Harder. *Apiar. Obſ. 81. Schol. p. 313.* Joann. Juncker. *Conſpect. Medicin. Tabul 13. p. 71. ſeq.* Mich. Albert. *Introd. in Univ. Medicin. Sect. 1. cap. 6 p. 156. ſeq.* Chriſt. Joh. Lang. *Oper. Tom. 3. diſp. 39. fol. 523. ſeq.* Mich. Ettmüller. *Oper. Tom. 2. fol. m. 1012. ſeq.* Joann. Fernel. *Pathol. Lib. 6. cap 16. p. m. 197.* Joh. Bernh. Gladbach. *Prax. Medicin. Id. de Cachex. §. 112. p. 282. ſeq.* Nicol. Blegn. *Zodiac. Med. Gall. An. 5. Mart. cap. 2. p. 52 ſeq.* Phil. Fraundorff. *de Morb. Mulier. cap. 2. p. 21. ſeqq.* Laurent. Strauſſ. *Paleſtr. Med. Part. 3. Gymnaſm. 16. p. 376. ſeqq.* Lazar. River. *Prax. Tom. 2 Lib. 15. cap. 2. p. m. 248. ſeq.* Roder. a Caſtro *de Morb. Mulier. Lib. 1. cap. 4 p. 12.*

§. 5.

Cum vero ex allegatis cauſis adductisque Autoribus evidenter pateat, ad menſium ſuppreſſionem plurimum conferre errorem in diæta & rebus non naturalibus, (vel potius neceſſariis, quia ſine illis nemo vivit) commiſſum, quem tamen evitare vel decli- *Suppreſſionis cauſæ.*

declinare, utplurimum in mulierum est potestate, aliquot pro feminarum admonitione exempla annectere libet. Imprimis autem quantas vires hic exerat prava victus ratio, Medici admonent, v. g. ex esu panis calidi virgines & mulieres tempore fluxus menstrui gravissimas obstructiones & suppressiones mensium sibi causare possunt, juxta Johann. Michael. *Prax. Clinic. Part. 1. Lib. 5. cap. 26. pag. 238.* Quem panem calidum Simon Pauli *Quadripart. Botan. Class. 3. p. 484.* non solum cunctis mulieribus, sed imprimis quoque menstruatis noxium esse probat, referens, ancillam pistoris Rostochiensis athletico habitu, bacchanaliorum tempore aut festo, devorasse unum itemque alterum similagineum panem, calidum ex furno extractum, quorum medullam affuso lacte & butyro, more patrio, subegerat; quæ vix horæ spatio intermisso lipothymia corripi, post deinde dyspnœa conqueri cœpit, quam triduo aut quatriduo spatio immedicabilis orthopnœa jugulabat; hancque ancillam menstruis manantibus sibi improvidæ hoc malum accersiviisse, dictus Pauli addit, hac annexa admonitione: Caveant ergo sibi virgunculæ, quæ ejusmodi calidis similagineis panibus inhiant; ceu qui maxime ipsarum valetudini officiunt. *Sic novi, pergit idem Autor,* in hac urbe honestissimam matronam, lauta in re, quinquagenariam propemodum, de hypochondriorum molestiis conquerentem, quæ mihi fassa est, se admodum adolescentulam, domi materteræ, nimium ipsi indulgentis, eductam; sibique fuisse licitum, singulis diebus propemodum emere a pistore in jentaculum calidos similagineos panes. Quæ ubi tempestiva viro, paucissimis mensibus, cachexia tabefieri occepisset, ac Medici in consilium essent vocati, isti fundum hujus calamitatis optima cum ratione esse pronunciarunt calentes illos triticeos aut similagineos panes. Ex esu placentæ ceraforum calidæ mensium obstructionem observavit Caspar Theophilus Bierlingius *Thesaur. theor. pract. Obs. 82. p. 1043.* scilicet filia coriarii cujusdam viginti annorum, temperamenti phlegmatici,

Panis calidus.

matici, cum eo tempore prima vice menſium pateretur fluxum, calidam ex ceraſis confectam edit placentam, hinc menſes ſtatim per annum cum dimidio reſtiterunt, nec eorum fluxum ullo modo iterum excitare licuit.

§. 6.

Archidiaconi Treptovienſis filiæ, octodecim annorum virgini, menſes ultra trimeſtre ſpatium ſubſtiterant, poſtquam cibis *Cibus crudus.* craſſis, viſcidis, fumo duratis, in muria maceratis, frequenti piſcium eſu, lacticiniis, fructibus horariis & potu cereviſiæ ſecundariæ fuerat delectata, referente Baldaſſare Timæo a Güldenklee *Lib. 4. Caſ. 8. p. 205. ſeq.* Virgo quædam quatuordecim annorum, *Lac.* tempore menſium fluxus, in ſanitatem alicujus tria cochlearia lactis recentis, a cujus tamen eſu tam illa, quam illius mater, alias ſemper alienæ fuerant, edere coacta fuit. Quo facto ſtatim ſuppreſſi ſunt menſes, alias largiter fluentes, cum ſubſequenti morbido faciei colore aliisque ſymptomatibus pravis, juxta Caſpari Theophili Bierlingii *Adverſar. Curioſ. Cent. Caſ. 39. Schol. p. 71.* Fortaſſe ob eandem cauſam nonnullis Medicis lactis uſus ſuſpectus eſſe ſolet, ſiquidem juxta Sim. Paul. *l. a.* Ludovicus Nonnus una cum aliis Medicis prohibet, ne loco aquæ piſtores farinam lacte ſubigant, ut candorem panibus concilient, qui magis ob lactis miſcellam poſtea viſcera nutritioni dicata obſtruunt, quam ſi cum aqua eſſent ſubacti. Muliercula, devoratis magna copia prunis, menſium ſuppreſſionem & ventris tumorem gravidæ inſtar incurrit, quæ tandem exacto anno purgantis medicamenti vi incredibili oſſiculorum prunorum per alvum dejectione liberata eſt: tumore ſubſidente, & menſibus legitimum ſuum typum denuo ſervantibus. v. Johann. Schenck *Obſ. Medic. Lib. 4. fol. 631.*

§. 7.

A potu etiam, imprimis aquæ frigidæ, poſt nimium motum *Potus frigidus.* aut ſudorem menſes ſupprimuntur, uti in uxore villici ſui annotavit Baldaſſar Timæus a Güldenklee *l. a. Caſ. 4. p. 202.* hæc nimirum

femina fluentibus menſibus tempore meſis laboribus ruſticis incaleſcens, aquam profluentis copioſe hauriens, in atrociſſimos uteri dolores incidit; fluxu ſanguinis menſtrui penitus ſuppreſſo. Nobilis quædam virgo ſeptendecim annos nata temperamenti cholerico-ſanguinei anno 1682. cum cognatis & amicis choreas immodicas fere agit, & æſtuante corpore ingurgitat potum e vino aqua diluto cum ſaccharo, & citro, quem vulgo limonade vocant. Ab illo tempore menſes ſupprimebantur; ita ut aliquid, ſed parciſſime funderent, inde anorexia, chloroſis, dyſpnœa, dolor in dorſo &c. teſte Georgio Franco *M. N. C. Dec. 2. An. 3. Obſ. 11. p. 49. ſeq.* Contigit etiam, cum vulgo mulieres aquam frigidiſſimam ex nive potarent, ut aut nullo pacto, aut prorſus diminute purgarentur; uti ex Galeno refert Zacutus Luſitanus *de Medic. princip. Hiſtor. Lib. 3. Hiſt. 4. fol m. 449.* vid. etiam Joh. Schenk *l. a. 631.* Huc pertinent etiam medicamenta frigida ſeu refrigerantia & adſtringentia interius aſſumpta, vel etiam topica imprudenter in uteri fluxionibus ad uterum applicita, quod ſæpe minus circumſpecte accidere ſcribit Rodericus a Caſtro *de Morbis Mulier. Lib. 1. cap. 4. p. 14.*

§. 8.

Refrigeratio. Quandoque etiam feminæ ab aeris & aquæ frigore, pedes vel lavando vel in aquam frigidam immittendo, aut ex improviſo frigus genitalibus partibus admittendo, menſium ſuppreſſionem incurrunt, ſicuti lotricibus, ancillis aliisque feminis ſervitio deditis accidere ſolet, imprimis ſi aquam inſtantibus vel præſentibus menſibus ingrediuntur, vel etiam nudis in pavimento per tempus ambulant pedibus; qualia exempla bina recenſet Petrus Foreſtus *Obſ. Medic. Lib. 28. Obſ. 2. fol. 627.* & primum quidem de muliere, quæ cum ſororis ejus filius, quatuor aut quinque annorum, in aquam incidiſſet, & viri adſtantes ſtatim puerum non extraherent, ipſa in aquam ſaltavit, & fere cum puero obruta ac ſuffocata fuit, niſi duo viri tam illam, quam puerum, extraxiſſent. Dum autem dicta femina in aquam ſaltabat, menſes ipſi profluebant,

bant, atque illi tunc ſubito reſtricti præcordia valde infeſtabant; poſt remedia autem a Foreſto deſcripta menſes ſuppreſsi iterum debite fluxerunt. Secundum Foreſti exemplum eſt de famula cujusdam zythepſæ ſeu cereviſiarii paulo plus quam annos viginti nata, cui, cum conſuetas purgationes menſtruas haberet, & nudis pedibus pavimentum aqua detergeret, tum ſcopis purgaret, (ut Delphis ſæpe fieri ſolet, quia Batavæ mulierculæ valde munditiei intentæ ſunt & curioſæ, ut omnia niteant) ſubito menſes retracti fuere, & longo deinde tempore conſuetis periodis non fluxere, &c. Item juxta *Obſ. 6 f 635.* puellæ annos octodecim natæ, cum in hyeme, aere frigido, linteamina lota extra urbem expoſita aeri, rurſum inde ablueret, menſes reſtricti fuere ex nuda tantum intemperie, absque humore. Subitaneam quoque menſium ſuppreſſionem & exinde utriusque mammillæ ſphacelum patiebatur mulier linteis lavandis occupata; quæ poſtquam ſudore jam diffluueret, induſium, quod geſtabat ſordidum & ſudore madidum, (quo ſcilicet illud ſimul lavare poſſet) inconſiderate nimis exuit, frigidumque & humidum rurſus induit, parum ſollicita, quod illo tempore fluxu menſtruo laboraret. Qui proinde ſtatim ſupprimebatur. vid. Petr. Hadr. Verduin *Obſ. chirurg. 22. p. m. 62.*

§. 9.

Plurimum etiam ad menſtrui ſanguinis obſtructionem conferunt animi pathemata, quibus præ ſexu virili muliebris per ſe magis eſt obnoxius, tales affectus autem ſunt terror, ira, timor, animi mœror, zelotypia, amor &c. Novit enim Medicus Vratislavienſis duas nobiles præcipuo loco natas, quarum alteri, cum apoplexia matrem, alteri vero idem morbus patrem ex improviſo menſium tempore eripuiſſet, ambæ ex panico hoc terrore in pertinaciſſimam menſium obſtructionem inciderunt; atque poſt fata illuſtriſſimæ matris menſes ſatis largiter fluere ſoliti non amplius comparuere, & poſt non adeo longi temporis intervallum hæc febri maligna petechiali correpta Deo piam reddidit animam. Poſterior priori felicior aliquot menſium labore tandem *Animi affectus.*

ab obstructione hac, quam per terrorem incurrerat, liberata fuit. *v. Histor. Morb. Vratislav. An. 1702. p. 68. seq.* Nobilis matrona annum agens quinquagesimum primum, temperamento bilioso & melancholico prædita, ex repentina infantis sui morte, a nutrice incauta interfecti, subito terrore correpta est; hinc mensium fluxus omnino suppressus nunquam amplius ab eo tempore apparuit, juxta Lazar. River. *Obs. Med. Lib. 4. p. 32.* Secundum observationem Ambrosii Stegmanni, civis primarii Islebiensis uxor iter faciens Dresdam in hospitio quodam publico vidit militem agonizantem, ex cujus miserabili conspectu tanto percutitur terrore, ut illico lipothymica redderetur, menstrua fluentia supprimerentur, & altero die post dysenteria afficeretur, pauloque post vitam cum morte commutaret. v. M.N.C. *Dec. 3. An. 7 & 8. Obs. 34. p. 56 sq.* vid. etiam Paul. Spindler. *Obs. 70. p. 130.* Honestissimæ matronæ, Abbatis Hirsoensis viduæ, ex terrore filii in venatione interfecti menses fuisse restrictos, ipsa vidua Wolfgango Gabelchovero retulit, cujus *vid. Curat. Cent. 1. Curat. 81. Annotat. p. 156.* Qui Autor *p. 155.* etiam pellionis Stutgardiani conjugis meminit, quæ post
Mœror. obitum filiæ sibi admodum charæ insigni mœrore & tristitia correpta fuit, quam excepit suppressio mensium per multas septimanas. Et vidua quædam ex mariti obitu ita tota mœsta & melancholica evasit, ut in maniam fere inciderit, adeoque ut sanguis crassus multus melancholicus, ob crassitiem humoris ejusdem, uteri vasa obstruxerit, quo minus menses fluerent, juxta Petri Foreest. *Obs. Lib. 28. Obs. 9. p. 639.* Mulier, cui maritus in facie colaphum impegit, illico eodem die utriusque oculi visionem amisit, cæca namque evasit, nulla in oculis habita macula aut nubecula læsione aliqua, puri nempe cernebantur oculi. Quæ non diu postea surdastra quoque est facta & fatua, cum quibus lunaris purgatio huic deperdita est, juxta verba Amati Lusitani *Curat. Medic. Cent. 7. Curat. 44. p. 744.* Filiæ cujusdam vitriarii immodicum narium profluvium, in quod ex mensibus suppressis inciderat, ab iracundia intempestive supprimebatur, unde postmodum oculi pro-

procidentia ſequebatur. vid. Nicol. Tulp. *Obſ. Med. Lib. 1. cap. 28. p. 61.* A viſo funere menſium ſuppreſſionem annotavit Ehrenfridus Hagendornius *Hiſtor. med. phyſ. Cent. 2. Hiſtor. 85. p. 264.* Famula quædam, an ex petulantia, an curioſitate videndi, tempore fluxus menſtrui, funus quoddam cum aliis accedit, pro more ſexus ſequioris uſitatiſſimo. Hinc viſa a ſe flebili hac imagine mortis, terrore perculſa domum rediens male habuit, ceſſante mox fluore menſtruo, ſequente etiam febricula cum languore ſummo, curabatur tamen, jubebaturque impoſterum ab hac curioſitate abſtinere. Fortaſſe ad hanc quoque cauſam referenda eſt obſervatio Samuelis Ledelii *M. N. C. Dec. 2. An. 9. Obſ. 37. p. 72.* ubi ita ſcribit: menſtruo fluxu deturpata ſi accedat ad corpus mortui, ſtatim fluxum deſinere animadvertet, ſi vulgo credendum. Ancilla menſtruata demortuam dominam lavabat & purgabat, fluxusque ſtatim intermittebat, nec huc usque rediit. Hoc num ſit perpetuæ veritatis, decidere ob penuriam experientiæ nolo. Uti autem contagium non omnes adſtantes lædit, ſed diſpoſitos: ita hic quoque fieri videtur rationi conſonum, niſi alia eruenda ratio in hoc caſu, alteratio nempe & archæi microcoſmici conſternatio, humorum commotio & quæ alia.

§. 10.

Quid amor ad menſium ſuppreſſionem faciat, docet Johannes Schmid M. N. C. *Dec. 1. Ann. 9 & 10. Obſ. 58. p. 147. ſeq.* inquiens; Virgo quædam venuſta ſatis, annorum circiter novendecim, inſomnes ducens noctes, mira & inconvenientia, vix ſatis etiam pudica cum loqueretur, mater, ne in pejus vergeret morbus, timens, amplius diſſimulandum non duxit, unde me vocari juſſit. Accedens non monitus, quo affectu patiens laboret, a virgine veſtibus Gedanenſium more elegantibus amicta, & de lecto, in quo conſederat, ſurgente, maxima cum reverentia, decenti vultu & ſermone comto excipior: mox illa retrocedens in lectum ſe projicit, gemens, ejulans, ſuſpirans, me nebulonis furca digniſſimi convitiis onerat, ſtatimque mutato rurſus vultu ſubridens: injuriam, *Amor.*

inquit, ipsi facio, dignus est amore meo, dignus, pro quo vel sanguinem meum fundam. Ego attonitus ex matre, in aliud conclave mecum secedente, audio; promisisse ipsi juvenem quendam matrimonium, & vana hac spe, per annum, & quod excurrit, lactasse, post inopinato, non salutata amasia, discessisse, nec litteris amorem continuasse, hinc illam in mœrorem incidisse magnum, suppressionem mensium, uteri suffocationem, ἀγρυπνίαν, tandem quoque in delirium, ut nonnunquam altissima exclamet voce, in adstantium faciem furibundis pugnis involet &c. Ad sanam tamen mentem post largam venæsectionem in talo & idonea medicamenta dicta virgo rediit. Qualia plura exempla adhuc adduci possent &c. Causam, cur in feminis, quas violentus amor torquet, menses ante terminum debitum appareant, passione vero continuante prorsus cessent, talesque in chloroses ac fœdos colores incidant, hac reddit Daniel Tauvry *Anatom. cap. 12. p. 210. seq.* dum feminarum spiritus objecti cujusdam amati contemplationi est intentus, spiritus in fibras carneas receptaculorum seminis se insinuant, illud expellunt, imo cum seminali liquore permixti agitant, illum in fermentationem agunt, utque vasa sanguinea aperiat, efficiunt: Quando vero ejusmodi cogitationes amatoriæ continuantur, & singulis fere momentis repetuntur, semen nimium sæpe ejaculatum non in sufficiente quantitate potest colligi, nec etiam acre satis ad menses producendos evadere.

§. II.

Symptomata Lipothymia. Sicuti autem mensibus rite & stato tempore *fluentibus*, utplurimum ex hoc fonte optime valent tam *virgines*, quam maritatæ, ita suppressis iisdem, vel non *rite prorumpentibus*, varia iisdem nonnunquam exoriri solent symptomata. v. g. Præcordiorum anxietatem & animi deliquium annotavit Fredericus Dekkers *Exercit. pract. cap. 7. p. m. 528.* in puella decimum nonum vel vigesimum jam agente annum, quæ præ mœrore gravi in menstruorum suppressionem, totiusque corporis gravitatem, capi-

capitisque dolorem gravativum continuo affligentem, febrem quotidianam continuam veſperi exacerbeſcentem, appetitus primo diminutionem, mox & totalem abolitionem, talemque præſertim exacerbeſcente febre, ut animi deliquium ſæpius paſſa fuerit, vixque reſpirare valuerit. Frequentes lipothymias in uxore viginti quatuor annorum, menſtruorum ſuppreſſione laborante, obſervavit Johannes Nicolaus Binningerus *Obſerv. Cent. 2. Obſ. 99. p. 240.* Superintendentis cujusdam filia lipothymia ſive animi deliquio, præſertim circa novilunium, ex menſium retentione corripiebatur, juxta relationem Baldaſſaris Timæi a Güldenkl. *Epiſt. med. Lib. 2. Epiſt. 21. Oper. p. 587.*

§. 12.

Sternutationem triduanam a menſium ſuppreſſione ortam annotavit Chriſtianus Fridericus Garmannus in ancilla Chemnicenſi menſium defectu laborante. Quoties enim tempus menſtruatæ evacuationi dicatum appetebat, per triduum & ultra continua affligebatur ſternutatione, ita ut neque potum aut cibum, aut ſomnum commode capere poſſet. Venæ ſectione inſtituta inquietum ceſſabat malum, & menſibus poſt ſumpta medicamenta ſtato tempore redeuntibus perfecte afflicta reſtituebatur. Cauſam hujus ſternutationis allegatus Garmannus vaporoſum quid & acre in ſanguine, quod narium membranam internam vellicabat, non ſanguinem copia & male vaſorum oſcula pandentem judicat; ſimul tamen veneris deſiderium & titillationem huc ſuum conferre ſymbolum potuiſſe addit, quia poſtmodum extra conjugium impræ̃gnata ipſa filiolum peperit. *v. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 152 p. 329.* *Sternutatio triduana.*

§. 13.

Ex ſuppreſſis menſtruis inciderat filia cujusdam vitriarii in immodicum narium profluvium: quo intempeſtive ab iracundia ſuppreſſo, convertebatur protinus omnis impediti ſanguinis impetus in oculum dextrum, qui inde usque adeo intumuit, ut ſede ſua propulſus deformaverit, mirum in modum, totam faciem, juxta *Oculi procidentia.*

juxta modo recensitam observationem Nicolai Tulpii *Obs. medic. Lib. 1. cap. 28. p. 61.* Et pagina sequenti refert hic Autor, sublata e vivis ægra se vidisse evidenter, procidentiam hanc originem traxisse, ex tumore pone oculum delitescente: quo adaperto, occurrebant passim venæ laceræ, membranæ distentæ, ossa carie infecta, & tantum sanguinis cum extra, tum intra cerebrum effusum, ut nulli mirum, interiisse virginem.

§. 14.

Cranii caries. De cranii carie & exesione a suppressis mensibus originem habente sequentem observationem refert Eberhardus Gockelius *Gallicin. med. pract. Cent. 2. Consil. 67. p. 530.* Anno 1692. mense Julio lanifici cujusdam conjux quadraginta circiter annos agens mihi referebat, quod præteritis temporibus contra humores acres & bilioſos totum corpus periodice pervagantes ex medici cujusdam consilio medicamentis aliquibus usa fuerit, quibus usurpatis menses superiora corporis petentes emanserint, maximique & ferme intolerabiles capitis dolores oborti sint, quos fœda & scorbutica faciei scabies cum exulceratione cutis syncipitis carnosæ & cranii corrosione ac corruptione (quæ exesa circumferentia os anserinum æquabat) exceperit. Huic feminæ non modo medicamenta interna propinabantur, sed etiam quod externam syncipitis exulcerationem carioſumque ac corruptum cranium concernebat, Chirurgus præmissis mundificativis cranium per vices scalpro & malleo usque ad partem sanam, abjectis quamplurimis spinis & squamis, excidit, & per superiorem laminam ac diploen ad inferiorem usque laminam, quæ tandem inter operandum albida apparebat, excindendo pervenit, sed omnia frustra adhibebantur &c.

§. 15.

Oblivio. Obstinatam oblivionem ex mensium retentione annotavit Olaus Borrichius *Actor. Hafn. Vol. 2. Obs. 78. p. 195.* quam in zythopœi uxore quadraginta annorum deprehendit. Illa scilicet, postquam sana & vegeta multos annos exegisset, advertit, vectigal illud

suum

ſuum menſtruum non expendi amplius more conſueto, & ſimul caput ingraveſcere, ſenſus paulatim hebetari, & tandem ita obliterari memoriam, ut ne quidem orationem Domini, toto alioquin vitæ tempore ſibi, ut erat religioſa, familiariſſimam, recitare poſſet, niſi fruſtillatim & turbate. Accesſit ex metu lapſantis memoriæ trepidatio, & in medio ſermone pauſa lacrymis permiſta: dixiſſes ægram mores Didonis, quanquam ex diverſis cauſis, imitatam, nam de illa vates Æneid. l. 4.

Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.

Obviam itum eſt huic malo ſectione venæ tali, pilulis aloeticis, extractis & decoctis hyſtericis, ſalibus volatilibus, ſanguinis incidentibus craſitudinem & motum promptiorem inſtigantibus; etiam illis, quæ caput adverſus impetum humorum in arcem corporis irruentium tuerentur & roborarent; denique ob pertinaciam mali & mores feminæ a pharmacis alieniores, ventum ad cauterium occipitis; quibus tandem paruit diuturnum illud malum, & memor lingua ad officium reverſa eſt. Sanguinem menſtruum aſſumtum oblivioſos, melancholicos & amentes reddere, ait Valentinus Lœberus *Arch. Sanitat. Sect. 2. dial. 8. p. 228.*

§. 16.

Mutitatem etiam ex menſium ſuppreſſione communicat Philippus Salmuth *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 28. p. 124.* ſcilicet uxori fabri armamentarii (des Plattners) Deſſani copioſiſſime fluunt menſes. Invitatur ad nuptias vicini. Veſcitur quibusdam fluxui illorum nocentibus, unde ſubito ſiſtuntur, ac mox mutitas ad ſex horas, & convulſio quædam manuum ſubſequitur: quæ tamen illis rurſus fluentibus ac revocatis ſponte ceſſant. Simile aphoniæ exemplum in virgine ſeptendecim annorum mihi ipſi praxis obtulit, quod mox ſequenti paragrapho annectam. *Mutitas.*

§. 17.

Epilepſiam atque convulſiones a menſium defectu apud varios Autores legere licet. Referente enim Baldaſſare Timæo a Güldenklee *Caſ. medic. Lib. 1. Caſ. 12. p. 27.* Conjux civis & mercatoris *Epilepſia. convulſiones.*

cujusdam Colbergensis mensium obstructiones ultra semestre passa, circa uteri regionem in pectine & utroque inguine ac dorso dolebat, abdomen distendebatur, aliquando & cor palpitabat cum insigni respirationis difficultate, novissime toto corpore convellebatur cum sensus motusque involuntarii omnimoda ablatione. Item puella quædam nobilis, sedecim circiter annorum, cacochymia & menstruorum retentione affecta, mense Julio sub arbore juglande recubans, post somnum profundum & capitis dolorem sub noctem in epilepsiam, a qua nunquam antea tentata fuerat, incidit, cum convulsionibus quidem levioribus, at sæpe recurrentibus; a quibus capitis doloribus ac epilepticis insultibus liberari non potuit, donec cacochymia sublata menses recte ordinateque fluerent, *vid. ibid. Lib. 7. Cas. 8. p. 314. seq.* De uxore viginti quatuor annorum a longo tempore hemicrania singulis fere septimanis laborante; evomente ore spumante & epileptica vid. Joh. Nicol. Binninger *Cent. 2. Obs. 99. p. 240.* Puella sedecim annorum, mensibus ultra decem menses obstructis, fit epileptica, ut singulis fere septimanis aliquot horrendos sustineret insultus, quæ tamen, per Dei gratiam, medicamentis a Christiano Francisco Paullini *de Salv. Sect. 2. cap. 14. p. 127. seq.* præscriptis fuit restituta. Puella nobilis, cui menses & inordinate & parcius fluebant, epilepticis paroxysmis & crebris & diuturnis valide vexabatur, statim tamen ab insultu ad mentem redibat; post bimestrem autem aquarum spadanarum potationem perfectissime curata constanter ab epilepsia immunis mansit, teste Henrico ab Heer *Obs. 24. p. 214.* Epilepsiam ex retentis mensibus venere & puerperio sanatam observavit Alhardus Hermannus Cummius *M. N. C. Dec. 1. An. 1. Obs. 86. p. 204.* Nota, inquiens, mihi est nobilissima quædam femina, quæ cum virgo adhuc ex mensium retentione epileptica fieret, a medico persuasa, ut se viro substerneret. Inde gravida feliciter peperit puellam, a puerperio autem optime purgata prorsus ab epilepsia libera evasit. Honesta quoque matrona annos triginta sex nata, menstruique fluxus obstructionem patiens,

post

poſt varia ſymptomata in graviſſimam incidebat epilepſiam, & licet poſt varia medicamenta paroxysmus epilepticus ad aliquot dies intermitteret, oculorum tamen convulſio & ſtrabismus ſubſequebatur, &c. juxta obſervationem Simonis Schulzii *M. N. C. Dec. 1. An. 3. Obſ. 259. p. 461. ſeqq.* Meminit etiam Georgius Hieronymus Welſchius *Curat. propr. Decad. 4. Curat. 6. p. 191.* Viduæ, quæ menſtruorum ſuppreſſione inveterata, virium imbecillitate, vigiliis, inappetentia, apepſia, hyſtericis commotionibus & epilepſia laboravit. Exemplum puellæ morbo comitiali laborantis, quæ quidem tempore paroxyſmi minime concidebat, neque ſpumam ex ore reddebat, ſed ſtans caput hinc inde, ac ſi quid inſpicere vellet, tota cum cervice movebat, nihil interim loquens, nihil audiens, nihil ſentiens. Cumque iterum ad ſe reverteretur, interrogata quid egiſſet, penitus ignorabat, prorumpentibus vero menſtruis, hoc malum evadebat, refert Antonius Benivenius *cap. 97. p. 266.*

§. 18.

Epilepſia ecſtatica. Obſervatio.

Convulſiones & aphoniam a menſium ſuppreſſione anno 1694. in conſulis Dresdenſis filia, ſeptendecim annorum, mihi obſervare contigit; primo enim poſt menſium emanſionem per ſex menſes, tempore evacuationis feminino ſexui alias conſueto, ſuppreſſo fluxu ordinario, hinc inde modo in brachiis, modo in collo & aliis partibus, tumores apparebant; deinde ſubſequente menſtruationis tempore, quo antea menſes ipſi fluxerant, his ſuppreſſis, ipſa per quatuor vel quinque dies vehementiſſimis vexabatur convulſionibus hyſterico-epilepticis: a quo tempore usque ad terminum menſtruationi ſolitum optima iterum fruebatur valetudine. Attamen non tantummodo periodice talismodi convulſiones ſtato tempore menſtruo aliquoties redibant, ſed etiam ſingulis diebus recurrentes quandoque per integram horam perdurabant, ita tamen ut nunquam totum corpus ſimul occuparent, ſed per vices ex brachio in abdomen, dehinc in pe-

des &c. oberrarent. Post certum etiam epilepsiæ, menstruo tempore redeuntis, paroxysmum dicta virgo mentis & loquelæ quasi impos atque aphona seu penitus muta evadebat, ita quidem, ut nec jussu nec prece ullum sonum edere, atque per quatuor septimanas ne verbulum quidem proferre posset, sed ad quæstiones per signa aut nutu tantummodo responderet, animique sensa exprimeret. Insuper etiam adeo erat debilitata, ut nec erecta in lecto sedere, multo minus gradus formare posset. Subsequente autem nova menstruationis suppressæ periodo certis horis variarum cantionum sacrarum melodias absque tamen articulata voce, & clauso ore edebat semperque inter cantandum, ut ita dicam, oculos in unum eundemque locum defixos habebat, sæpissime ridens, digitoque, acsi aliquid insolitum videret, illuc monstrabat. Circa quam phantasiam etiam monendum, dictam virginem quotidie tales cantilenas certis horis, & quidem tempore matutino semper ab hora octava ad nonam usque, & post meridiem a quinta ad sextam, ita accurate continuasse, ut simulac primus campanæ sonus audiretur, quem tamen ipsa ob distantiam loci audire non poterat, ipsa certam melodiam modulari inciperet, sicque per integram horam ad subsequentem pulsum continuaret. Minime tamen per totam hanc horam unam eandemque cantilenam modulabatur, sed absoluta una, secundum certum versuum numerum & melodiam, cantilena, aliam incipiebat, eamque iterum secundum versuum numerum absolvebat; inter alias autem cantilenas ipsi sequentes familiares erant: Wer nur den lieben GOtt läst walten: Auf meinen lieben GOtt: JEsu meine Freude: Keinen hat GOtt verlassen: Treuer GOtt ich muß dir klagen. Cumque interea temporis varia nervina, hysterica, cinnabarina & emmenagoga sine fructu adhibita fuissent, instante novilunio, tertia a meridie hora, venam in talo secari jubebam, atque eodem incisionis momento, sanguine adhuc effluente, cum summo parentum & adstantium gaudio, virgo hæc loqui iterum incipie-

incipiebat, ceſſantibus ſimul univerſis hactenus recenſitis ſymptomatibus. Et licet hac vice menſes nondum apparerent, ſequenti tamen periodo, alias menſtruationi ipſius conſueta, & tempore ordinario, redibant, atque per integrum annum ſtata periodo cum grata virginis valetudine continuabant. Cum autem paulo poſt receptam loquendi potentiam ex noſtra virgine præteriti riſus atque interni gaudii cauſam quærerem, ipſa mihi reſpondebat, ſe Chriſtum vidiſſe, qui ipſi promiſiſſet, quod loquelam cum ſanitate certo ſit receptura. Præterlapſo autem annuo temporis ſpatio, denuoque menſium fluxu obſtipato, virginem noſtram tumores vagi quaſique arthritici modo in collo, modo in brachiis aliisque partibus muſculoſis, modo in hypochondriis cum denuo ſubſequentibus convulſionibus artuumque paralyſi & aphonia aggrediebantur; contra quæ ſymptomata venæſectio hac vice fruſtra inſtituebatur; poſt crebriores autem fotus ex nervinis & uterinis, item poſt partium cum ſpirituoſis inſtitutas fricționes menſes redibant, & quidem cum intenſiſſimo hypochondrii dextri dolore. Menſibus autem apparentibus ipſa iterum loqui incipiebat; atque poſt thermarum Teplizenſium uſum, quem ob paralyſin & ſupervenientem fluorem album ſuadebam, in meliorem ſanitatis ſtatum perveniebat, ut deinde etiam medico cuidam nupta aliquot liberorum mater ſalutaretur. Quod autem recenſitum exemplum ad epilepſiam ecſtaticam referam, nemo, ut ſpero, mihi vitio vertet. De alia epilepſia ecſtatica puellæ cujusdam, annum duodecimum tunc temporis agentis, cognomine Rautenbergeriæ, videatur obſervatio Melchioris Fribe *M. N. C. Dec. 1. An. 4 & 5. Obſ. 81. p. 69.*

§. 19.

Catalepſeos exemplum annotavit Johannes Hellwigius *Obſ.* *Epilepſia* *56. p. 190.* & quidem de puella, quæ anno ætatis tredecimo poſt *cataleptica.* varia ſymptomata ad quinque fere ſeptimanas epilepſia corripiebatur, ſingulisque diebus ſemel vel bis inſultus graves, interdum

ad trihorium durantes, interdum breviores, sustinebat ab initio cum jactatione capitis & brachiorum ingente: sub interstitio paroxysmi unius ad alterum se bene habebat. Hæc symptomata quando sentiebat, matri indicaverat vaporem e lumbis per dorsi spinam sursum, nucham usque repentem, tunc oculi caligare inceperunt, caput postmodum & brachia jactabantur, ac subsequenter quasi cataleptica apertis oculis, sine omni corporis motu & sensu ultroneo, servata tamen naturali respiratione, cumbebat; ast sub hoc temporis spatio plena ac absona voce clamitavit, paulo post gallum cantantem sæpius imitata est, aut arguto & suavissimo sono melodias variorum hymnorum in templo usitatorum edidit, atque demum fatigata aliquantulum adhuc immota tanquam dormiens decubuit, evigilans dein e somno quasi profundo mirabatur circumstantes, nec ullius, quicquid sub paroxysmo egerit vel passa sit, commemor, nihil mali præter obtusum & exiguum dolorem capitis querebatur, ac munia sua rursus, tanquam mente & corpore sana, subivit. Adhibitis autem clysteribus atque internis medicamentis, nec non sanguinis missione, itemque frictionibus ac ventosis sine scarificatione in femorum interiore parte deorsum sæpius tractis, menstrua prodire inceperunt, tunc hæc symptomata cessarunt, & ipsa deinceps optime semper valuit. Item teste Amato Lusitano *Cent. 7. Cur. 89. p. 778.* mulier quinquagenaria suppressis mensibus catalepsi sive congelatione fere detenta non loquebatur, nec quicquam gustabat. Rejectis quatuor vermibus convaluit. Et mercatoris cujusdam filiam, cui menstrua parca erant & coloris alieni, catalepticam observavit Philippus Hœchstetterus *Obs. medic. Decad. 4. Cas. 1. p. 264.* ipsa scilicet subito instar attonitæ inter medios sermones laboresve, ad quartam plus vel minus horæ colloquentibus aut collaborantibus adstabat, diminuto auditu & visu quasi intercepto, unde a domesticis orba, vocula Italica, nominabatur. Patiebatur insuper epilepticos motus diros, longos, fortes, atroces atque terrificos. Nictabant palpebræ, labia agitabantur, ringebatur

batur os, dentes cohærebant, membra torquebantur, & quæ acciderunt, stupor erant adstantibus. Sopor nullus, nec vox, silentii magnus locus, quo cum certabat cum piscibus. Mens in quiete non aliena fuit, nutu adfirmans aut negans, manus ipsi pro voce; doloris locum digiti notarunt. Decem hæc durabant diebus, ut vel convulsa torqueret oculos, manus contraheret, pedibus calcitraret, distenderet brachia; vel quiescens delira & aphona maneret. Omnis medicamentorum usus erat frustraneus, & a sola venæsectione omnis tumultus artuum sopitus est, ipsaque loqui cœpit.

§. 20.

Suffocatio hypochondriaca.

Mulier triginta sex annos nata, pituitosa, melancholica, ex gravi animi mœrore, ob mariti obitum contracto, incidit in menstruorum suppressionem, lumborum dolorem fere intolerabilem, præcordiorum anxietatem gravem, tamque vehementem suffocationem hypochondriacam, ut respiratio quandoque sufflata videretur,&c. vid. Fred. Dekkers *Exercit. pract. cap. 1. p. 527.* Et *pag. 571.* mulieris quadraginta propemodum annos natæ meminit, quæ melancholica, alvo adstricta utplurimum laborans, cruda, subacida, austera, ut poma piraque ac ribesia immatura, postquam avide diuque usurpasset, incidit in præcordiorum primo anxietatem, ventris dolorem jam pungentem, jam contorquentem, imprimis in latere sinistro affligentem, mox menstruorum suppressionem, corporis gravitatem, appetitus abolitionem, capitis & cervicis dolorem rodentem & quandoque quasi perterebrantem, porro in gravem animi mœrorem ac brevi in suffocationem hypochondriacam talem, ut sæpius quoque animi deliquium & nonnunquam convulsionem passa fuerit.

§. 21.

Melancholia.

Melancholiam ex imperfecta vacuatione menstrui annotavit Vitus Riedlinus, parens, *Obs. med. Cent. 3. Obs. 66. p. m. 372.* in virgine lectissima, quæ quandoque ita animo pendebat, ut satis solatii nequiret afferri; post noduli autem & infusi ibidem descripti

usum

usum menses rursus videbat, & omnis mali metus sufferebatur. Aliud exemplum refert etiam Vitus Riedlinus, filius, *Observ. med. Centur. Obs. 83. p. 193.* scilicet tamdiu bona valetudine usa fuerat virgo quædam haud ignobilis octodecim annorum, quamdiu singulis mensibus sanguinem superfluum per uterum deposuerat; cum autem hic fons postea ex nulla evidenti causa obstrueretur, malo primum per aliquot menses neglecto, in melancholiam haud contemnendam incidit; non solum enim vigiliis continenter instantibus totas semper noctes insomnes ducebat, sed & cum diabolo se rem habuisse fingebat, hincque tanta de salute æterna dubia proferebat, ut & doctis in iis solvendis negotium faceſſeret. Huic Riedlinus præmisso purgante, plethoricæ ex venis, primo in brachio, hinc etiam in pede apertis haud parvam sanguinis quantitatem educi jussit, pulveremque ad mensium obstructionem ordinavit, qua sublata nil quicquam postea mali sensit. Commemorat etiam Alexander Benedictus *de Re medic. Lib. 1. cap. 28. fol. m. 23.* exemplum mulieris cujusdam melancholicæ nudæ per civitatem, in quadam Italiæ urbe, peragrantis, quæ cum in officinam quandam meritoriam incidisset, nocte tota a quindecim viris venere defatigata, mensium largo profluvio, qui pluribus annis antea substiterant, non sine magno pudore, diluculo menti restituta discesit. De melancholica, veneficam se simulante, sequentem observationem recenset Johannes Georgius Hoyerus *Ephemer. Academ. Nat. Cur. Cent. 7 & 8. Obs. 78. p. 184.* Persona sexus sequioris viginti & quod excurrit annos nata phlegmatico-melancholica, veneficam se simulans, ultro sese offerebat incarcerandam & extremo supplicio afficiendam ex causis: quoniam non solum paucis abhinc annis binos pueros, germanos fratres suos, interfeciſſet, verum etiam cum cacodæmone sub forma canis venatici rem habuisset, & dracones peperisset, &c. Miserrima hæc, postquam aliquandiu fuerat incarcerata, Medicorum examini atque inquisitioni commissa, primo statim intuitu pro melancholica dijudicabatur. Erat præterea corpus cacochymicum squalo-

re

re & fœtore hircino moleſtum. Omnia confirmabant geſtus & ſermo, utpote quæ nihil magis in votis habebat, quam ut gratioſo gladii ſupplicio (a rogo abhorrens) interficeretur. In cædem germanorum fratrum ejus inquirentes Medici, ipſos contagioſo quodam morbo, tunc temporis graſſante, & plures interimente, non violenta morte, periiſſe, deprehendebant. In concubitum cum cacodæmone inveſtigantibus patefiebat, inſomniis deceptam fuiſſe; & cum aliquandiu menſium obſtructione laboraſſet, menſtrua denuo experta ſub forma cruoris, ex utero excreti, ſe dracones peperiſſe autumabat. Huc pertinet etiam melancholia deſperata à Valentino Schod obſervata de lanionis uxore, ætatis vigeſimum octavum annum agente; hæc quatuor liberorum mater ſcabie ex lunari tributo reſtricto laborans, ex mariti avaritia, medicamenta uſurpare, impediebatur. Quod ipſa pro maxima ignominia habens, ac mariti animum erga ſe mente revolvens & ſecum reputans, incidit in mœrorem & triſtitiam, quam quidem primis diebus ſimulat, ſed paucis poſt fit tota delira; imaginatur ſe eſſe pauperrimam, ideoque nec edere nec bibere licere. Cacodæmonem apud illam in cubiculo, imo in ventre ipſius reſidere, & præcipere, ut omnes liberos trucidaret, quia eos propter paupertatem educare non poſſet. Veſtimenta dilacerat, &, ſi ab amicis non cuſtoditur, per feneſtras ſe vult præcipitare. Medicamenta aſſumere nolebat, & venæſectiones ac ſcarificationes nihil efficiebant, menſesque ſuppreſſi manebant. Tandem Medicus marito ſvaſor exſtitit, ut uxorem ad coitum incitaret, illamque ingravidaret. Quo facto, durante geſtatione, præcipue cum fœtum ſe movere perciperet, diabolum in ventre geſtare, ſemper dixit, ſed exitus conſilio & ſpei reſpondit; legitimo enim partus tempore feliciter filiam peperit, & lochiorum fluxu decenti ab omnibus memoratis falſis phantaſmatis dicta femina poſtea libere vixit. *v. M. N. C. Dec. 2. An. 2. Obſ. 187. p. 417. ſeq.* De melancholia poſt menſium fluxum in vidua ceſſantem, vid. Chriſtoph. Helwig. *Caſ. & Obſerv. p. 39.* Cur autem virgines, viduæ & ſteriles fe-

minæ, quæ vel viro non utuntur, vel suppressa habent menstrua, hoc affectu magis affligantur, vid. Theoph. Bonet. *Polyalth. Tom. 1. Lib. 2. cap. 16. fol. 691. seq.*

§. 22.

Dementia. Alia ejusmodi symptomata v. g. dementiam, maniam, phrenitidem & furorem uterinum a mensium defectu & suppressione hinc inde annotarunt Medici. De dementia a retentione menstruorum sequentem observationem commemorat Petrus Borellus *Hist. med. phys. Cent. 2. Obs. 30. p. 133.* Dum, inquiens, apud Ruthenos profectus essem, vocatus fui ad curam mulieris juvenis, quæ miro morbo detenta erat. Cum enim a me interrogaretur, eadem verba ut echo repetebat, & nihil unquam, ad quæsita, ob coeundi præterea desiderium semper maritum expetebat. Quare cum ab adstantibus didicissem, menstruas ejus purgationes suppressas esse, tactuque obstructiones partium hypogastricarum percepissem, remedia adversus obstructiones solita & ad menstrua provocanda præscripsi, item phlebotomiam malleoli; quibus *Mania.* auxiliis curata fuit. De puella, post ulcera in crure curata & menstruam purgationem suppressam, mania correpta, verba Petri Foresti *Observ. med. Lib. 10. Obs. 24 fol. m. 347.* sic sonant: Puella quædam annos circiter viginti nata valde melancholica Delfis pluribus mensibus desipiebat ac delirabat, ita ut tandem a maligno spiritu obsessa pro dæmoniaca haberetur, ob falsas imaginationes, quibus indies magis magisque detinebatur, & quicquid in buccam veniret, mente capta effutiebat. Hujus veram & legitimam causam esse ratus sum, cum ulcera annua in cruribus habuisset, admodum fœda cum crustis nigris, ac menses suppressi forent, & ulcera ad cicatricem perducta essent, symptomata melancholica jam dicta, tum desipientia, supervenerunt, ita ut tandem etiam mania admodum gravi & inveterata correpta fuerit. Scilicet menstrua purgatione permanente suppressa hæc puella tota melancholica evasit, ita ut plurimas dein noctes, imo menses integros,

gros, miſera vigil permanſerit, & perpetuo delirio correpta, tandem ad maniam pervenit horrendam, modo furibunda in lecto detineri non poterat, modo exſiliens, modo in clamores horribiles erumpens, ſæpiusque ſe damnatam clamabat, metu ac triſtitia, aliquando & ira vigiliisque diuturnis confodiebatur, inverecunda erat, & garritu quodam, ſine pudore, quævis etiam ſcurrilia verba proferebat, cum geſtu indecoro, ita ut cognati eam malo ſpiritu & cacodæmone obſeſſam judicarent. Cum autem Foreſtus ſciret, hoc malum originem ſumſiſſe ex menſtrua purgatione ſuppreſſa, ſaphenam in pede aperiendam eſſe propoſuit; ex qua ſanguis admodum ater ad uncias ferme octo effluebat, & hac ſola ſanguinis miſſione peracta menſtrua ipſa ex naturali loco profluere incipiebant, & puella ipſa delirans priſtinæ ſanitati reſtituebatur. Furore uterino absque dubio laboravit femina, cujus paulo ante ex Alexandro Benedicto meminimus. *Furor uterinus.* De furore uterino ex menſibus inſtantibus obſervationem annotavit Caſparus Kœlichen in puella quindecim annos nata, quæ cum menſtrua necdum paſſa eſſet, illa vero inſtabant, ob motum hujus fluxus, ſequiori ſexui familiaris, impeditum, furore uterino & convulſionibus per intervalla miſere torquebatur: Saphenam ergo dextri pedis incidendam curavit dictus Medicus, ex qua cum ſanguis liberaliter fluxiſſet, paulo remiſſiora fuerunt ſymptomata; præſcriptis etiam aliis medicamentis promotus fuit menſtruus fluxus, & cum illo ſanitas reſtituta. v. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. 1. Obſ. 80. p. 164. ſeq.* Porro feminam a partu, ex menſtruo retento orta febris invaſit, quæ nec tali ſectionibus, tibiarum coxarumque ſcarificationibus, aut apertis hirudinum uſu mariſcis, aut aliis auxiliis miteſcens, in phrenitidem abiit. *Phrenitis.* Applicatis denique internæ uteri parti quatuor hirudinibus, atque ſecuta ex earum ſuctu larga vacuatione, reſipiſcere ægra cœpit & ſedato delirio melius habuit, juxta Zacut. Luſit. *de Medic. Princip. Hiſtor. Lib. 1. Hiſt. 4. Obſ. 5. fol. m. 6.*

§. 23.

Apoplexia. Apoplexiam a menſibus diu ſuppreſſis annotavit Georgius Francus in femina triginta ſeptem annorum, temperamenti cholerici, lanionis vidua. Hæc anno 1668. conquerebatur de menſium ſuppreſſione ultra duos annos cum dimidio, atque inde oriunda moleſtiſſima cordis palpitatione, ut cordis vibrationes & foris interdum audiri ab adſtantibus potuerint; hæcque miſeram, ob ſummam anxietatem præcordiorum, tantum non in deſperationem adigeret. Utebatur venæſectione, ſcarificatione, balneis, ſuffitibus, aliisque, qua internis, qua externis remediis, ſed omnibus fruſtra. Poſt acidulas Grisbacenſes malum quidem miteſcebat, per vices tamen redire minabatur. Verno tempore catarrhis vexata apoplectica obiit. *vid. M. N. C. Dec. 2. An. 5. Obſ. 225. p. 452.* Item honeſta femina tertium tunc puerpera, viginti ſeptem annorum, in ipſo partu a domeſticis perterrita, fœtu excluſo, lochia habuit retenta. Hinc eadem nocte fit apoplectica. Vocatus Medicus præmiſſo acriori clyſtere, circa primam noctis ſaphenam juſſit incidi, mane circa nonam cephalicam, non neglectis aliis, ſicque fuit reſtituta, teſte Chriſtiano Franciſco Paullini, *ibid. Append. p. 71.* De femina, quæ retentione menſtrui laborans ſpreta phlebotomia concuſſa apoplexia emoriebatur, vid. Zacut. Luſit. *de Prax. med. admir. Lib. 2. Obſ. 104. Op. Tom. 3. fol. m. 67.* huic feminæ quadratæ & plethoricæ Zacutus ſaphenæ ſectionem ſuadebat, quod auxilium ipſa ſpernens catapotia ex aloe ter devorabat. Non autem pertranſierat dies, quando ſævo lumborum dolore oppreſſa, ebulliente circa arteriam dorſi ſanguinis copia vertigo, aphonia, ignorantia omnium rerum, ſtupor mentis, oblivio, delirium eam apprehendunt, & poſt duas horas apoplexia.

§. 24.

Paralyſis. De paralyſi ex menſium defectu vid. Vit. Riedlin. parentis *Obſ. med. Cent. 2. Obſ. 48. p. m. 138.* Virgo ſcilicet quadraginta duorum annorum, temperamenti phlegmatici, & gibboſa, per aliquot

quot annos menſibus minus recte purgata, vehementes in abdomine circa umbilicum dolores per intervalla ſuſtinebat, qui ad horas, imo aliquando dies aliquot, durabant, inſequente plerumque vomitu pituitoſo & feroſo. Poſtmodum mente conſternabatur, ſibique validiſſime imaginabatur, primo intra induſii manicam & cutem, mox vero remota manica intra cutem ipſam murem vivum hinc inde diſcurſitare: ſenſim inſequente linguæ balbutie, palpebræ ſiniſtræ gravitate, motus primum brachii, mox vero etiam pedis ejusdem lateris amiſſione, cum notabili judicii depravatione, & quod notatu dignum, oblivione literarum, quæ, ut referebat, omnes inverſo modo ſpectarentur. Licet autem poſt medicamenta menſium fluxus ſuperveniret, nihilominus tertia ab invaſione ſeptimana tumor ſiniſtri ſeu affecti pedis ad genu usque pedetentim increſcens accedebat, & motus ſenſim rediit: qui tamen tumor poſt menſium reditum diſparebat, ipſaque ad priſtinam redibat valetudinem: meminit etiam Zacutus Luſitanus, ſe vidiſſe feminas vera pedum reſolutione, quibus poſt partum menſtrua pro plenitudinis ratione non reſponderunt; quo in caſu intrepide e talo ſanguinem liberaliter exhauriri debere ſuadet. *v. ejusd. Prax. admir. Lib. 1. Obſ. 38. fol. 9.* vid. etiam Joh. Schenck. *Obſ. medic. Lib. 4. fol. 631.* Me quoque paralyſin in virgine ex menſium ſuppreſſione epilepſia ecſtatica laborante obſervaſſe, ſupra adduximus.

§. 25.

Huc referenda quoque eſt contractura ex menſibus ſuppreſſis oriunda, cujus meminit Salomon Reiſelius *M. N. C. Dec. 2. An. 2. Obſ. 118 p. 277.* Mulier ſcilicet vidua in foro corripitur horrore, cui tanquam febrili paroxysmo voluit mederi aceto cum pipere epoto. Verum menſes tum fluentes ſiſtuntur illico. Hinc contractio totius cum immenſis doloribus. Datis autem volatilibus, ut ſpiritu cornu cervi volatili & ſalis armoniaci cum eſſentia caſtorei, itemque chalybis infuſo, cœpit poſt aliquot dierum *Contractura.*

usum movere artus modo dextros, modo mutatis vicibus sinistros cum doloribus mitioribus. Continuato dein eorum usu, non longe post plane restituta est.

§. 26.

Phthisis. Phthisin & atrophiam ex menstruis restagnantibus & in pulmones refluentibus reperimus in Othonis Heurnii *Observationibus rarior. Histor. 8. p. m. 13.* Anno nimirum 1641. apertum est cadaver virginis Germanæ, annorum triginta trium, quæ cum ante septem menses delassata ex ædium suarum repurgatione vehementius incaluisset, ad sitim caloremque mitigandum affatim potaverat frigidum lac debutyratum: idque ipso tempore solennis profluvii menstrualis. Postea etiam sæpius idem lac copiose potaverat, quoniam ventriculo ejus gratiosum erat. Inde lethalis morbi origo exorta est, quippe cum vasa omnia sanguinem ad uterum menstrualem deferentia tunc laxata & aperta essent, largiter recepere frigus illius lactis, indeque adeo fuere constricta, ut postea nunquam menstrua fluxerint. Restagnans igitur materia menstruis temporibus, cum agitaretur a partibus omnibus, partim in vasis subsistebat, partim pulmoni impingebatur, & denegata ventilatione corrumpebatur, adeo ut parenchyma pulmonis inde corruptum fuerit, multaque materia purulenta, crassa, viscosa, ibi in vasis & foraminulentis parenchymatis meatibus sensim collecta erat. Ab illa pulmonis pravitate vapor putridus per cor communicatus fuit omnibus abdominis visceribus, eorumque tonus & temperamentum destructa. vid. etiam Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 2. Sect. 7. Obs. 36. f. 575. Schol.* ubi modum, quo pulmones ab impedito profluvio menstruali corrumpi possint, docet. Imo menstruarum purgationum suppressionem usitatissimam muliebrium phthiseon originem esse, & rarissime feminam inveniri, menstruarum purgationum capacem, sive virginem, sive nuptam, sive etiam viduam, quæ unquam in phthisin inciderit absque harum purgationum obstructione, vel initio vel saltem progressu

morbi

morbi superinducta, scribit Richardus Morton *de Phthis. Lib. 3. cap. 9. p. m. 149. & pag. sequenti* hanc historiam annectit: Domina Anderton, adolescentula elegans & formosa circa decimum septimum ætatis suæ annum, a suppressione mensium diu neglecta, in chlorosin incidit, una cum usitatis symptomatis, vultu scilicet pallido, cephalalgia, anhelanti spiratione, languore, lassitudine, febri lenta, &c. Tandem vero cum ab œdematoso statu in tabidum & a pulmonum infarctione in importunam, licet aridam, tussim jam transiisset puella, mihi præbuit occasionem suspicandi, phthisin vere pulmonarem e chlorosi pullulasse. Anno integro remorantibus menstruis mulier ad summam deducta est maciem, post venæsectionem vero & medicamenta ad pristinam rediit valetudinem. vid. Anton. Beniv. *de abdit. morbor. Caus. cap. 44. p. m. 199.* vid. etiam Greg. Horst. *Oper. Tom. 2. Lib. 5. Obs. 3. fol. 265.*

§. 27.

Levcophlegmatiam quoque & hydropem a mensium suppressione annotarunt Medici, siquidem Henricus ab Heer *Spadacren. cap. 9. p. m. 85.* mulieris meminit annorum quadraginta sex, quæ ob diuturnam mensium suppressionem in ascitem inciderat, a quo ut liberaretur, octo jam annos peritissimorum medicorum diligenti cura frustra usa fuerat, tandem potu aquarum Spadanarum per aliquot septimanas continuato cœperunt fluere menses, ac tandem aqua satis copiose. Item Autor historiæ morborum Berolinensium exemplum refert sequioris sexus, quod in menstruæ cessationis termino constitutum ante plures annos, ex præmatura mensium emansione in universi habitus corporis levcophlegmaticum statum, cum pedum œdematosis tumoribus, & inde pendentibus respirationem impedientibus symptomatibus, devolutum erat, ex quo tamen successu temporis per infusa aperientia, resolventia &c. denuo eripiebatur, ut per tres vel quatuor annos sub recursu mensium satis ordinato vitam satis bene duxerit. *vid. Act. Berolinens. Vol. 2. p. 46. seq.* Item femina

Hydrops.

Tympanitis.

femina quædam viginti octo annorum per bene longum temporis spatium ex mensium obstructione variis iisdemque sat gravibus laboravit morbis, quibus tandem tympanitis quoque accessit, a quibus tamen iterum liberata fuit, teste Vito Riedlino, filio, *Obs. med. 53. p. 122.* Quanquam autem tympanitis proprie ad hydropem non pertineat, hanc tamen observationem huc annectere libuit. De hydrope ex mensium retentione per umbilicum evacuato *vid. M. N. C. Dec. 2. An. 1. Obs. 114. p. 283.*

§. 28.

Dolores. Varios tam internos, quam externos dolores nonnunquam persentiunt mensium suppressione laborantes feminæ, uti paulo ante de intensissimo hypochondrii dextri dolore in virgine epilepsia ecstatica laborante dixi. Qualem etiam annotavit Ehrenfridus Hagendornius *Histor. med. phys. Hist. 60. p. 360.* ante aliquot, inquiens, annos vidua quædam, mechanici cujusdam uxor, nondum quadraginta ætatis annos supergressa, a tricesimo ætatis anno menstrua amplius non videns conqueri cœpit de atrocissimo hypochondrii dextri dolore cum maculis *lividis*, vesicis pluribus stipatis &c. Ex *imperfecta* mensium purgatione illustrissimi Hassiæ *principis relicta* vidua, circiter annorum triginta sex ætatis, conquerebatur de dolore gravativo non solum, sed etiam mordicante circa mucronatam pectoris cartilaginem, de lateris, imprimisque sinistri, circa regionem hypochondriorum inflatione, de difficultate respirationis, de incipientibus lipothymiis & cordis palpitationibus, cum subsequentibus doloribus capitis, potissimum circa partem anteriorem, imprimis circa tempus mensium obstantium. vid. Gregor. Horst. *Lib. 3. Obs. 1. Oper. Tom. 2. fol. m. 262.* Et *Obs. 3. fol. 265.* propter mensium obstructionem singulis fere mensibus juvenculam quandam articulares dolores invasisse refert. Abderis Phaetusa Pythei conjunx antea per juventam fœcunda erat, viro autem ejus exulante diu menses defecerunt, ex quo postea dolores & rubores ad articulos exorti sunt, juxta Hippocrat. *de Morb. Vulgar. Lib. 6. Sect. 7. fol. m. 297.*

Femina

Femina quinquaginta annorum, a quo menſes defecerunt, dolore fixo in hypochondrio corripiebatur cum febre lenta, ope vero vini chalybeati & ſemicupiorum, menſes copioſi redibant, hincque ſanitas integra reſtituebatur. vid. J. Conſtant. de Rebecque *Obſervat. 62. pag. 96.* De dolore in dorſo verſus os ſacrum & interdum ad femur ſiniſtrum tendente, vid. Georg. Phil. Nenter *Phyſiolog. Introd. p. 42. ſeq.*

§. 29.

Dyſenteriam in matrona a ſuppreſſis menſibus ortam atque ſaphenæ ſectione curatam commemorat Zacutus Luſitanus *de Prax. med. admir. Lib. 2. Obſ. 19. Oper. Tom. 3. fol. 45.* quo loco dubium ratione curationis inter Medicos ortum, ex qua ſcilicet parte an ex cubito, num vero ex talo ſanguis ſit hauriendus, proponit, atque venæſectionem in talo defendit, inquiens, in grandi plenitudine aut paulo ſuppari ſemper ſaphena ferienda: quoniam plenitudinem demit, menſtrua provocat, & ſuperas partes evacuat, quæ exhauſtæ ab inferis ſugunt, & fluentem ad inteſtina ſanguinem ſurſum revellunt. Sic celebrata eſt vacuatio in femina hac, quæ poſtea abſtergentibus infuſis & rhabarbari uſtulati uſu melius habuit. *Dyſenteria.*

§. 30.

Varias quoque febres a menſium retentione ortas referunt Autores, ſicuti jam ſupra §. 2. puellæ viginti circiter annorum, ex animi mœrore menſium ſuppreſſionem, indeque febrem quotidianam continuam, veſperi exacerbeſcentem, patientis exemplum ex Frederici Dekkers *Exercit. pract. p. 528.* adduximus. Febris a menſtruorum ſuppreſſione, ſuccedentibus variolis curationem refert Georgius Hieronymus Velſchius *Curat. propr. Cur. 8. p. 95.* Matrona quædam ſterile experta conjugium, dum ordinarium patiebatur menſtruorum fluxum, incolumem ducebat & ab omnibus noxis liberam vitam: ſed cum deinde fluxus illi deficiebant, uno ſemper febrili paroxysmo, eoque menſtruo, defectum hunc *Febres.*

luere cogebatur. Acceſſit tandem renum quoque calculus, ad quem expugnandum cum varia adhiberentur & fortia diuretica, iisdem medicamentis rediit fluxus tot annis ſuſpenſus, etſi lege ætatis ceſſandum ei erat: & ſic quoque febris illa menſtrua in totum remiſit, illa vero deinceps quoque ſatis bene valuit, juxta obſervationem Joelis Langelotti *M. N. C. Dec. 1. An. 6 & 7. Obſ. 5. p. 16.* plura exempla v. Paul. Spindler. *Obſ. 71. p. 132.*

§. 31.

Nauſea & pica. Nauſeam quoque, cardialgiam & picam a menſtruationis defectu referre huc liceat. Mulieri quinquagenariæ a longiſſimo jam tempore menſes non amplius paſſæ de cardialgia vix tolerabili cum ventris torminibus querenti Roſinus Lentilius ſuaſit tanquam pauperculæ levidenſe baccarum juniperi ſeminisque carvi elixandum cum fontis aqua decoctum; de quo cum vix per octiduum calide ad uncias ſex bis in die bibiſſet, menſtrua denuo nil minus cogitanti, ruptis aggeribus cum impetu quam copioſiſſime fluxerunt, ſanguinis congrumati fruſtis majoribus olidiſſimo fœtore comitatis una prodeuntibus. Ab eo tempore menſes ordinaria periodo aliquoties rediere, ceſſantibus omnibus ſymptomatis, & muliere in vitam ſibi denuo quaſi reddita. *vid. M. N. C. Dec. 3. An. 7 & 8. App. p. 120.* Inter ſymptomata menſtruorum ſuppreſſionem conſequi ſolita appetitus inſignem depravationem atque picam refert Nicolaus Blegny *Zodiac. med. Gall. Ann. 1. Jun. Obſ. 12. p. 107.* hanc referens obſervationem: virgo temperamenti ſicci, bilioſi, utcunque melancholici, circa annum ætatis duodecimum cum ſemiſſe, dolores in lumborum regione perſenſit, quales menſtrui fluxus fere prodromi ſunt, ad aliquot tamen dies citra effluxum moleſti fuere, iisque deſinentibus ventriculus lintei avidus apparuit; revera dum aliquando impedimenta quædam in arca componeret, fragmentum arreptum ori ingeſſit; nec a manducatione abſtinere potuit, ſumma voluptate, quaſi pergrato ſapore præditum deglutiens; cujus appetitus ad decimum ſeptimum

mum ætatis annum pertinax fuit. Si conviviis invitata intereſſet, epulas etiam exquiſitiſſimas faſtidiebat; ſi quid ex iis delibaret, id in gratiam convivatoris faciebat, &c. De femina, quæ per decennium menſtruis omnino carebat, adeoque carbonum eſu delectabatur, ut nihil aliud dentibus comminueret, ac eſitaret, niſi extinctos carbones, vid. Zacut. Luſit. *de Prax. medic. admir. Lib. 2. Obſ. 108. Oper. Tom. 3. fol. 68.*

§. 32.

Uxoris lanionis, quæ quatuor liberorum mater anno vige- *Scabies.*
ſimo octavo fœda & ſcorbutica faciei ſcabie, ex lunari tributo ſuppreſſo, laborabat, jam ſupra mentionem fecimus, liceat hoc loco alia quoque ſcabiei exinde oriundæ exempla adducere. Sequentem ſcilicet de ſcabie ex retentione menſium obſervationem refert Melchior Fribe *M. N. C. Dec. 1. An. 3. Obſ. 62. pag. 108. ſeq.* Non procul a patria mea ancillæ fluxus menſtruus ſubſiſtebat, ex qua retentione primo tumor, deinde inflammatio utriusque mammæ, in ulcera tandem deſinens, exoriebatur. Mater ex incantamento evenire *judicavit*, ſed *falſo*. Poſtea quolibet conſueto menſium tempore ſcabioſa fuit reddita: Elapſis autem diebus fluxus conſuetis, ſcabies orta ſine medicamentorum ope ſua ſponte decidebat. Moleſta hæc cutis fœditas, quolibet menſe redux per integrum annum illam divexavit. Adhibitis autem medicamentis emmenagogis, & totam maſſam ſanguineam repurgantibus, & ſecta utraque ſaphæna, ancilla hæc a fœda ſcabie, & ignominia luis venereæ, qua vicini illam infectam judicarant, reſtitutis menſibus ordinarieque fluentibus, fuit liberata. Scabiem mammarum a retentis menſibus vidit Chriſtianus Franciſcus Paullini in virgine Batava, octodecim annorum, cui menſibus retentis, utraque mamma tota fiebat ſcabioſa, cruſta ſatis dura obducta, omnibus aliis membris intactis. Provocatis autem menſibus, omnis ceſſavit querela. *v. M. N. C. Dec. 2. An. 5. App. p. 11.* ubi dictus Paullini ita pergit: In inſula Chæna alia mihi occurrit virgo viginti quatuor annorum, ex ſuppreſſione menſium

fœtidiſſima faciei ſcabie deformis, quæ tamen domeſtico remedio fauſte fuit reſtituta. vid. etiam Chr. Fr. Paullin. *Obſ. med. phyſ. Cent. 2. Obſ. 68.* Nobilis cujusdam conjux a puerperio liberata pleuritidis pericula evaſerat, ſed ſuppreſſis inde menſtruis ſcabie humida univerſali valde deturpata eſt, qua obliterata, tam inſignes in crure, maxime ſiniſtro, cruciatus ſine tumore & rubore ſine intermiſſione, & febre ſex ſeptimanarum ſpatio paſſa eſt, circa nonum a partu menſem, ita ut illis vix ferendo eſſet. Malleoli tuſa vena ſanguinis plurimum dedit, & dolor exinde mitigatus eſt &c. vid. Joh. Nicol. Binning. *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 59. pag. 323. ſeq.*

§. 33.

Pruritus dorſi. Pruritum dorſi ineffabilem obſervavit Andreas Cnœffelius *M.N.C. Dec. 1. An. 4 & 5. Obſ. 56. p. 47.* nimirum femina quædam annorum triginta ſex patiebatur menſium obſtructionem, compreſſionem thoracis, gravitatem anhelitus & inappetentiam cibi, cum eruptione macularum, quas vulgo vocant Leber-Flecke. Poſt ſex fere ſeptimanas inſignis & horrendus ſequebatur dorſi circa ſcapulas & ad coſtas usque ſpurias ſe extendens pruritus. Omnia veſtimenta debebant dilacerari, & crudelitas unguium magna atrocitate in propriam carnem ſæviebat, nec poterat ſatiari ſanguine, donec largiter fluebat, quod unicum erat dimidiæ horæ levamen. Obduratus ſanguis novæ pruriginis prodromus exiſtebat. Non enim tam cito ſanguis erat incruſtatus, cum jam manus ad priſtinam ſævitiam ſe armarent, miſero neque ſatis lacrymis deplorando ſpectaculo. Pruritum pudendorum a retentis menſibus obſervavit Samuel Ledelius *de Centaur. min. cap. 9. p. 263.*

Roſeolæ. Femellis quoque menſes deſiderantibus frequentiſſimum eſſe affectum quendam, Medicis roſeolarum nomine venientem, ſcribit Marcus Aurelius Severinus *de recondit. Abſceſſ. nat. p. m. 395.* quo

Exanthemata. loco prolixe de his roſeolis ſaltantibus agit. Alia exanthemata per univerſum corpus apparentia annotavit Amatus Luſitanus *Curat. med. Cent. 1. Cur. 15. fol. m. 39.* Virgini ſcilicet decem & octo

anno-

annorum aſſueti menſes ſuppreſi ſunt, unde in ſymptoma graviſimum fœdiſimumque incidit: id enim erat exanthemata quædam per univerſam cutem ſparſa, non quidem illa dicta variolæ, aut morbilli, ſed tubercula potius quædam per cutem efflореſcentia, magna ingentiaque: quæ quotidie, ut ſepties & octies oriebantur, ita quoque toties evaneſcebant: durabant autem per dimidiam horam & aliquando per integram, poſtea vero, ac ſi nihil in cute habuiſſet, deliteſcebant. Erant vero effloreſcentia illa tubercula ſive papulæ colore ſubrubro & albo, quæ potiſimum vultum fœdabant, quanquam & brachia & crura, imo & univerſum corpus prehendebant. At quum primum apparere incipiebant, ex commotione materiæ, dolor ventriculum invadebat, & cordis anxietas vigebat, quæ ſuperveniente vomitu, prout aliquando evenire contingebat, ſubito levari videbantur. Ex emanſione menſium, in facie effloreſcente eryſipelate, exulcerationem enatam & habitualem factam, quod vernacula einen ſaltzigen Fluß appellare ſolent, in Act. Berolin. *Vol. 5. p. 48.* annotatam legimus. Et cutis verſicoloris & exulceratæ a menſibus retentis exemplum refert Johannes Auguſtinus Hünerwolffius, de puella inferioris ſortis annorum novendecim, quæ ob menſtrua male reſpondentia fiebat laſſa, anheloſa, macilenta, per totam corporis peripheriam maculoſa, non exceptis lingua, palato, labiis; ex maculis vero lividis, purpureis, violaceis, atris, lenticularibus prodibat ſanguis craſſus, purulentus, ater, ex ore rubicundior grumoſus, aderat reſpiratio ſumme difficilis, lipothymia frequens, periculum interitus &c. *v. M. N. C. Dec. 2. An. 7. Obſ. 81. p. 145.* Margareta Lauwera, filia circiter ætatis annorum viginti quinque, anno periodi ſuæ vigeſimo primo, tempore verno, menſtruis deficientibus incidit in varios cruciatus acerbiſimosque dolores, hinc inde jam ſupernas, jam infernas, jam dextras, jam ſiniſtras corporis partes infeſtantes, variis ſubito ſæpius ad palmæ latitudinem erumpentibus veſicis, limpida plenis ardentiſimeque flagrantibus, ut ignem ſacrum ſubeſſe putares, & cito, niſi

dissecarentur, evasit dolor intolerabilis mentemque deturbans, moxque sedatis ex una fit eruptio ex altera parte, &c. *vid. Act. Erudit. Lipsi. An. 1682. pag. 338.*

§. 34.

Vertigo. visus debilitas.

De vertigine & visus debilitate conquerebatur femina quædam triginta sex annos nata, menstrui fluxus obstructionem patiens, quæ quidem visus debilitas non continua, sed per intervalla rariora accedebat, obstructione dicti fluxus nihilominus perseverante; Denique tam en oculorum convulsio, cum strabismo, atque totalis cœcitas succedebat, teste Simone Schultzio *M. N. C. Dec. 1. An. 3. Obs. 259. p. 461. seq 467.* Et Johannes Benedictus Grundelius meminit virginis rusticæ, cui per integrum vitæ cursum ne gutta sanguinis ex utero effluxit, sed in ipso novilunio post capitis dolorem copiosior saliva sanguine permixta per os provenit. Talem periodum singulis mensibus ab anno decimo quinto, usque ad quadragesimum octavum, sine interruptione experta est, postmodum tali fluxu cessante angebatur cephalalgia, visus diminuebatur & gutta serena appropinquabat, quam ob causam etiam mendicare cogebatur, *v. M. N. C. Dec. 3. An. 7 & 8. Observ. 87. p. 150.* Cœcitatem menstruam a sanguine in caput regurgitante in virgine servile sedecim fere annos nata observavit Johannes Nicolaus Pechlinus *Obs. med. physic. Lib. 1. Obs. 42. pag. 96.* Hanc scilicet virginem jam ab aliquot mensibus exercuerat lunare tributum, nullo admodum successu; antecedebant sæpe jam plenam, jam novam lunam isti dolores, qui menstruorum fluxum ominari solent; nullum tamen illorum vestigium, sed cum jamjam exitum tentare viderentur, mutata symptomatum scena intolerandi capitis dolores intercalari, & redeunte in vices visus orbitate comitati metum virginis & familiarium augebant; quos tamen Pechlinus, ponderatis rite circumstantiis, jussit bono animo essent, videri enim omne illud, quamvis periculosum malum, a restagnante in caput sanguine esse, qui, cum etiam copiosius in arteriolas nervi optici tunicamque retiformem exundet, & rarefa-

Cœcitas.

ctione

ctione ſua tenſiva nervorum comprimat fibrillas, excluſo ſpiritu viſus faciat orbitatem, mox iterum remittente illo ſanguinis orgasmo ceſſantem & identidem pro cauſæ ingenio redeuntem: Hujus ſymptomatis unicum remedium videri ſanguinis misſionem, quæ & ipſa ſubito in pede inſtituenda eſſet; ſequuntur conſilium familiares, nec mora, quin miſſo ſanguine ad priſtinam aciem viſus rediret, & revocati jam ad inferiora menſes uteri legerent oras expectationem omnium felici poſt quatriduum exitu ſecundantes.

§. 35.

Admodum repentinam & ingentem mulieris mammarum a menſium ſuppreſſione ortam inflationem deſcripſit atque depinxit Wilhelmus Darſton *Act. Philoſoph. Anglican. 1669. Menſ. Octob. p. 872.* ſequentibus verbis: Elizabetha Trevers, 23. vel 24. annorum nata, vultu eleganti, crinibus nigris, valida conſtitutione, ſtatura parva, honeſti nominis, ſed infimæ & pauperis prope hanc urbem cognationis, veneris die, Julii 3. 1669. proba fruebatur ſanitate, & ſana lectum petiit, quo ſomnum & quietem æque bene ac unquam antea habuit; cum vero mane ſurrectura erat, & experrecta ſeſe movere in ſuo lecto contendebat, id facere non potuit, cum ſuas mammas adeo inflatas invenerit, ut tota terrore attonita remanſerit, tum aſſidere allaborantem ejus mammarum pondus ad lectum depreſſit, quo ſemper exinde jacuit, absque tamen omni dolore vel infirmitate in mammis aut aliis partibus. Cum ejus rumor increbuiſſet, multi Medici & Chirurgi illuc venerunt, quorum aliqui ipſius mammas amputandas conſuluerunt, cui omnino ego adverſus eram, quia menſium ſuppreſſionem per ſex retro menſes paſſa erat, diuretica nonnulla & ſanguinis menſtrui prolectamenta illi præſcripſi; Phlebotomiam etiam moliens; mulieris mammarum tubuli admodum duri & inflati ſunt, & quidem integræ mammæ nihil videntur eſſe, niſi hujusmodi tubuli, nihil vero ineſt venti vel aquæ, quoad divinare poſſumus; mamma ſiniſtra triginta quinque librarum ponderis ferme

Mammarum tumor.

me est, sed dextra nonnihil minor, cutis vero tergi, colli & ventris ad mammas retracta, ut distentioni sufficiat, videtur, &c. Utriusque mammillæ inflammationem, tumorem & sphacelum a subitanea mensium suppressione experiebatur mulier quædam, postquam indusium sordidum & sudore madidum tempore fluxus menstrui exuerat, atque frigidum & humidum post lotionem statim iterum induerat, v. Petr. Hadrian. Verduin. *Obs. chir. 22. p. 62.*

§. 36.

Verrucæ. De verrucis ex mensibus retentis sequentem observationem refert Philippus Salmuth *Obs. med. Cent. II. Obs. 27. p. 72.* Nobilis quædam virgo in gynæceo Comitissæ a Zollern verrucis compluribus in facie præsertim tentatur. Quærit consilium: & ego vicissim de causis illarum inquirens, menses prorsus subsistere, intelligo. Verrucas nobilis cujusdam puellæ totas manus occupantes, sola sanguinis tauri jamjam mactati, calidi, illinitione sublatas vidi. Idem etiam sanguinem cervinum quidam præstare referunt.

§. 37.

Varices. A mensium obstructione varices oriri, imprimis gravidæ testantur feminæ, exemplum autem virginis ex eadem causa hoc malum patientis communicat Georgius Francus *M. N. C. Dec. 1. An. 6 & 7. Obs. 12. p. 51.* Virgo, inquiens, rustica annorum viginti, temperamenti melancholico-sanguinei, jam a duobus annis menses rite fluentes non habuit, sed saltem paucos: quare in cruribus & prope malleolos aliquoties tumores in venis lividos & subcœruleos observavit ad mori vel uvæ magnitudinem: quos nodos neglexit. Accidit autem quinquies, ut sponte sua rumperentur, &c.

§. 38.

Hirsuties. Hirsutiem a mensium defectu observavit Hippocrates *de Morb. Vulgar. Lib. 6. Sect. 7. fol. m. 297.* ita scribens: Abderis Phaethusa Pythei conjunx antea per juventam fœcunda erat, viro autem

tem ejus exulante diu menſes defecerunt, ex quo poſtea dolores & rubores ad articulos exorti ſunt. Quæ ubi contigerunt, tum corpus virile, tum in univerſum hirſutum eſt redditum, barbaque eſt enata & vox aſpera reddita. Sed cum omnia, quæ ad men- *Barba.*
ſes deducendos facerent, tentaſſemus, non profluxerunt, verum haud ita multo poſt vita functa eſt. Idem quoque in Thaſo Namyſiæ Gorgippi conjugi contigit. Omnibus autem Medicis, cum quibus etiam collocutus ſum, unica ſpes adeſſe viſa eſt, ad muliebrem naturam reduci poſſe, ſi menſes ſecundum naturam procederent. Præter Hippocratem alii quoque Medici barbæ in mulieribus apparentis cauſam a menſium ſuppreſſione derivant. Inquit enim Alexander Benedictus *de Re med. Lib. 26. cap. 4. fol. m. 487.* in Græcia viduæ cuidam, quæ prius ſæpius conceperat, ex abſtinentia purgationibus menſtruis ſublatis, barbam exortam, ac vocem corporisque habitum in virilem mutatum eſſe. Menſes nunquam experta fuerat virgo quædam barbata, Helena Antonia, in gynæceo Hiſpaniarum reginæ, de qua Gisbertus Vuosſius ad Marcum Antonium ita ſcripſit: La noſtra Elena Barbata e adeſſo di venti anni, di faccia tota virile, barba proliſſa fere alla cinta, di color fere di caſtagna ſubnigricante, ſpeſſa e piena. Gli e comminciata a ſpuntare a poco, a poco, vel nono anno della ſua eta, & maravigliandoſi i ſuoi parenti, gli facevano alcune volte rader la barba, dapoi vedendo, che ſubito ricreſcena di nuovo, la laſciava coſi, la barba ſua e ſpeſſa, piena & folta, coſi anio gli moſtacci ſopra la bocca & dalla banda gli peli delle guancie, & di ſotto il mento. Il petto è poco creſciuto. Gli menſtrui ſuoi ſino addeſſo non ha havuto, &c. v. Marc. Ant. Ulm. *Phyſiolog. Barb. human. Sect. 3. cap. 11. fol. m. 307.* Joſephus Lanzonus anno 1697. mulierem Romandiolam annorum quinquaginta ſterilem obſervavit, barbam gerentem: quæ interrogata ipſi retulit, ſe nunquam menſtruas purgationes vidiſſe, nec mammas tumefactas, pectus enim velut viri erat. *v. M. N. C. Dec. 3. An. 5 & 6. Obſ. 283. p. 636.* De hac tamen pluribus D. v. in Trichologia noſtra agemus.

§. 39.

Alia symptomata. Præter hæc tamen recensita defectus mensium symptomata plura adhuc alia occurrunt, a Johanne Freind *Emmenolog. cap. 10. p. 73.* in hunc ordinem redacta, dolor & æstus partium vicinarum, cephalalgia, appetitus remissio & languor. Hæc deinde longum malorum agmen subsequitur, uteri inflammatio, aliquando etiam gangræna, arteriarum pulsatio, dorsi & articulorum dolor, frigoris calorisque vicissitudo, venarum varices, tumores in cruribus præsertim, & pedibus & hypochondriis; totius corporis gravedo & imbecillitas, tormina inflationesque ventris colicæ haud absimiles, flatus etiam & murmura, vomitus; ad præcordia anxietas, tussis, dyspnœa, asthma, tabes, cordis palpitatio & syncope; in capite dolor acerrimus, ad sinciput præsertim & occiput, oculorum gravitas, vertigo, nonnunquam apoplexia & insania, pallor, fluor albus, passiones hystericæ, globus præsertim quasi in gutture sursum reptans, urina aliquando stillans, aliquando suppressa, alvus dura, sanguinis per aliena loca eruptio. In puella suppressis mensibus spinam ventosam observasse Guernerum Rolfincium, allegant Georgius Abrah. Mercklin. Annotat. in Joseph. Pandolphin. *de Ventosit. Spin. cap. 5. p. m. 209.*

§. 40.

Mors. Quandoque etiam ipsam mortem mensium retentionem insequi, non modo ex quibusdam hactenus recensitis, sed aliis quoque observationibus liquet, v. g. in femina apoplectica a mensibus diu suppresis, v *M. N. C. Dec. 2. An 5. Obs. 225. p. 452. seq.* in lanifici uxore cranii cariem passa, vid. Eberh. Gockel. *Gallicin. Obs. 67. p. 530. seq. &c.* Idem in atreta annotavit Caspar Bauhinus *Theatr. anat. Lib. 1. cap. 39. p. m. 133.* in nobili scilicet matrona ne vestigium quidem foraminis vel rimæ apparuit, quæ, cum toto anno, ipsa malum celante, a menstruis non fuisset purgata, variis hystericis convulsivis affectibus conflictata, tandem rem detexit, opemque Bauhini & aliorum imploravit: quare loco inspecto, ubi os pudendi membrana valide obfirmatum deprehenderunt, & rasorio membrana

brana hæc diſſecaretur, conſuluerunt: at ipſa recuſante, & cauterii potentialis applicationem expetente, illud, ſed fruſtra impoſitum, antequam enim eſchara matura eſſet, vita functa eſt, & totus uterus ſanguine grumoſo plenus repertus. Juvencula quatuordecim annos nata, pulchra, cum primum erumpere deberent menſtrua, ſubito incidit in morbum graviſſimum, cum ſummo corporis ardore, tremore, inquietudine, aphonia, oris contorſione, rubore totius & ſuppreſſione profluvii. Nihil autem proficientibus medicamentis eo devenit morbus, ut tertia die, nulla ſanguinis miſſione inſtituta, obierit. Secto cadavere, ſuperiorum conſtitutio bona reperta eſt, niſi quod vena ſanguinem ex utero ad mammillas deferens, tota illius copia denigrata eſſet, felle omni ex veſicula in inteſtina depulſo, juxta verba Joannis Udalrici Rumleri *Obſ. 55. p. 34. ap. Georg. Hieron. Velſch.* Virgo quædam per multos annos laboraverat menſium ſuppreſſione & febre hectica, quæ illam extinxit, teſte Paulo Barbette *Prax. Lib. 4. cap. 11. p. m. 195.* De menſium obſtructione lethali ab odore lupuli hanc obſervationem communicat Samuel Ledelius: Ruſtica, triginta annorum vidua, dum nobilis pagi lupulum ſalictarium ad decerpendum ſubditis obtuliſſet, huic labori etiam ſuberat, & tum laborabat fluore muliebri. Odor gravis huic moleſtus, non tantum ſiſtebat fluxum conſuetum, ſed & inſignem inducebat cephalalgiam, cum laſſitudine membrorum & ægritudine. Naturæ tamen, pro more plebis, per tres menſes negotium committit ſumme debilitata, tandem autem juſſu nobilis a Samuele Ledelio conſilium quærit, ſed annuo ſpatio exacto morbi & medicamentorum pertæſa, penitusque arefacta, nil admittebat amplius, & aſthmate convulſivo ingruente lenta morte obibat. *vid. M. N. C. Dec. 2. An. 8. Obſ. 87. p. 200.* Plura exempla tum in hoc ipſo capite, tum aliis Autoribus reperies. vid. Actuar. *de Prævident. ex Urin. Lib. 2. cap. 12. p. 290. ſeq.*

§. 41.

Hactenus de ſuppreſſorum menſium cauſis atque ſymptoma- *A terrore menſium fluxus.*

tibus agendo, illis varios animi affectus annumeravimus, nihilominus tamen eadem animi pathemata ſimul etiam inter cauſas, menſium fluxum moventes atque abortum excitantes, locari poſſe, dubium non eſt; ſiquidem juxta Philipp. Salmuth *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 49. p. 135.* archiatri cujusdam Anhaltini conjux puerpera lactat infantem ſub noctem. Per jocum a mulieribus quibusdam ex convivio domum tendentibus fores & feneſtræ nimis impetuoſe pulſantur. Illa hinc admodum perterrita, totoque corpore contremiſcente, repente excitatur profluvium menſium, in annum integrum perdurans, & adeo quidem copioſum, ut per ſtragula etiam defluereret, atque ex eo ipſa tandem moreretur. Quid terror poſſit in menſium defectu, teſtatur hiſtoria comitiſſæ cujusdam, quæ per integrum annum menſes paſſa non fuerat, donec pontem transiret, & fere in foveam, morioni regio factam, incidiſſet, tunc nimirum ſubito erupiſſe menſes cum magna ſui lætitia ipſa retulit, teſte Wolfgango Hœfero *Hercul. med. Lib. 7. cap. 1. p. 372.* Novit etiam Vitus Riedlinus matronam quandam ſibi conſanguineam, quæ toties, quoties animi affectu vehementiore corripiebatur, in ſanguinis menſtrui fluxum incidebat, ſi quoque vel paucis diebus ante ſanguinem hunc depoſuerit; ſic, filio primogenito ab itinere inſperato redeunte, lætitia perfuſa fontem illum, vix ante octiduum occluſum, denuo recluſum ſenſit. Filia dilecta admodum prægnante, variis ſymptomatibus graviſſimis obnoxia, cum ſæpius de noctu vocaretur, terrore perculſæ aliquoties idem fons extra tempus manavit. Iratæ & contriſtatæ, ob quendam in illam injuſte ira excandeſcentem itidem prorupit, & quin idem ob alios affectus etiam contigerit, non eſt, quod dubitemus. vid. Vit. Riedlin. *Obſ. med. Cent. Obſ. 59. p. 136. ſeq.* Qua ratione autem ab iisdem animi affectibus menſium fluxus modo promoveatur, modo ſiſtatur, vid. Franciſc. Sylv. *Prax. Lib. 3. cap. 3. §. 219. ſeq. Oper. edit. Amſtelod. pag. 497. ſeq.* Paul. Spindler. *Obſ. med. Cent. Obſ. 70. Schol. p. 131.*

CAPUT

CAPUT VII.

De Menſibus ſerotinis & deficientibus.

§. 1.

OCcaſione ſuppreſſionis menſium adhuc monendum venit, quod, licet ſupra ordinarium incipientis menſtruationis, virginumque ad veneris caſtra aptitudinis, atque ad conceptionem maturitatis tempus, annos pubertatis, & quidem circa decimum quartum ætatis annum, poſuerimus, multæ nihilominus adhuc feminæ reperiuntur, quibus menſes non dicto pubertatis anno, ſed longe tardius fluere incipiunt. Ejusmodi virgines, menſes ſerotinos patientes, nonnullis Autoribus viragines audiunt, illisque quoad ſexum equidem feminæ, quoad vires vero corporis & animi maſculæ habentur; quanquam aliis viragines quoque dicantur, quæ per totum vitæ curſum nunquam menſtruationem patiuntur. Inquit enim Felix Platerus *Prax. Tom. 1. cap. 14. p. m. 504.* quibus menſes, quod tamen rarum eſt, etiam citra incommodum, nunquam fluxerunt, ideo, quaſi virilem naturam induiſſent, viragines dicuntur, *vid. etiam p. 506.*

Menſes ſerotini.

Viragines.

§. 2.

Rationem, cur tales viragines menſes non videant, hanc reddit Theodorus Craan *de Homin. cap. 64. p. 717.* quod fermentationes habeant potentiores, non auſcultantes ætheri peregrino lunari. Ad quem Craanii locum David Græbnerus *de Medicin. Veter. reſtit. p. 656.* ita ſcribit: Gothofredus Sand, Regiomontanus, *in Diſput. de Menocryphia* §. 6. hæc verba habet: His etiam annumerandæ veniunt illæ, quæ ipſæ ſeipſis ſunt alacriores, in quibus deficit aut pauca eſt vacuanda materia propter naturam & temperamentum earum, cum ad conſtitutionem & naturam virorum prope accedunt, quales ſunt viragines, in quibus calor perinde fere ut in viris fortis eſt, ut & probe coquat materiam alimentitiam, atque ſi quid ſupervacanei in ea relinquitur, id per vacuationem ſenſus latentem digerit. Sunt hæ, teſte Aetio, *Serm. 26.*

Viraginum deſcriptio.

cap. 51. omnino viriles, coloris fusci, corporis probe compacti, nervis robustis, venosæ, lumbos & nates ampliores habentes, pectore ac humeris latioribus, mammis solidis, voce gravi, fortiores, item hirsutiores. Sæpissime etiam tales feminæ circa tempus menstruationis fiunt barbatæ atque rarissime menses patiuntur, uti paulo ante de hirsutie a mensium suppressione orta, aliquot exemplis probavimus. vid. etiam Roderic. a Castr. *de Morb. Mulier. Lib. 1. cap. 2. p. 5.*

§. 3.

Viraginum exempla. Novit autem Michael Ruccerus, Medicus in academia Tubingensi, viraginem barbatam sicciſſimæ naturæ, habitusque gracillimi, quæ Friburgo Helvetiorum oriunda, masculi animi & roboris stipendia fecerit apud regem Galliarum, inter cujus milites visam aliquoties mensæ adhibuerit; uti ex Rucceri manuscriptis refert Georgius Hieronymus Velschius *Observ. med. Epistagm. Obs. 96. p. 64.* Omissis aliis viraginum exemplis unicam historiam de virgine gigantea ex Johannis Wieri *Obs. Lib. 1. Oper. p. m. 904.* adducere libet: Virginem, inquit, vidi, quæ ob molem corporis giganteam per diversarum regionum civitates circuibat, se velut monstrosi hominis idolum seorsim in conductis ædibus visendam ostentans omnibus, qui stipem numerarent, ex cujus collectione hæc cum matre victum quæritabat. Ad hanc ego quoque ingressus diligenti inquisitione singula percunctor, doceorque ex matris & grandissimæ filiæ responso, eam ex staturæ brevis parente utroque natam, nec ullum in avita progenie fuisse visum, qui communem aliorum hominum altitudinem superaret, eamque virginem a sui ortus initio ad annum duodecimum parvæ staturæ vulgaris fuisse: sed eodem tempore quartana correptam; qua cum mensibus aliquot luctata fuerat, ea prorsus remittente, cœpit in eam excrescere molem, cunctis membris æqua dimensione in magnitudine debita respondentibus, ut nihil a justa proportione appareret alienum. Annum agebat vicesimum quintum,

quintum, quum eam inſpicerem, in quo nondum menſtruæ fluxionis ſenſerat evacuationem. Illum etenim ſanguinem excrementitium in nutritionem & tantæ molis conſervationem requirebat natura. Bona interim fruebatur valetudine, forma non venuſta, colore ſubobſcuro, ingenio ſimplici & ſtupido, ac toto corpore torpido, &c.

§. 4.

Menſes ſero poſt coitum apparentes.

De menſtruis in adulta femina prima vice coitu provocatis obſervationem recenſet Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſ. med. phyſ. Lib. 1. Obſ. 35. p. 83. ſeq.* viduam, inquiens, novi quadraginta annorum, quæ etſi incolumis & quadrata, nunquam tamen menſium beneficium experta erat, ſive quod naturæ obſtinatio, ſeu quod conjugis impotentia obſiſteret. Alteris ſtatim nuptiis ad primum coitum, velut ad novas illecebras, flos ille virgineus tamdiu abſconditus erumpit, & mox inde prolixa conceptus ſpe conjugem beat, &c. Item ancillæ ruſticæ anno quadrageſimo ſecundo ætatis ſuæ (nunquam antea menſium fluxum expertæ) primo concubitu cum marito, robuſto colono, menſes copioſe ſatis manare cœperunt, ipſa adhuc bonæ conſtitutionis & duarum filiarum genitrix, uti ex ipſiusmet ore refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *Obſerv. med. phyſ. Cent. 4. Obſ. 35. p. 452. ſeq.*

§. 5.

Menſium defectus.

Deinde dantur etiam quandoque feminæ omnimodo menſium defectu laborantes, ſeu quibus per totum vitæ terminum menſes nunquam fluxerunt; harum aliæ nulla exinde perſentiſcunt incommoda, aliæ econtra ſatis miſere vivunt, variisque ſubjiciuntur ſymptomatibus. Deinde aliæ dictarum feminarum plane ſteriles ſunt, aliæ nihilominus concipiunt fœtusque edunt. Dependet autem totalis menſium defectus tam ab humorum & ſanguinis craſſitie ac viſciditate, quam a prava generis nervoſi conformatione aut vitioſa ejusdem & vaſorum ſanguiferorum in uteri ſubſtantiam inſertione, vel defectu, vel juxta verba Baldaſſaris

Cauſæ.

daſſaris Timæi a Güldenklee *Lib. 4. Caſ. 7. p. 205.* fit vitio conformationis, quatenus vaſa ſanguinem ad uterum deferentia vel deficiunt, vel male conformata alio converſa, aut contorta, vel callo obducta ſunt, ita ut ſanguis per ea effundi non poſſit; vel ſecundum Joan Broen *Medicin. theoret. p. 285.* ſi vaſa ſanguifera non adeo pervenerint ad ſuperficiem concavam uteri & vaginæ, ſed profundius lateant; vel ſi juxta Gulielm. Cockburn. *Oeconom. Corpor. animal. p. m. 184.* arteriæ capillares ac tenuiores, luſu quodam naturæ, (ut nuncupant) profundius in utero ſubſidant ac transcurrant, adeoque adventitiam quandam reſiſtentiæ vim acquirant, ut vim illam a ſanguinis mole & impetu ſuperent. Idem Cockburn etiam *p. 187.* de ſanguinis menſtrui defectu ita pergit: cum fluxum hunc ſanguinis mole, ejusdem impetu, ac vaſorum ſoliditate dependere diximus; ſi ſanguinem quantitate minorem exiſtere contingat, purgationem hanc non futuram quisquis expectabit. E contra, ſi mole quoque forte ſuperarit, fieri poteſt, quod ea ratione nulla ſit evacuatio: Mole enim hac ſanguinis partes adeo ſe invicem comprimunt, ut partes ejusdem ſubtiliores minori quantitate in cerebro ſecernantur, at cum ab earum ibidem ſecretione, ac effluxu in cor, pendeat ſanguinis velocitas, ſequitur, ſanguinem de ea velocitate carere, quæ requiritur, ut e canalibus ſuis erumpat. Quod mulieres reperiantur, quibus nunquam menſes vel aliud quippiam fluxit ex utero, quæ nihilominus bene habitæ prorſusque incolumes ad ſenectutem usque vivunt, duplicem hujus defectus menſtruorum cauſam reddit Rodericus a Caſtro *de Nat. Mul. Lib. 2. cap. 9. p. 77.* alteram ſcilicet toti corpori communem, quæ accidit illis, quæ inculpate vivunt; alteram utero propriam, quia etſi corpus ſanguine menſtruo abundet, uterus tamen a natura male conſtitutus ob depravatam temperiem, conformationem, aut ſitum, ipſum ſuſcipere & expurgare nequit. Conſtitutioni cuidam peculiari hunc menſium defectum adſcribit Felix Platerus *Prax. med. Tom. 1. c. 14. p. 506.* Mulierem, cui ex conformationis naturali vitio nunquam vel menſes,

menſes, vel aliud quicquam ab utero fluxit, ac nihilominus bene habita prorſusque incolumis annos circiter ſexaginta vixit, ſe vidiſſe ſcribit Joannes Fernelius *Patholog. Lib. 6. cap. 16. p. 197.* vid. etiam Franc. Bayle *Diſſert. de Cauſ. Flux. Menſtr. p. 31.* Rod. a Caſtr. *de Morb. Mul. Lib. 1. cap. 2. p. 5.*

§. 6.

Exempla ejusmodi feminarum menſtruali fluxu nunquam laborantium ſimulque ſterilium ut adducamus, illuſtri cuidam feminæ, ex proſapia comitum de Eberſtain oriundæ, triginta circiter annorum, temperamenti calidi & ſicci, atque in matrimonio viventi, menſes per totam ætatem non fluxiſſe refert Baldaſſar Timæus a Güldenklee *l. a.* ubi addit, eandem varia cum iis, quæ menſium retentione afficiuntur, valetudinis incommoda habuiſſe communia, ſiquidem frequenti venarum in pedibus inciſione melius, ea neglecta pejus habere viſa eſt. De muliere ſterili, quæ menſes nunquam vidit vid. Roſin. Lentil. *M. N. C. Dec. 3. An. 7 & 8. App. pag. 139. Miſcellan. medic. pract. p. 237.* D'une femme agée de trente quatre ans, qui n'avoit jamais eu aucune evacuation menſtruelle, & qui pour ce ſujet eſtoit ſterile depuis douze ans qu'elle eſtoit mariée, quoyque pour alors elle ſe portaſt aſſez bien d'ailleurs, ſi non qu'elle eſtoit ſeulement ſujette de temps en temps a un mal de gorge, & a des douleurs de mammelles, vid. Franc. Mauriceau *Obſerv. ſur la Groſſeſſ. Obſ. 232. p. m. 134.* Sequentia exempla refert Joannes Rhodius *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 47. p. 144.* Anno 1642. Januarii 29. in theatro uterus mole carnea oppletus veram perpetuæ ſuppreſſionis menſium cauſam detexit. Alia mulier, cui ob conformationis vitium menſes nunquam fluxere, neque ab utero quicquam, integra valetudine annum ſexageſimum attigit. Pellionis cujusdam Thorunenſis conjux, viginti ſeptem annos nata, nunquam tam in virginitate, quam in matrimonio, menſes paſſa, mulier egregiæ formæ, ſana ac vegeta: ſed nunquam etiam prolem habuit; & quamvis diverſis medicamentis, ad promo-

Sine conceptione.

venda menstrua, usa fuerit, omnia tamen frustra adhibita sunt, teste Simone Schultzio *M. N. C. Dec. 1. An. 6 & 7. Obs. 159. p. 224.* vid. etiam Theoph. Bonet. *Medicin. Septembr. Part. 2. Lib. 4. Sect. 2. Obs. 4. f. 31.* Meminit etiam Martinus Johannes Haesbaert sterilis cujusdam mulieris, cui nec durante virginitate, neque in matrimonio fluxere menstrua. *v. M. N. C. Dec. 2. An. 4. Obs. 126. p. 249.* Consiliarii Palatini uxorculam, annos ultra triginta natam, cætera sanissimam, licet sterilem, mensium fluxu nunquam laborasse, scribit Rosinus Lentilius *Miscell. med. pract. Part. 1. p. 237.* Mihi ipsi quoque nota est uxor olim Secretarii cujusdam (patris ex prima uxore multorum liberorum) adhuc vivens vidua, quæ nunquam, neque virgo adhuc, neque maritata, menses experta est, cæteroquin sana & robusta, minime tamen instar viraginum hirsuta vel circa mentum pilosa, licet jamjam annum ætatis sexagesimum superaverit; sæpius etiam, adhuc junior, de difficili respiratione atque præcordiorum angustiis & subsequente cephalalgia conquerebatur, sterilisque permanebat.

Observatio.

§. 7.

Cum conceptione.

Quamvis autem, fortasse ob ejusmodi observationes, nonnulli medicorum *in iis feminis, quæ nunquam purgantur*, seu menstruationem patiuntur, raro vel nunquam conceptionem sequi defendant, v. Eman. Stupan. *in Hippocr. Aphor. physiol. pag. 46.* ipse etiam Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 13. p. m 311.* feminas nunquam citra menses gravidas fieri scribat, atque nostrates mulierculæ nunquam arborem sine flore fructum ferre, nec mulierem sine antecedente fluxu concipere posse opinentur; varia tamen in contrarium apud Autores reperiuntur exempla mulierum, quibus non modo ante conceptionem nunquam fluxerunt menses, sed quibus etiam post partum lochiorum fluxus defuit; vid. Marcell. Donat. *de Histor. med. mirab. Lib. 4. cap. 23. p. m. 442. seq.* ubi præter alia exempla allegata mentionem facit mulieris fortis & audacis, manu promptæ, iracundæ, petulanti lingua, & ad contumelias maxime pronæ, quæ jure optimo virago erat appel-

appellata; hæc nunquam menſtruas purgationes habuit,& tamen bis utero geſtavit ac bis peperit, primo maſculum, ſecundo femellam. In partu excrementi menſtrui vix tantillum exivit, at in puerperio nihil penitus effluxit. Jacobus Lochnerus, Medicus Lignicenſis, novit vetulam, quæ ſedecim liberos enixa, nunquam menſtruorum fluxum paſſa eſt, niſi quod purgamenta prodirent a partu. v. Hier. Reusner. *Obſ. med. 99. apud Velſch. p. 55.* Et juxta Joh. Riolan. parent. *Art. bene med. p. 178.* vidit Rondeletius Montisbani mulierem, quæ numeroſam prolem ſuſcepit, cui tamen nunquam menſes fluxerunt. Guilelmo Fabricio Hildano matrona ſancte affirmavit, ſe nunquam fluxu menſtruali laborasſe, tum durante virginitate, tum etiam in ipſo matrimonio, in quo tamen ſeptem liberos peperit. In puerperio quoque lochia exigua fuiſſe addidit. v. Guil. Fabric. *Obſerv. chir. Cent. 5. Obſ. 41. fol. m. 428.* fuit etiam dicta femina ab ipſa juventute ſemper robuſta, valida morbisque parum obnoxia &c. Mulierem non ſolum nunquam menſtruatam, ſed etiam probata ſanitate fruentem, quinta vice prægnantem, obſervavit Dominicus Panarolus *Obſ. med. Pentec. 1. Obſ. 15. p. 9. ſeq.* Anno 1628. Patavii binæ matronæ nobiles vixere graciles & proceræ, quæ ſine menſium fluore concipientes peperere, nunquam a partu purgatæ; ſed prægnationis tempore graviter ſe habuerunt. v. Joh. Rhod. *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 54. p. 147.* ubi annectit, nobilem aliam Patavinam menſibus perpetuo deſtitutam ex voto octies enixam eſſe. Inquit etiam Scholiographus in Jacob. Holler. *de Morbor. intern. Curat. Lib. 1. cap. 54. p. m. 164. b.* conſtare, multas mulieres concepiſſe, antequam paſſæ eſſent menſtrua. Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. 4. Hiſt. 37. p. 309.* ſe noviſſe mulieres ſcribit, quibus ante conceptionem nunquam comparuerunt menſes, virginesque nuptas, quanquam menſtruatæ nunquam fuerant, prole tamen familiam auxiſſe. Ibidem etiam alias conceptus ſine menſium ordinato fluxu hiſtorias recenſet, & quidem de muliere Patavina, cui menſes duobus

olim annis continuis defecerant, quæ postea gravida filium enixa est sanum. In puerperio largius expurgatis lochiis, iterum substiterunt ex eo tempore menses, ad binos sequentes annos, ubi rursus imprægnata gemellos peperit. Nec exinde consuetos naturæ fluxus passa est, quanquam subinde albus fluor fuerit molestus. Et alia mulier per septem annos menstruas nullas habuit evacuationes. Tandem venter intumuit. Existimans illa, morbum alium seu obstructionem subesse, & venam sibi secari jussit, & purgantia aperientiaque validiora sumpsit. Impleto gestationis termino enixa est puerum robustum, diu superstitem, in duello deinde occisum. Sequentem observationem communicat Johannes Georgius Volckamerus *M. N. C. Dec. 1. An. 3. Obs. 265. p. 479.* Femina quædam Norimbergensis nata triginta abhinc annis, sanguineo prædita temperamento, aurifabro nupta, sex liberorum feliciter enixorum mater evasit: nunquam antehac qualicunque sanguinis, vel etiam menstrui fluxu laboravit, nec insuper in partu vel aquam, vel sanguinem fudit, nullis etiam subsequentibus lochiis. Et *Obs. 132. p. 243.* Alardus Hermannus Cummenus feminæ meminit, quæ nunquam menses habuit, cum tamen bis utero tulerit. *De femina quadam quinquaginta annorum*, temperamenti phlegmatico-melancholici, mensium inexperta & matre octo liberorum, vid. Joh. Michael. *Prax. Clinic. special. Cas. 19. p. m. 932.* Imprægnationem, nullis unquam præviis menstruis in sartoris Hagiensis uxore, quæ nullo unquam, nec extra, nec in matrimonio menstruo fatigata fluxu quotannis peperit, vitamque recte se habens transegit, observavit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obs. rar. Cent. poster. Obs. 31. p. 323. seq.* Et *Cent. 1. Obs. 78. p. 339.* puerperæ absque lochiis meminit. Feminæ menstrui fluxus ignaræ, matris tamen aliquot liberorum, recordatur Johannes Bohnius in *Offic. medic. duplic. Part. 2. cap. 20. p. 416.* vid. etiam ipsius *Circul. anat. physiolog. Progymn. 16. p. 243.* Johannes Dolæus rusticam novit temperamenti melancholici, quæ nunquam menses passam esse, singulis tamen annis se gravidam fieri, affirmavit. *vid. M. N. C. Dec. 1. An. 6 & 7. Obs. 64. p. 92.*

§. 8.

§. 8.

De muliere necante, nec per, nec poſt partum menſes aut lochia paſſa hanc obſervationem refert Johannes Georgius Sommerus: *Alia exempla.* Fuit in pago Sufra ruſtici cujusdam filia, quæ usque ad annum ætatis ſuæ vigeſimum octavum ancillavit, dein ruſtico nupſit, in quo matrimonio tres peperit filios, ſanitate omnino integros. Dicta mulier nec ex eo tempore, quo virgo menſium fluxui matura fuit, nec per conjugii decurſum usque ad terminum vitæ unquam menſes paſſa eſt, imo poſt trium filiorum partum, ne hilum ſanguinis, ante, per aut poſt partum, præter quædam feroſa & pituitoſa evacuata, profudit. Hæc mulier non ſolum ſingula vice ſine ſymptomatibus puerperas comitari ſolitis, ſed etiam ſine notabili quadam virium dejectione peperit, adeo ut paulo poſt ſingulum partum quædam negotia domeſtica repetiverit, præter conſuetudinem puerperarum, propter ſanguinis exhauſtionem ad ſimilia tractanda inhabilium, *v. M.N.C. Dec. 2. An. 1. Obſ. 41. p. 114. ſeq.* Mulier quædam calidi humidi temperamenti, quæ juvenis admodum forte decimo quarto ætatis anno nupſit, mox concepit & feliciter puellam peperit, cui nunquam fluxiſſe ante partum menſtrua aſſeruit ſancte maritus, fide dignus, teſte Johanne Nicolao Binningero *Obſ. & Curat. Cent. 2. Obſ. 55. p. 188. ſeq.* Meminit etiam Philippus Fraundorfferus mulieris cujusdam nunquam in vita ſua menſes expertæ & nihilominus fœcundæ; ipſa ſcilicet non tantum ſine ullis præviis menſibus ſex vivacisſimas proles eſt enixa, ſed etiam, annum jam agens ætatis trigeſimum quintum, dictum fluxum nondum eſt perpeſſa, *v. M. N. C. Dec. 3. An. 7 & 8. Obſ. 19. p. 38.* Petrus Rommelius ibidem *Obſ. 41. p. 65.* mulierem viraginem in ſcenam producit, cui nunquam, neque in juventute & cœlibatu, neque adultiori factæ & in conjugio menſtrua fluxere; imo quæ, quid menſtruus fluxus ſit, plane in ſe ipſa ignoraverat, & nihilominus tamen felix aliquot liberorum mater exſtiterat, in partu præter paucisſimum ſanguinem per mulie-

bria nihil excreverat, & lochia, cæterum optime sana, nunquam viderat. Idem Rommelius etiam loco citato sistit feminam optime temperatam, staturæ ordinariæ, evsarcam & succiplenam, in flore ætatis constitutam, formæque haud inelegantis. Huic postquam aliquoties, & quidem aliquando satis laborioſe, peperisset, tandem menses emanere & prorsus deficere cœperunt, sine ullo, etiam minimo, valetudinis dispendio, vel muniorum muliebrium obeundorum impedimento. Integro quinquennio hoc modo elapso, denuo gravida facta, & annis subsequentibus aliquoties feliciter peperit, & puerperia rite experta est. Exemplum matris fœcundæ, quæ stante matrimonio nunquam menses passa est, præbet juvencula quædam honesta, viginti annos septem nata, judicis cujusdam uxor, quæ licet durante virginitate fluxu menstruali laboraverit, toto matrimonii tempore (in quo tamen aliquot liberos peperit) nunquam menses passa est, mulier egregiæ formæ, sana atque vegeta, juxta observationem Martini Johannis Haesbaert *M. N. C. Dec. 2. An. 4. Obs. 126. p. 249.* Et Vito Riedlino matrona prope septuagenaria, plurium liberorum mater, retulit, sibi virgini adhuc menses recte fluxisse, at ex quo primo conceperit, per dictum tempus tributum lunare nunquam solvisse, & nihilominus fœtus quinque vivos edidisse; utut etiam vehementissima remedia in usum ducta fuerint, omnia tamen frustra sumsisse, &c. v. Vit. Riedlin. *Lin. medic. An. 1699. mens. Octobr. 1636.* Mulierem Derendingensem sine menstruis liberos gignentem observavit Bernardus Rorbachius, Medicus Tubingensis. vid. Georg. Hier. Velsch. *Exoteric. Curat. Chiliad. 2. n. 252. p. 313.* Hortulani cujusdam uxor, quæ nunquam lunare tributum solverat, quamvis lucina propitia septem liberos excluserat, Georgio Dethardingio retulit, se quinquagesimum jam annum superasse, ast nec virginem, nec conjugem, fluxu mensium fuisse inquinatam, ne quidem ab illo unquam tentatam; athleticam se vixisse, & domesticis laboribus sat arduis commode vacare potuisse, a partu

manasse

manaſſe quidem lochia, aſt longo minori flumine, quam in aliis feminis obſervaſſet, nec inde quicquam damni in ſe redundaſſe; matrem pariter vixiſſe menſibus immunem, & attigiſſe ætatis annum centeſimum; atque filiam, quam unicam peperit (reliquis liberis ad ſexum digniorem ſpectantibus) jam tranſiiſſe annum decimum octavum, citra veſtigium evacuationis talis uteri, vel quod inde male habuiſſet, aſt quod maluerit, ut eadem ſe ad morem aliarum feminarum componat, ſe huic, ex conſilio medicaſtri cujusdam, propinaſſe pharmacum, a quo inter luctas vitæ cum morte proruptio menſium fuerit inſecuta, ut jam menſtruatim uterus ſanguinem pendat. &c. vid. Ephemerid. Academ. Nat. Cur. *Cent. 7 & 8. Obſ. 72. p. 177.* Philippi Ludovici Weſtenbergeri uxor, ſex filiorum quatuorque filiarum, qui omnes vitales fuerunt & vixerunt, mater, neque cum virgo eſſet, neque poſt amiſſum virginitatis florem in ſtatu matrimoniali, neque ante prægnationem, neque gravida facta, unquam tributum lunare ſolvit. Inſtante partu parum ſanguinis profudit, lochiaque in minima fluxere copia, juxta Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theoret. pract. Caſ. 59. p. 769.* De imprægnatione nullis unquam præviis menſtruis bina exempla recenſet Joſephus Lanzonus *M.N.C. Dec. 3. An. 1. Obſ. 23. p. 47. ſeq.* Vidi, inquiens, mulierem, cui nunquam menſes fluxerunt, & tamen ſana degit, ac quinque filiorum eſt mater. Ruſticæ etiam recordor, quæ bis peperit absque præviis menſtruis. Inquit etiam Jean Baptiſte Verduc *de l'Uſage des Parties Tom. 1. cap. 16. p. 239.* l'experience montre, qu'il y a quelque fois de jeunes filles, qui deviennent groſſes, quoi qu'elles n'ayent pas encore eu leur mois; Enfin on a vû pluſieurs jeunes femmes, qui n'ont jamais eu leurs ordinaires, les quelles n'ont pas laiſsé pourtant d'avoir des enfans. Novit etiam Caſtrenſis in Microcoſmi Meteoris fœcundiſſimam matronam, quæ nunquam fuit menſtruata: aliamque huic ſimilem cognovit Petrus Franciſcus Frygius, vid. Hieron. Barbat. *de Sanguin. & ejus ſero p. m. 40.* Item Henricus Snellen *Delineat. Theor. Mechan. Part. 2. p. 110.* inquit, ſe noviſſe

noviſſe feminam, cui jam ante matrimonium ſuppreſſa erant menſtrua, quæ nihilominus tamen nupta viro tres liberos ſucceſſivis vicibus peperit, imo, quod notandum, nullo vel pauciſſimo, vix ad unciam aſcendentium, lochiorum fluxu, in partu ſolum apparente. Conceptionem absque præcedente menſtruatione mihi quoque in femina Dresdenſi obſervare licuit, de qua tamen alibi de ſuperfœtatione, pluribus agemus. Alia ejusmodi exempla collegit Johannes Schenckius *Obſerv. med. Lib. 4. f. 556.* Georg. Franc. *Ann. in P. Zacch. Qu. med. leg. Lib. 1. Tit. 3. Qu. 1. fol. 89.* Franc. Piens *de Febb. in ſpec. cap. 8. p. 218. ſeq.* Imo vivere etiamnum gentes in extremo ſeptentrione, quæ ſine menſtruo tributo, ſola naturæ prærogativa, matres fieri poſſunt: Item vidiſſe Daniam ab ultima navigatione ſuperſtites Grœnlandiæ incolas ſequioris ſexus, matres virgines, omnes hujus tributi ignaras, refert Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſ. med. phyſ. Lib. 1. Obſ. 34. p. 81.* Inſuper univerſa natio femellarum apud Tapuyas in Braſilia per totum vitæ curſum catameniis deſtituitur, nec minus tamen illibata perfruuntur ſanitate prolemque edunt. vid. Gualter. Charlet. *de Cauſ. Catamen. cap. 4. p. 39.*

§. 9.

An mulier ſine præviis menſibus concipere poſſit?

De quæſtione autem, utrum mulier, cui menſes nunquam fluxerunt, concipere poſſit? vid. Daniel. Sennert. *Pract. med. Lib. 4. Part. 2. Sect. 2. cap. 1. Qu. 1. p. m. 133.* Mich. Albert. *Jur. prud. med. cap. 2. §. 10. p. 27.* Joh. Sperling. *de Format. Homin. in uter. cap. 3. Quæſt. 3. p. 59.* Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. 6. Tr. 1. cap. 11. p. m 597. ſeq.* Albert. Kyper. *Anthropolog. cap. 18. §. 109. p. 461.* le Grand *Hiſtor. natur. Part. 8. Art. 2. p. 358.* Ephemer. *N. C. Cent. 7 & 8. Obſ. 72. pag. 177.* Chriſtian. Joh. Lang. *Oper. Tom. 3. Diſp. 38. §. 24. fol. 513.* Chriſt. Vater. *Phyſiolog. Sect. 7. Art. 2. cap. 3. Qu. 3. p. 643.* Joh. Ludov. Hannemann. *M. N. C. Dec. 2. An. 5. Obſ. 120. Schol. p. 241.* Jacob. Primeroſ. *de Vulg. Errorib. in Medicin. Lib. 2. cap. 20. p. 171. ſeq.* Gothofr. Mœbii *Phyſiolog. cap. 20. p. m. 575. ſeq.* Georg. Wolffg. Wedel. *Phyſiolog. Sect. 3. cap. 28. p. 202.* ubi Wedelius allegata de conceptione ſine præcedenti

denti menſtruatione non aliter intelligenda & concedenda eſſe, inquit, quam, quod antea non viſis menſibus, in coitu tamen fœcundo, laxatis repagulis, ſanguis uberius effluxerit, quem vulgo pro menſtruo non habent, & ita patulam reddiderit viam. Et Franciſcus Mauricæus talem conceptionem in ipſo primæ menſtrui evacuationis puncto fieri ſtatuit, *dans les Obſervations ſur la Groſſeſſe Obſ. 393. p. m. 230.* ubi ſcribit: le 8. Juin 1685. j'ay vû une jeune femme agée ſeulement de ſeize ans & demy, mariée depuis un an, qui eſtoit groſſe de cinq mois environ, quoyqu'elle n'euſt jamais eû ſes menſtrues, à ce qu'elle me dit, auſſi bien que ſon mary, qui ne pouvoit pas ſe perſuader, qu'elle eût pû devenir groſſe, n'ayant pas encore eû ce premier ſigne de fecondité, m'allegant pour ſoutenir ſon opinion, qu'on ne voyoit jamais de fruit à un arbre, qui n'euſt eſté precedé de ſa fleur. Mais je luy dis, qu'il eſtoit certain, comme il le reconnut bien par ſa propre experience, en voyant accoucher ſa femme d'un enfant vivant quatre mois enſvite, que les jeunes femmes pouvoient bien quelque fois devenir groſſes, ainſi qu'il eſtoit arrivé à ſa femme, ſans avoir jamais eû leurs menſtrues, ſi elle uſoient du coit dans le temps mesme, qu'elles eſtoient ſur le point d'avoir effectivement cette evacuation naturelle pour la premiere fois. Quæ quidem Mauricæi ſententia in iis feminis concedi poſſet, in quibus conceptio equidem absque prægreſſa menſtruatione facta eſt, in ipſo vero partu & poſt eundem ordinarius ſanguinis & lochiorum effluxus obſervatur, deinde etiam poſt ablactationem menſes usque ad novam imprægnationem legitime fluunt. Cum vero, ſecundum hactenus allegata exempla, in quibusdam feminis neque ante primam conceptionem menſes, neque in partu vel poſt eundem ſolitus ſanguis appareant, vix mea ſententia hæc Mauricæi explicatio ad cuncta exempla applicari poterit.

CAPUT IIX.

De Gravidarum & lactantium Menstruatione.

§. 1.

Menses an in gravidis fluant?

ORdinarie equidem in feminis, uti *cap. 6. §. 4.* diximus, a tempore conceptionis mensium quoque fluxus cessare, atque durante lactatione abesse solet, vel juxta Franc. Zypæi *Fundam. Medic. cap. 3. Art. 7. p. 89.* rarius in gravidis & rarissime vel nunquam in lactantibus fluit sanguis menstruus. Causam v. Franc. Bayle *Dissert. med. 1. p. 28. seqq.* Hæc tamen regula & observatio in multis feminis tam ratione menstruationis, quam lactationis variat; siquidem nonnullæ post imprægnationem semel adhuc vel bis, quandoque etiam ad medium usque gestationis tempus, menstruum experiuntur; nonnullis etiam feminis dictus fluxus prioribus graviditatis mensibus cessat, & contra ultimo tempore redit; quare nec ex mensibus cessantibus ullum certum tam sterilitatis, quam factæ conceptionis, signum peti, nec ex iisdem, stato tempore redeuntibus, ingravidatio infallibiter negari poterit. Sicuti autem ex hactenus adductis exemplis sufficienter liquet, menstruorum fluxum non semper necessario conceptionem præcedere, ita etiam, eundem post ingravidationem, non semper subsistere, probant sequentes Autorum observationes. Et licet Hippocrates *Sect. 5. Aphor. 60.* statuat, si mulieri in utero gerenti purgationes prodeant, fœtum sanum esse impossibile; attamen præter hunc naturæ ordinem gravidæ nonnunquam menses & quidem, uti dictum, interdum prioribus, interdum posterioribus ingravidationis mensibus, quandoque etiam per totum gestationis tempus, modo cum, modo sine fœtus detrimento patiuntur. Imprimis autem in plethoricis ex tali mensium extraordinaria excretione nulla in embryonem noxa redundat, sed potius in ipsius, a sanguinis copia alias facile suffocandi, aut in alia graviſſima symptomata conjiciendi salutem, juxta verba Lucæ Schrœckii *Schol. in Joh. Helwig. Obs. 141. p. 383.* natura a superfluo

sanguine

ſanguine ſeſe ea ratione liberare ſtudet. Hinc etiam ſcribit Henricus Snelle *Theor. Mechan. delineat. Part. 2. p. 106.* Imprægnatas & lactantes mulieres ſemper deficere in menſtruatione, falſiſſimum eſt; plurimæ enim ad ultima usque partus inſtantis tempora hoſce patiuntur fluxus, perſtante fœtus & matris integerrima ſanitate, adeoque falſus eſt Hippocratis Aphorismus *60. Sect. 5.* imo aliquæ menſtruis ſuppreſſis detentæ præter morem vulgarem, tunc & non ante hæc admittunt, poſtquam imprægnatæ fuerint, ut mihi retulere viri in re medica verſatiſſimi. Ad quæſtionem, an & qua ratione fluxus ſanguinis menſtruus durante graviditate locum habere poſſit? reſpondet Theodorus Craan *Diſſert. de Homin. cap. 164. vel rectius 144. pag. m. 725.* id fieri in omnium pauciſſimis, & caſum eſſe admodum rarum, & ubi fit, illic abortum exſpectandum eſſe, quoniam fœtus facile obrueretur ſanguine menſtruo; deinde quando fit, tunc fluxus obſervatur eſſe admodum paucus: attendamus igitur ad illas duas circumſtantias, 1) quod ſit parcus 2) quod ſit rariſſimus, tunc facile hoc phænomenon explicare poterimus. Sed regerunt multi, uterum poſſe connivere, hinc ſanguis poſſet ſatis copioſe ex arteriis uterinis prodire, & innoxie fœtum membranis incluſum præterire & uterum egredi. Fatemur, non videri hoc omni ratione deſtitutum, ſed facilior via eſt ex arteriis deſinentibus in cervicem & vaginam uteri, & hoc paucitas fluxus etiam confirmare videtur. Cur illæ arteriæ quoque non paterentur eandem apertionem, quam illæ, quæ in uterum terminantur? Non igitur putandum, menſes ſolummodo ab internis vaſis uterinis, ſed etiam ab illis, ſcilicet cervicis & vaginæ provenire: facile igitur hæc vaſcula poſſent nonnihil ſanguinis paucioris fundere, ſtante toto generationis negotio intra uterum illæſo &c. Poſſe autem in gravidis absque fœtus noxa vel abortu ſanguinem menſtruatim per arterias ad uteri vaginam currentes excerni, jam ſupra capite ſecundo monſtravimus.

§. 2.

Feminæ nunquam niſi tempore geſtationis menſtruatæ ex- *Menſes non niſi in gravidis.*

 emplum

emplum refert Christophorus Rœslerus *M. N. C. Dec. 1. An. 3. Obs. 348. p. 555.* inquiens, Nimptschii molitoris uxor est annorum viginti quatuor, ea hoc anno 1597. octo annos habuit maritum, & illi nunquam fluxerunt menses, nisi cum prægnans esset, & cum fluere inciperent, jam certa erat, quod esset prægnans. Refert etiam Henricus a Deventer *Art. Obstetric. cap. 15. p. 54.* sibi quondam innotuisse feminam, quæ fluxum mensium ante primam imprægnationem se nunquam expertam esse affirmabat, postea vero ad partum usque statis semper & ordinatis temporibus illos fluxisse, post puerperium denuo cessasse, ad secundam usque imprægnationem, eo, quo antea, modo fluentes cessantesque, quoad omnium liberorum parituram absolverat, unde certius illi signum conceptionis non erat, quam reditus menstruorum, & nihilominus integra utebatur valetudine. Aliud exemplum de mensibus generosæ matronæ, tanquam infallibili imprægnationis signo, communicat Johannes Georgius Hoyerus Ephemerid. *Academ. Nat. Cur. Cent. 5 & 6. Obs. 75. p. 335.* Femina scilicet in diæta lauta vivens menses quidem in virginitatis adhuc annis ordinarie observarat, quos vero post matrimonium contractum, & in illo nunquam extra imprægnationis statum, cum optima tamen de reliquo euphoria & sanitate non experta, sed tantum gravida aliquoties facta, tanquam certissimum imprægnationis & conceptionis inchoatæ signum mensis per totum gestationis tempus, legitimo tempore, ad felicem usque partum passa, quo partu præterlapso & lactatione peracta menses iterum sine ullo futuro sanitatis incommodo, nunquam porro fluere & continuare, sed contra potius dictum factum sponte subsistere annotavit.

§. 3.

in gravidis menses. Quantum autem alia gravidarum feminarum, menstruationem tam ante, quam post conceptionem expertarum, exempla attinet, mulierem juvenculam mercatoris uxorem, novit Thomas Bartholinus, quæ, quoties uterum gerebat, ordinarios patiebatur mensium fluxus adeo copiosos, ut lecto affixa imbecillitati

tati ſuæ conſuleret. Subſiſtebat is ſtato tempore, nec a primo conceptionis menſe ad ultimum ſtatas vices intermittebat. Fœtus nihil inde mali patiebantur, quos maſculos & robuſtos feliciter ſolebat eniti. v. Th. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. 3. Hiſt. 13. p. m. 32.* Anno 1687. uxor cujusdam paſtoris triceſimum ætatis annum agens, habitus pleni & carnoſi, referebat, ſe per octo menſes jam gravidam usque videre ſingulis menſibus ſtatoque tempore menſtrua, ſine notabili valetudinis detrimento, vid. Ehrenfr. Hagendorn. *Hiſtor. med. phyſic. Cent. 2. Hiſt. 94. p. 273.* quo loco etiam meminit obſtetricis ſancte affirmantis, ſibi quoque menſtrua ad partum usque inſtantem fluxiſſe, filiolam vero in lucem poſtea editam ſtaturæ fuiſſe puſillæ & virium exiguarum. Vidit etiam Jacobus Lochnerus Medicus Lignicenſis mulierem, quæ vere imprægnata patiebatur ſingulis menſibus fluxum menſtruorum eodem ordine, quo alias, absque ullo incommodo, vid. Hier. Reusner. *Obſ. med. 99. apud Georg. Hieronym. Velſch. pag. 54. ſeq.* Menſtrua nec neceſſario conceptionem præcedere, nec illam ſemper contra naturam menſtruatim conſequi, binis exemplis probat Johannes Nicolaus Binningerus *Obſ. Cent. 2. Obſ. 55. pag. 188. ſeq.* quorum prius jam ſupra de conceptione ſine menſibus adduximus. Alia etiam uxor ipſi Baſileæ nota fuit, quæ fere annorum triginta toto primo geſtationis tempore, menſium profluvio, cætera incolumis, laborans tandem puellam peperit. Matronam Lugdunenſem circa medium geſtationis tempus ſtillicidium uteri adeo contumax corripiebat, ut ſpretis omnibus remediis ad extremam usque partus horam duraret; illa tamen fœtum obeſulum & nitidum pariebat, teſte Johanne Nicolao Pechlino *Obſ. med. phyſ. Lib. 1. Obſ. 36. p. 85.* Sequentem obſervationem refert Vitus Riedlinus *Millenar. Curar. Cent. 1. Obſ. 15. p. 8.* Mulier quædam duodecim liberorum mater, decimo tertio fœtu gravida menſe ſexto, aquas, quæ alias partum antecedere ſolent, ex utero profluentes notat, & hinc haud immerito ab abortu ſibi metuit, obſtetricemque vocat,

quæ quidem accedit, at fruſtra ambæ partum expectant, qui licet per integras quinque hebdomadas hic aquæ (cui ſubinde & ſanguis mixtus conſpiciebatur) fluxus inſtiterit, non ſucceſſit, unde hoc elapſo tempore me quoque conſuluit, ubi præterquam, quod medicamenta convenientia præſcripſi, ipſam bono animo eſſe juſſi, quia retulit, quod, quotiescunque hactenus gravida, fœtu præſertim maſculino, fuerit, ſemper menſes, tum in principio geſtationis, tum ſub finem ejusdem notaverit, nec unquam tamen inde vel ſibi, vel fœtui, ſiniſtri quid contigerit, niſi quod femellam gerenti parcius fluxerint. Nobiliſſima quædam femina tempore imprægnationis ſemper laborabat menſium fluxu, cujus vero filii omnes moriebantur, & filiæ ſuperſtites debiliſſimæ erant naturæ, juxta Caſp. Theoph. Bierling. *Adverſar. curioſ. Obſ. 32. p. 60.* Præclaræ indolis feminam prægnantem ordinarium menſtruorum fluxum ſine noxa vidiſſe, imo, cum aliquando infantem lactaſſet, ſtatoque tempore menſtrua fluxiſſent, nihilominus illam graviditatis immemorem fœtum robuſtum enixam eſſe, refert Bernhardus Verzaſcha *Obſ. 20. p. 49.* Femina quædam gravida per menſes quatuor menſtruorum fluxu continuo, fœtu adhuc vivo ac ſuperſtite, afflicta fuit; fluxu autem curato ſtatim capitis dolor pulſans oculorumque levis quædam hebetudo conſecuta eſt, demumque delirium, referente Frederico Dekkers, *Exercitat. pract. cap. 1. p. 16. & cap. 7. p. 525.* Novit etiam Realdus Columbus complures feminas, quibus uterum gerentibus ſingulis menſibus menſes profluebant, quod ob magnam ſanguinis copiam in illis mulieribus evenire certum eſſe inquit. *Anat. Lib. 12. pag. m. 460.* Feminæ annos triginta ſeptem natæ toto tempore geſtationis uteri fluxerunt menſes; nono quinimo menſe, ſervata temporis lege, parcius fluxere, uti Stephanus le Duchat ad Guilhelmum Fabricium Hild. ſcripſit, vid. hujus *Obſ. chirurg. Cent. 5. Obſ. 41. fol. m. 428.* Certa quædam femina gravidationis tempore ira percita ita commovebatur, ut menſtrua ei fluere inciperent, & deinde menſibus ſingulis redirent, ita ut illa, num vere gravida eſſet, addubita-

dubitaret: præcipue cum ſub finem gravidationis fluxus hic quindecim continuis diebus perſeveraret: eo nondum ceſſante pariebat puellam, cui menſes ipſo nativitatis die fluere incipiebant, deinde exacto menſe aliquoties denuo redibant, uti ſupra ex Theod. Kercking. *Spicileg. Obſ. 87. p. 168.* adduxi.

§. 4.

Obſervatio. Rariſimum etiam fluxus menſtrui, vel potius hæmorrhagiæ, exemplum in gravida femina, & quidem JCti cujusdam Dresdenſis uxore, parvæ ſtaturæ, annotare mihi licuit, quippe quæ anno 1728. die 4. Septembris poſt editam periculoſo partu ſanam filiolam, admodum debilitata, contra largum lochiorum fluxum nullum omnino medicamentum aſſumere volebat, licet aliquoties longas pateretur lipothymias. Altero die, recollectis pauliſper viribus, dicta femina, annum agens trigeſimum tertium, a me interrogata, cur antecedenti die medicamenta recuſaverit, id unice nimiæ plethoræ adſcribebat, ſiquidem in omnibus hæmorrhagiis, quæ ipſi cum omnibus ſuis liberis, tam tempore graviditatis, quam poſt partum, ſine damno, in nimia copia acciderint, poſt aſſumpta medicamenta, imo etiam poſt venæſectionem, majora ſymptomata majoresque ſanguinis per varias vias perſenſerit excretiones. Tempore enim quodam imprægnata, cum decima, poſt medium geſtationis tempus, ſeptimana, horis matutinis, in brachio venam ſecari curaſſet, a meridie in utroque pede binæ, & ita quatuor, venæ, altera in planta, altera vero in regione tibiæ, ſponte & ex improviſo apertæ largam ſanguinis fuderunt copiam; quod ſymptoma deinceps in tribus adhuc ſubſequentibus graviditatibus rediit, ut ſemper easdem venas ultro apertas, uti in aliis venæſectionibus, deligare neceſſe habuerit. In alia ingravidatione poſt venæſectionem antemeridianam, a meridie, vena in dorſo circa ſcapulam dextram ſponte & inſenſibiliter cum larga hæmorrhagia fuit aperta. Aliquando etiam paulo poſt partum ſanguis menſtruus per viginti quatuor hebdomadas continue fluxit; poſtquam autem per duas ſeptimanas

manas ceſſarat, iterum fuit imprægnata, & ſemper aliquot ante partum ſeptimanas hæmorrhagia uterina rediit; ſique aliquod contra eandem adhibebatur medicamentum, ſanguis menſtruus per ſputum, nares, oculos & mammarum papillas guttatim effluxit. In ultima vero hac uteri geſtatione circa medium graviditatis terminum per quatuor ſeptimanas largisſimum ſanguinis paſſa eſt fluxum, qui tamen decima ante partum hebdomade rediit, atque poſt ſex ſeptimanarum continuationem ceſſavit. Referebat inſuper dicta puerpera in præſentia ſuæ ſororis aliusque feminæ, ipſius matri in partu ordinarie aſſiſtentis, id pariter affirmantium, in prima ſtatim ſuæ nativitatis ſeptimana per aliquot dies ſibi in loco ſolito menſtruationis ſignum apparuiſſe, non tamen, niſi poſt annuum tempus, iterumque nono ætatis anno rediiſſe, denique vero anno demum decimo octavo menſtruum ordinarie fluere incepiſſe: Cumque poſtea anno vigeſimo nupſiſſet, in matrimonio gravidam ſe cum omnibus liberis ſuis largas hæmorrhagias cum lipothymiis & aliis ſymptomatibus pertuliſſe.

§. 5.

Menſium in gravidis fluxus lethalis.

Sæpiſſime etiam in gravidis, ultimis præſertim geſtationis menſibus, menſium fluxus vel hæmorrhagiæ uteri fatales ſive tam fœtui, quam matri ſimul lethales annotantur. Talem hæmorrhagiam uterinam cum fœtus immaturi excluſione refert Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 84. p. 318.* de uxore honeſta triginta circiter annorum, liberorum plurium matre, quorum tamen aliquot vel ante terminum conſpectum excluſit, *vel in ipſo* partu, ex ſanguinis impetu, non ſine dolore ſuffocatos *vidit.* Huic per quatuor circiter menſes cum dimidio iterum gravidæ ac hæmorrhoidum ſeu menſium fluxui obnoxiæ, licet Harderus ſalvatellam aperiret, variaque medicamenta exhiberet, mortuum tamen fœtum obſtetrix extrahebat. Anno 1673. Ratisbonæ matrona quædam nobilis & ingenua, fœtu gravida quinto, conceptionis menſe hæmorrhagia uteri improviſo adfligebatur tam vehementi

menti ac immodica, cum virium debilitate, ut ſæpius in animi deliquium incideret & pro agonizante haberetur, fœtu tamen ſemper ſe in utero naturaliter movente; cui malo quidem venæſectione atque variis & nobilisſimis medicinis obviam itum fuit, ſed omnia penitus incaſſum, ac fluor iſte per iteratas vices usque fere ad ultimum geſtationis menſem continuavit, quo fœtus demum debilitatus in utero ſubito moriens matri quoque mortem attulerat, vid. Joh. Helwig. *Obſ. 141. p. 383.* Plura ejusmodi exempla tum ex aliis Autoribus tum ex propria praxi adducere ſupersedemus, & potius ex Hiſtoria Morb. Vratislav. *Ann. 1702. p. 73. ſeq.* & aliis Autoribus varias circa hanc ſanguinis excretionem cautelas annecteremus, niſi hanc materiam in alium locum, ſcilicet de abortu, differre animus eſſet, atque de menſtruatione pauca adhuc dicenda reſtarent.

§. 6.

Diximus ſcilicet paulo ante, tam in lactantibus quam gravidis quandoque extraordinarie menſtruum apparere fluxum, quod hactenus gravidarum exemplis probavimus; reſtaret nunc etiam, ut lactantium menſtruatarum exempla adducamus; cum vero ſæpiſſime in lactantibus mulieribus, poſt aliquot a partu menſes, nondumque abſoluta lactatione, menſtruationem redire, indeque infantes lactentes nonnunquam, per aliquot menſtruæ excretionis dies, maxime inquietos variisque ſymptomatibus, v. g. diarrhœa, vomitibus, torminibus, convulſionibus & epilepſiæ obnoxios, praxi quotidiana experiamur, unicum ſaltem hoc loco exemplum adducere, plura vero ad Galactologiam D. v. edendam reſervare libet. Refert ſcilicet Johannes Petrus Prückelius, conjugem ſuam lectiſſimam, triginta tres annos natam, ab eo, quo lactaſſet (quod integrum jam biennium erat) menſes ſtatis diebus excreviſſe, in quantitate prorſus incredibili, corpore nihilominus exiſtente florido ac ſuccipleno, nec inde deterius valente dulciſima filiola. *v. M. N. C. Dec. 1. An. 9 & 10. Obſ. 9. p. 46.* De lactantium menſibus ſcribit Henricus Snelle *Delineat. Theor. mech.* *Menſes in lactantibus.*

Part. 2. p. 107. raramque lactantis menstruo fluxu detentæ observationem Plateri refert; Illi scilicet menses periodice fluebant, quoties lactaret puellam, suppressis iisdem, cum pueros lactaret.

CAPUT IX.

De Mensium Prodromis.

§. 1.

Mensium symptomata. NOn solum autem a præternaturali menstrui suppressione varia exoriuntur symptomata, de quibus hactenus egimus, sed eo quoque tempore, quo menses secundum naturam, tam prima, quam insequentibus vicibus prorumpere debent, variis puellæ *Prodromi* atque uxores quandoque vexantur prodromis variisque symptomatibus modo ordinariis, modo extraordinariis. Illis annume- *juxta Lommium.* rari possunt juxta Jodoc. Lomm. *Obs. med. Lib. 2. p. 273. seq.* horrores, lassitudines, capitis & totius corporis dolores, gravitates colli seu cervicis, dolores circa scapulas, lumbos & fundamenta oculorum; Item nausea cibique fastidium, febricula, tristitia & in- *juxta M. Alberti.* quietudo, appetitus consuetudinis cum viro. Secundum Michael. Alberti *Introduct. in Univ. Medicin. Pathol. Sect. 2. cap. 5. §. 11. p. 154.* erumpunt menses, legitime constituti, tacite & sine ullo doloris aut molestiæ sensu, si vero in diversis subjectis sanguis est spissior, viæ sunt strictiores, quantitas sanguinis valde turgida & immoderatior impulsus sanguini conciliatur, tunc proxime ante eruptionem varii dolores corripiunt, & quidem tensorii, strictorii, spasmodici, angustatorii, torminosi, cardialgici, distensorii in abdomine & regione inguinum atque interdum hypochondriorum. Sub menstruorum fluxu vix aliæ molestiæ corripiunt, quam animi torpor, corporis lassitudo, imprimis femorum, lumborum & pedum fatigatio, appetitus moderata imminutio, extremitatum aliqualis frigidior constitutio, pallor faciei, genarum & labiorum, livor oculorum, animi impatientia & fastidium, sub qualicunque voluntaria commotione corporis citior defatigatio

tio & mitior difficultas reſpirandi ſub inſolitis corporis motibus &c.

§. 2.

A violentiori ſanguinis ſpirituumque motu uterus, poris apertioribus redditis, magis incaleſcit, ita ut ejus ſubſtantia circa id temporis poroſior evadat, magisque intumeſcat, mulieresque ardorem quendam ſentiant circa dorſi ſpinam, ut & in abdomine circa uteri locum, nec non tenſio quædam in partibus vicinis animadvertatur, quæ nonnunquam ad coxendices extenditur, accedente interdum laſſitudine quadam, quod ſanguis prima preſſione mox per arterias moveri non pergat, inquit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. poſter. Obſ. 19. Schol. pag. 232. ſeq.* Secundum Mart. Liſter. *de Humor. cap. 43. pag. 402.* mulieres, quæ nunquam pepererunt, majori moleſtia ex menſtruis profluentibus afficiuntur, quam quæ puerperii purgamenta fuerint expertæ, majorem etiam anxietatem, dolorem partium, circa uterum diſtentarum in virginibus deprehendi.

juxta Stalpartium

ardor circa ſpinam dorſi.

juxta Liſterum.

§. 3.

Ad prodromos menſtruationis absque dubio referri quoque poteſt obſervatio Samuelis Ledelii de nobiliſſima virgine octodecim annorum, quæ ſingulis menſibus, tempore inſtantis fluxus, prehendebatur melancholia cum gemitibus & lacrymis, nec ullam explicabat triſtitiæ rationem, menſibus taliter qualiter ſtillantibus deſinebat paroxysmus, & ſtato tempore redibat, vid. Ledel. *de Centaur. min. cap. 9. p. 263.*

exempla.

§. 4.

Ex literis quoque Franciſci Manginot a Collectoribus *Actor. Erudit. Lipſ. Ann. 1702. menſ. Febr. p. 94.* communicatur ſequens obſervatio: Puella quædam duorum triumve annorum ſubito de cephalalgia maxime atroci conquerebatur, & febre detenta inquietas ducebat noctes, palpebræ inſimul usque adeo intumeſcebant, ut absque inſigni dolore elevari haud po' erint. Quæ ſymptomata licet quandoque remitterent, per tres tamen quatuorve

Melancholia.

Cephalalgia.

tuorve menſes perſeverabant. Tandem motus convulſivi corripiebant ægræ artus aliasque partes, iique per duos dies vehementiſſimi, donec ex naribus, ore, auribus & oculis ſanguis ſtillare inciperet, ita ut linteamina palpebris tum impoſita humida & ſanguine conſpurcata exiſterent. Quæ hæmorrhagia licet integrum duraret diem, tantum tamen aberat, ut puella viribus orbata eſſet, ut potius ab omnibus ſymptomatibus libera conſuetam reciperet hilaritatem & cibos expeteret. Intra decurſum anni integri quatuor talismodi redibant paroxysmi, non tamen adeo atroces (convulſiones certe de ſua ſævitie multum remiſerant) poſtmodum duo vel tres per annum tantum numerabantur, & cephalalgia ultra ſeptimanæ ſpatium non erat moleſta, donec prorumpente ſanguine hæc deſineret. Ante duos menſes ad puellam, decimum nunc agentem annum, vocatus lecto affixam eam inveniebam, de enormi cephalalgia conquerentem, ac febre, catarrho & tanta dyspnœa laborantem, ac ſi peripnevmonica eſſet. Quoniam tertius jam erat dies, ex quo talia patiebatur ægra, matri ipſius, ſanguinis miſſionem neceſſariam eſſe, retulit; quæ facile conſentiebat, addens, ſe non dubitare, quin hæc ſymptomata *prodromi hæmorrhagiæ* forent. Venæſectio nihilominus ad alterum diem differebatur, cum interim ſummo mane, prægreſſis convulſionis motibus, ſanguis per nares, os, aures & oculos fluere cœperit. Puella vero bene valebat, febre & catarrho expers, ſpiritum libere ducebat, boni animi erat, & optimo ad cibos ferebatur appetitu. Et ab hoc tempore proſpera fruebatur ſanitate. Quoniam igitur recidivæ rariores & ſymptomata imminuta jam ſunt, ſpero (pergit Manginot) paroxyſmos nunquam redituros eſſe, aut certe credo, ſymptomata omnimode ceſſatura eſſe, quamprimum tributum lunare ſolvere cœperit virgo.

§. 5.

Sternutatio. Ex immodica & violenta ſternutatione profluvium menſtruorum

ſtruorum graviſſimum absque cauſa manifeſta in nobili matrona, vidua robuſta & plethorica, & maximos dolores e regione oſſis ſacri & imi ventris ſentiente obſervavit Guilhelmus Fabricius Hild. *Cent. 3. Obſ. 58. fol. m. 243.* Et Joſephus Lanzonus novit feminam quandam, quæ quotiescunque ad menſtruorum fluxum accedebat, frequenti ſingultu per duas ſaltem horas afficiebatur. *Singultus.* Et de alia dicto Lanzono narravit obſtetrix quædam fide digna, quæ quotiescunque menſium fluxu detinebatur, a ſternutatione ſat frequenti atque moleſta per integrum diem affligebatur. Imo aliquando & maxime tempeſtivo tempore vomitu affecta omne, quod comedebat, ſpatio trium dierum, durante ſimul menſium fluxu, per os invita ejiciebat. *Vomitus.* *vid. M. N. C. Dec. 3. An. 3. Obſ. 32. p. 36.*

§. 6.

Sequentem obſervationem refert Vitus Riedlinus, filius, *Diarrhœa.* *Obſ. 53. p. 121. ſeqq.* Laboraverat, inquiens, femina quædam viginti octo annorum per bene longum temporis ſpatium ex menſium obſtructione, variis iisdemque ſat gravibus morbis, quibus tandem tympanitis quoque acceſſit; ab hiſce vero cum Dei auxilio diligentique remediorum uſu liberata fuiſſet, cæterum omnino jam ſana, annon diarrhœa menſium fluxum ſemper præcedens huic malo occaſionem dediſſet? eidemque jam occurrendum quoque eſſet? interrogare cœpit, ſe enim ex eo tempore, quo naturæ primum tributum lunare ſolvere inceperit, ſemper diebus tribus quatuorve præcedentibus alvi fluxum pati: Cum autem ante morbum nil quicquam ferme moleſtiæ ex hoc fluxu ſe ſenſiſſe addidiſſet, nec ego eundem, ne præcipue & admodum neceſſarius menſium fluxus ſimul ſiſteretur, ſiſtendum cenſui, & id quidem cum ſucceſſu felici; licet enim hæc alvi nimia excretio, marito etiam nuptæ, & in poſterum ordinarie ante menſtrua recurrerit, & ſemper adhuc perſtet, in hunc tamen usque diem, Dei gratia, optima fruitur valetùdine.

§. 7.

Dolor dentium & salivatio. Viduæ cujusdam filia de dentium dextræque capitis partis dolore & copiosa in os affluente aqua (quod jam aliquoties, per menstrua quasi intervalla, ante mensium instantem refluxum contigerat) querebatur, teste Henrico Smetio *Miscell. Libr. 10. p. 582.*

§. 8.

pustula. Nobilissima quædam femina, cum ipsi prima vice tempora instarent, duobus vel tribus diebus ante illorum eruptionem pustulam parvam rubram (Germanice eine Finne) in mento accepit. Et hoc signum singulis mensibus posthac aut in mento, aut in fronte, duobus vel tribus diebus ante illorum fluxionem semper apparuit. Si fluxus menstrualis ipsi ob ingravidationem restiterit, etiam prædicta pustula tam diu in conspectum non venit, donec iterum sarcina deposita, menses fluere voluerunt, tunc enim pustula prædictis in locis præfatoque tempore tanquam præcursor effloruit. Cum ætate usque ad annum quadragesimum perveniisset, pustula non apparuit, neque menstrua amplius fluxere. Hinc illa firmiter sibi persuasit, menses ratione ætatis subsistere velle, quia mature fluere inceperant. Præterlapsis vero sex mensibus pustulam *in mento iterum observavit*, quam menstrua secuta sunt, quorum fluxu ordinario, statis temporibus conspecta prius sæpe nominata pustula per aliquot vices adhuc laboravit, vid. Casp. Theophil. Bierling. *Adverss. Curios. Observ. 50. p. 93.* ubi in Scholio etiam meminit virginis nobilissimæ, quindecim annorum, quæ instante mensium fluxu per tres dies aliqualem persen-
labri tumor. sit horrorem, deinde ipsi superius labrum intumuit, hinc prima vice, præterlapsis aliquot diebus, purulenta materia per gingivas exivit, tumorque labii remisit. Reliquis vero mensibus superius labium in tumorem quidem elatum est, sed materia in uno latere collecta puris instar non amplius ex gingivis, sed ex ipso labio effluxit.

§. 9.

Vesiculæ post aures. De singularibus vesiculis post aures ordinarie & immediate menstrua

menſtrua præcedentibus videatur Simonis Schultzii obſervatio *M. N. C. Dec. 1. An. 6 & 7. Obſ. 233. p. 342. ſeq.* Scilicet matrona quædam triginta octo annos nata, conſtitutionis tenerioris, melancholiæ hypochondriacæ certa de cauſa ſæpe ſubdita, trium liberorum mater, ſemper ante fluxum menſtruum ordinarium a natura ſat paucum, decimo octavo ætatis anno initium ſumentem, binas veſiculas poſt ſingulas aures, prævio capitis dolore levique vertigine percipit, quæ ſponte aperiuntur, effluente ex iis nonnihil ſeroſi humoris, citrini coloris: qui cum fluere deſinit, menſtrua incipiunt; ſed, ut dictum, *in pauca quantitate*. Sunt itaque iſtæ veſiculæ ordinarii appropinquantis *fluxus* prodromi.

§. 10.

Tumor clavicularum.

In femina quadam durante menſtrua purgatione oſſa clavicularum tumefiebant, eaque deſinente evaneſcebant, uti ex propria obſervatione refert Georgius Baglivus *de Fibra motric. & morboſ. Lib. 1. cap. 1. p. m. 5.*

CAPUT X.

De Menſibus extraordinariis.

§. 1.

Menſium color.

COlorem menſium eſſe rubicundum ſeu ſanguineum per ſe ſatis notum eſt, quandoque tamen etiam variat, loco enim ſanguinis aquam ex utero effluentem annotavit Paulus Spindlerus *Obſerv. medic. 68. p. 127.* Vetula ſcilicet ſeptuagenaria duobus ab annis hæmorrhouſa, mediocriter alias ſeſe habens, Spindleri imploravit auxilium, ut præſervetur ab imminente hydrope. Poſt rhabarbari & lactis chalybeati uſum a fluxu quidem ſanguinis liberata eſt, ſed hujus loco eadem quantitate aqua ex utero perpetuo effluxit. Itaque per unum menſem continuare potum lactis juſſa eſt, & ſic convaluit.

Menſes albi.

§. 2.

Crocei.

Croceos menſes annotavit Chriſtianus Franciſcus Paullini *Obſerv. med. phyſ. Cent. 2. Obſ. 40. p. 200.* Venuſta, inquiens, virgo novende-

vendecim annorum, constitutionis admodum biliosæ, & pinguibus semper delectans, atque ad iram valde proclivis, quovis mense croceum laticem rejiciebat, sine notabili virium sanitatisve dispendio. Purgato corpore, vena in brachio secta servatisque diætæ regulis, color iste disparuit. Alardo Hermanno Cummeno nota fuit matrona nobilis, quæ singulis mensibus ordinario, non sanguine, sed materia serosa crocea purgabatur. Quæ materia si linteamina tingebat, nulla lotura delebilis existebat. Cæterum bene valebat, nec ullum incommodum sentiebat, nisi quod sterilis existeret. Item lochia flava, ex crebriori croci usu, idem Autor observavit, *vid. M. N. C. Dec. 1. An. 3. Obs. 115. p. 186.*

§. 3.

Nigerrimi. Femina annorum viginti septem perfecte hypochondriaca in lethalem icterum propendens, omnia excrementa, sputum puta, urinam, feces & menstrua notavit nigerrima, quæ postrema in matula collecta suis oculis se vidisse scribit Christianus Franciscus Paullini *M. N. C. Dec. 2. An. 5. App. p. 14. Obs. 16. it. Obs. Observatio. med. phys. Cent. 2. Obs. 8. p. 166.* Mihi quoque civis & chirothecarii Dresdensis uxor, quadraginta circiter annorum, post ingentes cordis anxietates atque vehementem, inque ventriculi regione tangibilem pulsum, ictero nigro ultra trimestre spatium laborans, ad quæsita fatebatur, menses sibi equidem ordinarie fluere, spissiores tamen instarque atramenti nigerrimos esse addebat.

§. 4.

Lactei. Lacteos menses vel potius lac ipsum loco menstrui sanguinis observavit idem Christianus Franciscus Paullini in puella novendecim annorum, optimæ constitutionis & vitæ immaculatæ, quæ mammas suas intra menses nimis turgidas & insigniter prominentes admirans fascia primum constrinxit. Surgens deinde aliquando digitis eas fortius compressit, puro puto lacte exstillante. Imponit, consilio anus, emplastrum de spermate ceti Mynsichti, detumentibus mammis. Quinto abhinc die menses manant

nant pure lactei, ſeu odorem coloremve, vel totam conſideres ſubſtantiam; quod ἀντέπτης ſcribit Paullini *M. N. C. l. a. Obſ. 106. p. 67. item de Candor. Sect. 5. §. 9. p. 217. ſeq. & Obſ. med. phyſ. Cent. 1. Obſ. 27. p. 39.* quo loco etiam mentionem facit primiparæ, quæ lac, quod copioſisſimum erat, ocius ſuppreſſura, ut almulum ſuum nutrici committeret, ad uterum derivavit & per vulvam cum impetu quaſi rejecit.

§. 5.

Sanguini menſtruo nonnulli Autores peculiarem odorem vel fragrantiam, alii fœtorem, alii eundem cum reliquo totius corporis ſanguine attribuunt. Inquit ſcilicet Petrus Pachequus *Obſ. 30.* in Lazar. River. *Obſ. communicat. p. 271.* Sanguis menſtruus muliercularum, præcipue bene valentium, odorem florum calendulæ ſpirat. Hinc conjicio ſimilitudine quadam ſubſtantiæ calendulam movere menſes; Id confirmat Johannes Jacobus Waldſchmid *Prax. pag. 138.* inquiens: admirationem meretur, quod ſanguis menſtruus bene conſtitutus circa novilunium certam aliquam ſpiret fragrantiam, odorem florum calendulæ æmulantem &c. Et juxta Johann. Freind *Emmenolog. cap. 2. p. 4.* ſanguis menſtruus, qui ejicitur, non impurus eſt aut vitioſus, ſed optimus & fragrantisſimus: quippe non glandulæ alicujus ope ſecernitur, ſed ex capillaribus arteriis erumpit, ideoque naturam arterioſi, hoc eſt, puriſsimi ſanguinis retinet. Alii vero Autores huic fragrantiæ contradicunt, ſanguinique menſtruo fœtorem aliquem adſcribunt. Scribit enim Martinus Liſter *de Humorib. cap. 45. p. m. 416.* illud veriſsimum eſt, menſtrua male olere, certe longe aliter ac ſanguinem, qui ex inciſa arteria miſſus ſit. Etenim, vel ex vulgi æſtimatione, horum odor quorundam florum, calendulæ puta, æmulus eſſe dicitur: ita quidem id ad cultum muliebrem bene audit; ſed humaniſsimo iſto loquendi genere veritatem occultant; tantum certe abeſt ab aliqua fragrantia aut odoris jucunditate. Igitur iſte odor valde ingratus atque inuſitatus, ſolis glandulis, per quas tranſierit, deberi cenſendus

Menſium odor.

est. Et Henricus Snellius *Delineat. Theor. Mechan. Part. 2. p. 101. seq.* inquit: vulgarissimum est, plerasque puellas viro maturas hircum olere, & menstruantes magis olere seu fœtere, id est, effluvia emittere inconsueta & male olentia, ex diaphoresi aucta, quæ, secundum notissimas nostrarum mulierc ularum opiniones, noxia pluribus aliis corporibus edere solent effecta, adeoque a quibusdam Chirurgis a vulnerum curatione arcentur, & seipsas a præparatione butiri, casei, carnis saliendæ aliisque eduliis, conservationi longiori destinatis, abstinent; nam & ipsæ illæ studentes munditiei & conservationi integerrimæ, sui ipsius conscia, a talibus abhorrent. Hæc multum recedunt ab illa infami & inhonesta expressione Johannis Freind *p. 4.* ubi sanguinem menstruum in sanis optimum esse & fragrantissimum statuit; forsan iis fragrantia hæc arridet, quibus disquisitio mensium jucunda est, & salacitas nimia ad venereos amplexus perpetuo incitat, ex salina hac exhalatione, eo magis stimulandi, prout oleum igni accedens flammæ sulphureæ incitamentum nobile existit; taceo effecta, quæ ab autoribus variis circa internum ejus usum memorantur; neque inquiram, an inter sic dicta philtra sit referendus. Nullibi enim *hoc effluvium mulieris menstruantis* atmosphæram nostram saturans, fragrantia instructum apparet, nisi cum sylvestribus Promontorii bonæ spei incolis fimos, intestina animalium aliaque sordida brutorum excrementa graveolentia inter epulas ipsius miscenda, pro deliciis habeat, ipsi tunc sua stet sententia &c. Ob ejusmodi fœtorem seu impuritatem absque dubio viri Ceylonenses feminas menstruatas evitant, ne ab iisdem *inficiantur*, juxta Jacob. Sarii *Itinerar. Ind. fol. m. 59.* Illos etiam mulieres menstruatas ab ingressu templorum arcere, ex Roberti Knox historica relatione de Insula Ceylon. referunt Domini Collectores Actor. Erudit. Lipsi. *Supplement. 1. Sect. 1. p. 44.* Talem fœtorem tetrum seu halitum vel odorem quasi dulcem, ingratum & nauseabundum, & propemodum similem, qualis ex cadaveribus recens mortuorum vel morti proximorum exspirare solet, mulier quædam sanguineo-

guineo-plethorica, largioribus profuſionibus menſtruis adſueta, de reliquo ſana, quotiescunque menſtruorum fluxus inſtabat, ex naribus ſuis exhalabat, ſenſim iterum decreſcente & tandem evaneſcente halitu, inclinantibus ad finem menſtruis, imo tandem plane ceſſantibus. Suſpicio equidem nonnunquam & mulieri & Medico ſuboriebatur de ozæna latente: Cum vero inter emungendum partim nihil excerneret, partim vero teter ille halitus certæ temporis periodo adſtrictus eſſet, & cum adpropinquante menſtruorum fluxu inciperet, eodem deſinente & ille ceſſaret, ſuſpicioni tali nullum locum relinquendum eſſe, ſed potius a moliminibus ſanguinis, ad excretionem tendentis, & laboriosas anxietates mulieri inducentis, ſub quibus talium effluviorum, nares moleſte adficientium, exhalatio ex illis contingit, odorem illum derivandum eſſe, concludit Andreas Ottom. Gœlicke *Hiſtor. Anatom. Obſ. 8. p. 221. ſeq.* Ejusmodi menſium fœtorem annotavit etiam Michael Bernhardus Valentini *Prax. Medicin. infallib. Noſocom. acad. Caſ. 11. p. 621.* Virgo ſcilicet trium & viginti circiter annorum, honeſtis ſed ſcorbuticis parentibus prognata, conſtitutionis melancholicæ, certis temporibus, cum primis iis, queis tributum lunare, utut difficulter, ſolvebat natura, horrendum & cadaveroſum fœtorem ſpirabat, adſtantibus non tantum, ſed & ſibi moleſtiſſimum, ita ut ejus intuitu celebritatem hominum prorſus ſubterfugeret. Alii vero Autores ſanguini menſtruo ſecundum ſtatum naturalem neque gratam fragrantiam neque tetrum fœtorem adſcribunt, ſed illum ejusdem, cum ſanguine per phlebotomiam ex eadem femina extracto, odoris eſſe defendunt, nihilominus tamen etiam in ſubjectis morboſis non modo fœtorem, ſed alias quoque noxias & virulentas qualitates in ipſo latere concedunt, uti paulo infra de uſu ſanguinis menſtrui ex variis Autoribus videbimus.

§. 6.

Ratione menſium adhuc notandum venit, quod de menſibus frigidis refert Georgius Wolfgangus Wedelius *M. N. C. Dec. gidi.* *Menſes frigidi.*

1. An. 9 & 10. Obſ. 76. p. 205. Virgo honeſta viginti duorum annorum, habitus corporis alias ſqualidi & ſiccioris, ultra annum hactenus menſes equidem ordinarie experitur, aſt cum moleſto actualis frigoris, in exeundo, ſenſu, & ſæpius quoque non tam de horripilatione, quam frigoris quoque conſimilis in corpore moleſtia conqueſta eſt: Conſultus ab ea virgine Wedelius inauditum fere de ſanguine caſum miratus eſt; non enim pituitoſus fluxus unquam fuit, ut ad pituitæ vitreæ exempla referri potuerit &c.

§. 7.

Menſes horis tantum matutinis fluentes.

De menſibus matutinis ſolum horis fluentibus ſequentem obſervationem annotavit Vitus Riedlinus *Linear. medic. An 1696. Menſ. Mart. Obſ. 16. p. 126.* Militis cujusdam uxor propter menſium nimium fluxum dicti Medici conſilium expetiit, & cum ad varia ipſius interrogata ſufficienter reſpondiſſet, ſimul retulit, hunc fluxum jam per quatuordecim & plures dies ſolis horis matutinis moleſtum eſſe, circa meridiem deſinere, & per integram noctem illam nec guttulam ſanguinis profundere, tam vehementem vero dictis horis obſervari, ut vires inde non parum debilitentur, & corpus emacietur &c.

§. 8.

Poſt mortem.

Non modo in viventibus, ſed in defunctis etiam menſes fluere obſervarunt Medici; teſte enim Chriſtiano Helwichio, carnoſa quædam firmoque corporis habitu prædita matrona catarrho ſuffocativo bruma ſævienti ſuis eripiebatur, cum conſuetum tributi perſolvendi tempus appropinquaret; quarto a morte die menſtruum large erumpere cœpit, & per aliquot dies fluxus ille ſeſe non cohibuit. In cæteris partibus cadaver nullum ſtillabat cruorem. Huic obſervationi allegatus Helwichius cautelam practicam annectens ita pergit: Numquid igitur Medicus opem quandam ferre potuiſſet, ſi fluxum cum idoneis medicamentis concitaſſet? præſertim quod, cum in agone luctanti venam aperiri juſſiſſet, ſanguis nullus efflueret. Ex eo tempore in ea fui opinio-

opinione, in apoplexia, catarrho ſuffocativo, iisque omnibus morbis, in quibus venæſectio indicatur, vices haſce Medico obſervandas, & ſi tempus ita ſuadeat, menſtruum potius fluxum excitari, quam venæſectionem celebrari debere, nam etiam ita Hippocraticum illud obſervabitur, eo ducendum eſſe, quo natura vergit, ut ſcilicet redundans via naturæ conſueta expellatur, *vid. M. N. C. Dec. 3. An. 4. Obſ. 31. p. 85. ſeq.* De muliere, quæ menſtrua retenta ſæpe per os & nares excrevit, tandemque apoplexia mortua, copioſe poſt trigeſimam ſextam mortis horam, ſanguinem per jam dicta loca ejecit, vid. Guil. Fabric. Hild. *Obſerv. chir. Cent. 3. Obſerv. 12. fol. 193.* Talem fluxum menſium poſt mortem notavit etiam Chriſtianus Franciſcus Paullini Slageloſæ in Dania. Etenim Petri Olai filia octodecim annorum, ipſis diebus canicularum, inſtante menſium fluxu, cum aliis, die quodam Dominico, ad largum usque ſudorem, choreas in horto parentis duxerat. Hinc ſanguis calidior acriorque factus, præſertim in puella valde bilioſa, impetuoſius ſequente nocte prorupit. Tentantur, more plebejo, varia, ſed ſine ſucceſſu. Tertio demum die circa quintam veſpertinam vocabatur Medicus, ſed circa octavam extinguebatur; cujus e pudendis ſanguis adhuc fluebat ad bihorium fere, parva interdum mora data, v. Chriſt. Franc. Paullin. *Obſ. med. phyſ. Cent. 3. Obſ. 100. p. 400.* Plura exempla ſanguinis per alias vias poſt mortem prorumpentis collegit Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib. 2. Tit. 7. §. 28. pag. m. 557.*

§. 9.

Quandoque etiam cum menſibus varia tum naturalia, tum præternaturalia excerni obſervantur. v. g. ovuli ex teſticulo muliebri ſeu ovario propendentis aliorumque ovulorum ſeu veſicularum *in Muliebr. cap. 3. §. 36.* mentionem fecimus, talia ova in ſterilibus hypenemia dicta cum menſtruo expurgari, ſe in propria uxore aliquoties vidiſſe, Chriſtiano Friderico Garmanno confirmavit, vid. Garmann. *Epiſtol. 100. p. m. 435.* ubi dictus Autor

Cum menſibus varia excreta v. g. ovula.

Vesiculæ. addit: Annus fere est, cum Chemnitii femina, quæ nunquam peperit, in ipso mensium fluxu, sed parciori, insignibus dorsi & lumborum tentaretur doloribus, quibus sedatis & menstruo ad votum fluente tandem grumos sanguinis cum ejusmodi vesiculis egerebat.

§. 10.

Menses verminosi. Vermes cum menstruo sanguine excretos observavit Christianus Franciscus Paullini in rustica femina modesta & honesta, annorum viginti novem, quæ, quoties menses instabant ordinarie, uteri vulvæque pruritum, aliquando molestum, tribus annis sentiebat, cætera ex voto sana. Excepit tandem tributum suum lunare, speculatura, quidnam in eo lateret. Et ecce! multos longiores planeque niveos offendit vermiculos. Re ad Franciscum Paullini delata, dubitavit primo de fide mulieris. Mandavit igitur sanguinem sequenti mense rejiciendum bona fide afferri. Attulit floridum sane & sine notabili peccantium humorum colluvie, in quo vermiculos istos non tantum natantes & reptantes, sed etiam salientes vidit, quos convenientibus remediis feliciter expulit. *vid. M. N. C. Dec. 2. An. 5. App. p. 13.* vid. etiam Chr. Francisc. Paullin. *Obs. med. phys. Cent. 1. Obs. 23. p. 34.* Ancilla quædam rustica, ἀνορεξίᾳ diu afflicta, cum incautius ignem tractaret in culina, ideoque ab hera sua castigaretur, summopere perterrita menses illico effudit coram ipsa, cumque iis vermiculum nigricantem, quod ex ore ipsius Dominæ recenset Christianus Franc. Paullini *de morb. verminos. §. 49. pag. 99.* Imo feminam quandam quolibet mense sine ullo labore, cum menses instarent, non sanguinem, sed quamplurimos vermes per vulvam excrevisse, refert Dominicus Panarolus *Iatrologism. Pentec. 4. Obs. 12. p. 117. seq.*

§. 11.

Cum mensibus ranulæ. De ranis cum mensibus excretis sequentem observationem ex Alexandri de Insula Breviario Rer. memorab. recenset Christianus Franciscus Paullini *M. N. C. Dec. 2. An. 4. App. p. 216.* Anno Chr. 1203. puella sedecim annorum de doloribus uteri diu questa tandem

tandem una cum mensibus undecim minutissimos ranunculos rejecit, omni dolore cessante.

CAPUT XI.

De Menstrui sanguinis usu.

§. 1.

Sanguinis menstrui usus naturalis.

PRogrediamur nunc ad menstrui sanguinis usum, tam naturalem, quam medicum. Ratione naturalis dissentiunt recentiores medici a veteribus; siquidem hi, sanguinem menstruum generationis proximum elementum esse statuebant, fierique nulla ratione posse, ut mulier, cujus non madescit menstruali sanguine uterus, concipiat; quod experimento probare nituntur, quia scilicet steriles existant, quotquot menstruis carent mulieres. Cum vero paulo ante de mensium defectu *cap. 7. §. 7 & 9.* plurimis exemplis contrarium demonstratum, ac multas feminas, quibus nunquam per totam vitam menstrua fluxerunt, minime steriles, sed aliquoties gravidas fuisse, probatum sit, hanc materiam *hoc loco* repetere *nolumus*, sed potius benevolum lectorem ad Autores, *ibidem* allegatos, remittimus. Ex recentioribus tamen menstruationem in tantum, ut mulieres ad concipiendum aptiores reddat, necessariam judicat Johannes Freind *Emmenolog. cap. 7. pag. 48. seq.* Obesæ, inquiens, feminæ venis anguſtioribus præditæ sunt & ad conceptionem ineptiores. Fluxus enim menstruus, quanquam conceptui non prorsus quidem necessarius, facit tamen, ut facilius concipiant mulieres: quippe vias uterinas ita aperit, ut liberior fiat semini in sanguinem introitus. Utrum vero semen virile vel virtus ejus plastica per sanguinem, an per alias vias, ovula in ovariis imprægnet, dissentiunt adhuc Autores.

§. 2.

Imprimis autem sanguinem certis periodis seu menstruatim in non gravidis effluentem, in prægnantibus tam fœtus generationi

An sanguis menstruus sit fœtus nutrimentum.

tioni & formationi, quam etiam ejusdem non modo in utero adhuc contenti, sed etiam postea excluſi, nutritioni esse destinatum veteres exinde credebant, quia post conceptionem ejusmodi fluxus ordinarie vel plerumque cesset, atque post exortum, a quacunque causa, gravidationis tempore, uteri hæmorrhagiam, & exinde secutum nutrimenti defectum, abortus subsequi soleat. Hinc plerique veteres a sanguine menstruo per solam venam umbilicalem fœtum nutriri affirmabant. Inquit enim Jacobus Hollerius *de Morb intern. Lib. 1. cap. 54. Schol. p. m. 164.* sanguinem menstruum generationi & alendo fœtui destinatum esse. Et juxta Gulielm. Rondelet. *Method. cur. morb. cap. 61. p. m. 290. b.* sanguine menstruato augetur fœtus, nutritur novem mensibus & post nativitatem nutritur lacte, quod ex menstruo fit sanguine. Johannes Anton. van der Lind. *Meletemat. Physiol. n. 148. p. 64.* sanguini menstruo triplicem adscribit usum, nimirum irrigare muliebres locos, ubi nascendi initia consistunt: fœcundare feminam, & embryoni esse materiæ incrementi. Eorum animantium, quæ vivum fœtum edunt, femina menstruo abundare necessum est, ut hoc fœtum, quem stato tempore utero gerunt, plene alant ac sustentent, secundum Joh. Fernel. *Physiolog. Lib. 7. cap. 7. p. m. 179.* Andreas Laurentius *Histor. anat. Lib. 8. cap. 6. fol. 315.* ait; editus infans per os alimentum sugit, fœtus vero per umbilicum tantum. Fœtus cum solum sanguinem trahat, & aliam formam speciemque non præbet, sed perfectionem tantum & temperiem sibi similem &c. Pariter etiam nonnulli recentiorum scriptorum eandem fovent sententiam, v. g. Daniel Beckherus *Medic. microcosm. Lib. 1. cap. 7. p. 22.* menstruo, inquiens, sanguine intra uterum contento, si mulier fœtum gestet, natura pro aptissimo fœtus tum nutrimento utitur: Imo fœtu in lucem edito eundem sanguinem in lac convertit, quo & sic familiarissimo illo pabulo sustentetur. Et secundum verba Johannis Baptistæ de Wenckh menstrui sanguinis exuberantia in mulieribus, peracta conceptione, ad nutriendum fœtum, aut jam enixis proli lactandæ deservit, atque

ad

ad uterum per arterias cum nutrimentali chylo defertur, ut ibidem placentam efformet &c. *vid. M. N. C. Dec. 3. An. 9 & 10. Obſ. 136. p. 259. ſeq.* Fœtum in utero ſanguine matris nutriri, ſcribit Abrahamus Cyprianus *Epiſtol. de fœtu extra uter. p. 55.* vid. etiam Dan. Sennert. *Prax. Lib. 4. P. 2. Sect. 2. cap. 1. p. 135.*

§. 3.

Hanc tamen de fœtus nutrimento, ex menſtruo ſanguine, opinionem recentiores multis rationibus impugnant, fœtumque potius a ſucco quodam chyloſo ſeu nutritio, ſanguini commixto, per venam umbilicalem nutriri ſtatuunt. Rationes autem atque verba Autorum hoc loco adducere nolumus, cum de hac materia potius circa fœtus in utero nutritionem commodior agendi occaſio ſe offerat. Paucis interim annectam, quod embryo talis tenellulus poſt primam formationem tanta ſanguinis menſtrui (ſive illum pro nutrimento, ſive pro nutrimenti vehiculo admittas) copia, quanta ordinarie extra ingravidationem effluere ſolet, ad ſui formationem atque ſuſtentationem non indigeat, ſed uterus quoque imprægnatus tam ratione amplitudinis ſeu magnitudinis, quam craſſitiei ſeu denſitatis, incrementum quotidie ſumat, & præter uterum placenta quoque cum fœtu indies augeſcat, imo juxta Philippi Verheyeni *Anatom. Tr. 2. cap. 27. p. m. 196. ſeq.* vaſa ſanguinea uteri tempore geſtationis cum ipſa uteri ſubſtantia non tantum in longitudinem extenduntur, ſed etiam ob majorem ſanguinis affluxum continuo ampliantur ac dilatantur adeo, ut ultimis menſibus quidam ramuli inter venas hypogaſtricas medii ſtylum mediocris craſſitiei admittant, videritque Regnerus de Graaf majora vaſa ita dilatata, ut facile digitum in illorum cavitatem immitteret. Deinde etiam veteres in ſanguine menſtruo alium uſum fœtusque nutrimentum quærebant credentes, dictum ſanguinem fœtu in lucem edito in lac converti, quo & ſic recens natus infans familiariſſimo ſibi pabulo ſuſtentetur, de qua tamen materia in Galactologia noſtra, cum Deo, *Negatur.*

pluribus agemus, nunc vero ad dicti sanguinis usum medicinæ progrediemur.

§. 4.

Sanguis menstruus an noxius? affirmatur.

Antequam autem menstrui sanguinis virtutes recitemus, non immerito monendum venit, eum a nonnullis scriptoribus pro maxime noxio atque venenoso, ab aliis vero pro innoxio atque ejusdem cum reliquo corporis sanguine qualitatis judicari. Priorem sententiam defendunt tum veteres tum recentiorum nonnulli, & quidem ex eo fundamento, quia non modo sanguis hoc tempore excretus, sed etiam feminæ ipsæ tempore menstruationis varios pessimos & venenatos effectus edere soleant. Ex qua ratione etiam illi mulieres menstruatas impuras, coitumque dicto tempore exercitum noxium esse dicunt. Horum affirmantium antesignanus mihi videtur Plinius *Hist. Nat. Lib. 7. cap. 15. fol. m. 110.* scribens: Nihil facile reperitur mulierum profluvio magis monstrificum. Acescunt superventu musta, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina & fructus arborum, quibus insedere, decidunt: speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur, acies ferri præstringitur, eborisque nitor obscuratur, alvei apum emoriuntur: æs etiam ac ferrum rubigo protinus corripit odorque dirus; & in rabiem aguntur gustato eo canes atque insanabili veneno morsus inficitur. Menstruum mulierum sanguinem natura sua vitiatum atque ægrotantem esse, dicit Aristoteles *Hist. Animal. Lib. 3. cap. 19. fol. m. 383.* Et Johannes Baptista van Helmont *Lunar. Tribut. fol. m. 446. seq.* ait: menstruus mulierum sanguis fit onerosus ipso titulo, quo superfluus: eoque adhuc magis, quod tum exuat spiritum vitalem: non secus atque vina quædam exacto anno vappa fiunt. His igitur finibus & modis cruor fit excrementum, dein virus viresque in pejus acquirit eundo. Tandem autem recentis cadaveris proprietates horridas assumit. Propterea nempe menstruum primorum dierum magis est infectum, quam quod subsecutivis diebus effluit. Denique etsi hoc virus specie cruoris ludat, depositio

to vitalis balsami favore, tamen per gradus ad liquaminis cadaverosi malignitatem adscendens assumit veneni indolem, & a pristinis cruoris natura & proprietatibus degenerat &c. Feminarum menses prima virginitate soluta canibus solo gustu rabiem inferre, homini in potu furores gignere, multa exempla habentur, inquit Alexander Benedictus *de Remedic. Lib. 1. cap. 28. fol. m. 21.* Secundum Johann. Fernel. *Physiolog. Lib. 7. cap. 7. p. m. 180.* hoc excidente si novella vitis tangitur, in perpetuum læditur; si mulier prægnans alterius menstrua supergreditur, aut illis circumlinitur, abortum facit: ei autem, quæ uterum non gestat, concipiendi spem adimit. Mulierum, quæ purgantur, spiritus & vapor ab ore specula atque eboris nitorem obscurat: gustatus hic sanguis canes in rabiem agit, homines autem miris cruciatibus affligit, comitialem morbum, pilorum effluvium aliaque elephanticorum vitia infert; idcirco a veteribus inter venena relatus, pari malignitate existimatur atque sanguis elephantici potus &c. Eadem verba reperies apud Regnerum de Graaf *de Mulier. Organ. c. 9. p. 263.* Secundum Zacut. Lusit. *Prax. Histor. Lib. 3. cap. 9. Oper. Tom. 2. fol. m. 474.* menstruus sanguis suapte natura vitiosus & niger, præsertimque in utero per mensem vel diu retentus, cum excurrit, halitus ex se eructat caliginosos & tetros, qui partes superas lancinant & premunt. Sanguinem menstruum retentum venenis annumerat Attilius Bulgetius *de Venen. cap. 5. p. m. 115.* Juxta Petr. Andr. Matthiol. *Comment. in Dioscor. Lib. 6. cap. 25. f. m. 996.* sanguis menstruus mulierum, præsertimque bilioſarum & facile rixantium, potus adeo bibentes effascinat & inficit, ut lunaticos & amentes efficiat. Idem detestabilis facinoris quandoque perpetrant maleficæ veneficæque mulieres cacodæmonibus ductæ, ipsum exhibendo propriis maritis vel iis, quos odio persequuntur. Et Carolus Musitanus *de Morb. Mul. Quæst. 2. Art. 6. p. 60. seq.* sanguinem menstruum admodum noxium esse defendit. Ludovicus Bonaciolus *de Fœtus format. cap. 2. p. 179.* aliis ex Plinio addit: hoc

excremento floribus color adimitur, & quod nos ipsi diligenter observavimus, ad prodigiorum miracula accedens, rubri fuci, quo mulieres prope omnes utuntur, eximia claritudo, a femina in menstruis vase, in quo asservatur, tacto cominus, perturbatur. &c. Juxta Joh. Jac. Waldschm. *Prax. p. 138.* a sanguine menstruo effluvia tempore novilunii usque adeo copiose per transpirationem egrediuntur, ut, si menstruata ingrediatur cellam, ubi cervisia recens recondita est, illa statim acescat. Inquit etiam Heidentr. Overkamp *Oeconom. animal. cap. 19. p. m. 390.* Die Erfahrung bezeuget, wenn blutflüßige Weiber über in Fässer eingeschlagenes Fleisch, Würste, Wein und Butter gehen, daß alle diese Sachen verderben. Et Georgius Wolffg. Wedelius *Physiolog. Sect 3. cap. 29. p. 210.* inquit: adeo id in vulgus abiit, unde artifices supervenientem menstruatam sæpe reformidant, ne opus, quod intendunt, eo infausto auspicio perdatur. Ex oculis & toto e corpore evaporare insensibilia corpuscula, monstrant specula, in quæ mensibus laborantes mulieres inspectant, spurca enim & squalore quodam ac situ obsita redduntur, sunt verba Hieronymi Fracastorii *de Sympath. & Antipath. cap. 23. Oper. Part. prior. p. m. 93.* Ex his concludit Josephus de Tertiis *Tr. de Curiositat. §. 14. p. 20.* quod a muliere menstruante transmittantur atomi & effluvia sanguinea &c. Plura reperies in Mich. Babsts Artzney-Buch *p. 201. seq.* Menstruatus pannus radicibus arborum consepultus & maxime juglandis, illam paulatim enecat, vid. Mizald. rediviv. *Cent. p. m. 55.* Petrum Texeram Goæ arborem vidisse in horto cujusdam vicini pulcherrimam, quæ brevi tempore exsiccata fuerit, ex eo solum, quia in illa lintea sanguine menstruo infecta suspenderentur. Quin & lapidem Bezoar magnæ virtutis & pretii ab ancilla menstruata manu leviter tractatum statim dissolutum fuisse, ex Texeræ histor. regum Pers. refert Casparus a Reies *Camp. Elys. Qu. 53. n. 13. p. 679.* quo loco etiam ex aliis Autoribus monet, ut mulierum linteamina tanto veneno imbuta a vulneribus arceantur, quia, etsi millies abluta, adhuc qualitatem illam pestiferam semel contractam retineant;

neant; item Medicos hortatur, ne menſtruatas feminas vulneratos aſpicere permittant, nec etiam alia optima lintea ipſarum manibus tractari ſinant. Sic ſi Herniſius mulierem aliquam impuram utcunque & undecunque loquentem audiviſſet, confeſtim ipſi caput dolebat, atque hoc utebatur ſeceſſus muliebris & menſtruorum, quibus mulieres polluebantur, argumento, v. Georg. Franc. *Satyr. med. 6. p. 89.* ubi etiam ex Oleario refert, menſtruatas mulieres ab acceſſu ſuo lædere bombyces, ut moriantur &c. Ex tali ſanguinis menſtrui impuritate nonnulli, imprimis Arabes, qui fœtum in utero materno deliteſcentem dicto ſanguine nutriri aſſerebant, variolarum atque morbillorum cauſam quærebant; cui ſententiæ quoque recentiorum quidam aſſentiunt, v. g. Thomas Willis *de Febrib. cap. 15. p. m. 166.* & alii, v. Bald. Tim. a Gülden-klee *Epiſt. Lib. 4. Ep. 16. p. m. 760.* Heydent. Overk *Chirurg. Lib. 2. cap. 25. p. 424.* Quibus tamen alii non adhærent. vid. Franciſc. Piens *de Febrib. in ſpec. cap. 8. p. 219.* Thom. Bartholin. *Ciſt. medic. Locul. 58. p. 598.* Philipp. Hœchſtetter. *Obſerv. med. Decad. 1. Caſ. 9. Sch. p. 100.* Cornel. Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. poſt. Obſ. 42. Schol. p. 426. ſeq.* Hanc noxam quoque indicare videntur varia ab aſſumpto vel inſciis propinato ſanguine menſtruo exorta ſymptomata, alibi de philtris adducenda.

§. 5.

A menſtruata fons exſiccatus.

Utrum vero ad talem virulentiam, an ad, ſic dictam, antipathiam ſeu occultam qualitatem pertineat, quod Autor quidam S. de V. *in deſcriptione Grœnlandiæ cap. 5. App. p. m. 19. ex Theobaldo de Bell. Huſit. Part. 1. cap. 76.* refert, non inquiram: Daß beym Schloß Rieſenberg, eine Meilwegs von Toms in Böhmen, auf einem hohen Berge gelegen, ein Brunnen ſey, einer ſolchen Art, daß er ſich, wann eine Frauens-Perſon, dero es gehet nach der Weiber Weiſe, darzu kommt, Waſſer zu ſchöpffen, von Stund an verliere und einige Jahre auſſenbleibe. Dannenhero von dem Herrn des Schloſſes allzeit ein alter Mann zum Brunnen geſtellet wird, der kein Weib dahin kommen läſt. Hujus fontis meminit etiam Chriſtianus Franciſcus Paullini, haud pro-

cul, inquiens, a monte gigantum (Rieſenberg) fons manat a rupe, ad quem ſi propius acceſſit femina menſtruata, ocyus ſiſtere dicitur fluxum curſumque ſuum. *v. M. N. C. Dec. 2. An. 6. Append. p. 37. ſeq.* Quo loco etiam ſequentem obſervationem recenſet: Puero cuidam Sorano ſanguis e naribus magno impetu fluebat. Perfundunt domeſtici, alterationis gratia, manus ejus pedesque aqua frigidiſſima, fluxu largius manante. Ego ex templo forte veniens ad partes vocor. Ingredior & video puerum fere agonizantem. Ingreſſa ſimul mecum femina, cognata pueri, tunc menſtruata & hircum olens; quam mephitim cum perciperet ille, ſanguis ſenſim cœpit condenſari & fluxus imminui. Quod cum Cortnummio meo referrem, ne mireris, dixit, vidi ſimilem eventum. Audi, quid mihi contigerit in Fyonia! Nobilis puella in eodem caſu a nullo, nec a meipſo optatum impetrare poterat remedium, etiam probatiſſimis incaſſum adhibitis. Venit tandem claudicans edentula, cujus anima fœtebat, quod cum ter quaterve, aperto rictu, in nares & os puellæ halitum ſuum fœtidiſſimum efflaſſet, ſuborto enormi vomitu, fons iſte occluſus eſt.

§. 6.

Coitus cum menſtruata an noxius?

Ex adductis & aliis rationibus absque dubio etiam antiquis Medicis coitus cum femina menſtruata fuit ſuſpectus, dum non modo viris & maribus cum menſtruata congredientibus, ſed etiam infantibus inde naſcendis noceat, iisque lepram & alios morbos, atque venenum affricari ſeu communicari poſſe credebant; unde inquit Hieronymus Mercurialis *Tr. de Venen. & Morb. venenoſ. Lib. 1. cap. 17. p. 22. b.* in coitu diligentia adhibenda, ut fugiantur mulieres, quo tempore menſtruatæ ſunt; illud enim compertum eſt, poſſe homines hujusmodi uſu veneris venenari. Et juxta Sylveſtr. Ratray *de Sympath. & Antipath. p. m. 29.* Sanguis puerperialis aſſumptus lunaticum, leproſum, maleficum & obliviosum reddit, &, ſi conceperit mulier fluentibus menſibus, iisdem utplurimum tentatur infans. Prolixe de coitus talis noxa tractat

Levinus

Levinus Lemnius *de occult. Natur. Mirac. Lib. 1. cap. 8. p. 34. ſeq.* & ex hoc Caſp. Bauhin. *de Hermaphrodit. Lib. 1. cap. 10. p. 102. ſeq.* item Joh. Benedict. Sinibald. *Geneanthr. Lib. 9. Tr. 2. cap. 9. p. 766.* v. etiam §. 10. Hanc vero ſententiam, coitum tempore menſtruationis celebratum adeo noxium eſſe, negat Julius Palmarius *de Morb. contag. de Elephantiaſi p. m. 262.* inquiens, mulierem, quæ inſtantibus aut profluentibus menſibus conceperit, fœtum edere in elephantiam proclivem, Avicennas literis prodidit, non admodum veriſimili opinione. Multis namque orbis tractibus nunquam graſſari deprehenſa eſt elephantia, in quibus tamen ſæpe profluentibus menſibus mulieres concipere veriſimile eſt. Et in hac noſtra Gallia, quæ parum menſibus repurgantur, vix alio quam ipſius purgationis tempore concipiunt, citra ullam in elephantiam propenſionem. Felix Platerus *Quæſtion. Phyſiolog. Quæſt. 37. p. 66.* mulierem tantum eo tempore, quo menſtruus ſanguis collectus fluxurus eſt, ad conceptionem aptam exiſtere colligit; & quod rarius ob id, quam cætera animalia, concipiat, quod tunc a virorum conſortio maxime abſtinere ſoleant. Fœtus etiam absque lepra & epilepſia, ſed integra valetudine fruentes, ex matre, menſtruationis tempore concipiente, naſci teſtatur Franciſcus Mauriceau dans les obſervations ſur la groſſeſſe *Obſ. 676. pag. edit. Gall. 391.* de l'accouchement d'une femme, qui avoit conceû ſon enfant dans le temps, qu'elle eſtoit encore dans la fluxion de ſes menſtrues le 23 Avril 1693. j'ay accouché une femme ageé quarante-quatre ans ou environ, d'un enfant masle, qui ſe portoit tres-bien, & qu'elle avoit mesme porté trois jours plus que les neuf mois complets, quoy-qu'elle l'euſt conceû, à ce que m'aſſura ſon mary, dans le temps qu'elle eſtoit encore dans la fluxion de ſes menſtrues. Ils avoient eſté l'un & l'autre depuis onze ou douze ans de ces ſteriles volontaires, qui ne couchent pas ordinairement enſemble de crainte de faire des enfans, & d'en avoir la charge, de ſorte que le mary de cette femme fût fort etonné voyant ſa femme groſſe, & faſché en meſme temps auſſi bien

Negatur.

bien qu'elle, de ce qu'ils seroient condamnez aux dépens, pour n'avoir pas crû, qu'une femme pouvoit concevoir, comme elle avoit fait, dans le temps mesme de l'evacuation de ses menstrues; & ils craignoient outre cela, que cét enfant ayant esté certenement conceû, comme ils en estoient bien assurez, dans un temps si peu convenable, ne fût sujet à plusieurs infirmitez, pour avoir esté infecté dés le commencement de sa generation des superfluitez menstruelles de sa mere. Cependant il vint au monde estant en aussi parfaite santé, que s'il eust esté conceû dans un temps plus propre à la generation. Quamvis etiam talis coitus cum menstruata lege divina, *Levit. cap. 15. vers. 19. 20.* sit prohibitus, atque immundus dicatur, interim tamen neque noxius neque virulentus ibidem vocatur. vid. etiam §. 12.

§. 7.

Sanguis menstruus non est noxius.

Non autem solum a coitu cum menstruata femina, dummodo eadem perfecta sanitate gaudeat, nihil mali vel venenosi metuunt plerique scriptores recentiores, sed omni sanguini menstruo, a muliere bene se habente optimeque sana effluenti, nullam omnino malignitatem subesse statuunt, & quidem ideo, quia sanguis a femina menstruata excerni solitus ab illo, qui in vasis sanguivehis totius corporis continetur, non aliter differat, nisi quod interdum extravasatus atque spiritibus destitutus, per tempus in uteri cavitate detentus torpescat, pravasque qualitates contrahat. Et sicuti in muliere vere sana sanguis in vasis detentus, etiam tempore menstruationis nihil maligni in se continet, ita etiam de sanguine isto, qui menstruatim in sanis effluit, idem pronunciandum erit. Quodsi vero talis femina affectu quodam maligno aut venenato, v. g. lue venerea, laborat, tunc sane omnis etiam sanguis, tam in vasis adhuc circulans, quam ex iisdem menstruatim profluens, hujus malignitatis particeps est. Quid itaque de isto veterum commento, scilicet mulieres menstruatas, cæteroquin etiam optime valentes, a cellis vinariis, hortis, speculis &c. arcendas esse, sentiant Autores, quorundam ipsorum verba docebunt.

§. 8. Ex

§. 8.

Ex veterum scilicet hypothesi scribit Gulielmus Rondeletius *Method. med. cap. 61. p. 290. b.* quodsi sanguis vitiatus esset, sequeretur, fœtum vitiato sanguine formatum esse & nutritum, lac ex vitiato sanguine fieri, quare & ipsum vitiatum esset. Mulieres læderentur tempore imprægnationis & lactationis, ob vitiati sanguinis retentionem, quemadmodum iis, in quibus præter naturam retinentur menses, evenit. Daniel Sennertus *Pract. Lib. 4. Part. 2. Sect. 2. cap. 1. Qu. 2 p. 134.* inquit: Multorum ea est sententia, sanguinem menstruum non solum quantitate superfluum esse, sed & qualitate & quidem manifesta & occulta &c. Alii contra, eundem qualitate peccare, negant; cum si qualitate peccaret, imprimis si venenatus esset, integro mense citra damnum in venis mulieris contineri non posset; & imprimis feminas enecare deberet, si præter solitum retineretur, cum tamen feminæ multæ, quibus menstrua satis diu retinentur, mediocri valetudine utantur. Mihi probabilior videtur posterior sententia, scilicet menstruum sanguinem qualitate non peccare. Si tamen vitiosi humores in corpore cumulentur, eos cum sanguine menstruo evacuari eique permisceri, aut si sanguis menstruus in corpore præter naturam retineatur & corrumpatur, præcipue si vitiosos humores admixtos habeat, gravia symptomata inducere &c. Inquit etiam Michael Bernhardus Valentini *Prax. medicin. infallib. p. 628. Nosoc. cap. 11.* Licet in statu naturali sanguis menstruatim per uterum excretus ejusdem cum reliquo, in vasis sanguiferis circulando, sanguine naturæ sit, meritoque pro figmentis atque fabulis anilibus habeantur, quæcunque de qualitate ejus venenata & maligna vulgo effutiuntur, siquidem nec plantæ ab illo conspurcatæ pereunt, nec feminæ menstruationis tempore halitu suo specula commaculant, nec canes inde rabidi fiunt, nec maculæ inde linteis impressæ indelebiles sunt, quicquid tandem ineruditum vulgus etiam perhibeat. Attamen in statu præternaturali minus recte procedente menstruationis negotio variis ille vitiis obno-

Autorum verba.

xius fieri solet: unde qui floridus alias & vividus effluxit, nunc lividus & flavescens in mensium decoloratione, nunc albus in fluore albo, nunc purulentus in lue venerea, nunc cadaver aut hircum olens in fœtore mensium præsenti solet observari. Ejusdem sententiæ est etiam Michael Alberti *Introduct. in Univ. Medicin. Pathol. Sect. 1. cap. 5. §. 3. p. 152.* sanguis, inquiens, qui per menses profunditur, sincerus est, & ejusdem bonitatis ac reliqua individui massa; nisi per accidens ipsi, dum genitalia transgreditur, in feminis, præcipue lascivis, orgastica quædam spermatica inquinamenta communicentur, per quæ postmodum diversos illos effectus, qui virulentiæ alicui occultæ vulgo attribuuntur, exserit, qui in alteratione crasεos humorum & perturbatione motuum vitalium consistunt, & cardialgicis, syncopticis, convulsivis, emeticis, inflammatoriis, febrilibus, phreniticis & similibus pathematibus sese produnt: Item Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 9. Oper. p. m. 263. seq.* ait: menstrui sanguinis naturam perpendentes plurimi, non quantitate tantum, sed & qualitate peccare existimarunt. Alii contrarium sentiunt: quia, si menstruus sanguis qualitate peccaret, mulieres toto tempore, quo naturaliter aggregatur, *mirabiliter afficeret*, & ejus augmentatione symptomata quoque augescerent, quæ instante mensium profluvio terribilia evaderent. Sed probabilior nobis videtur postremorum opinio, quorum auctoritatibus non minus, quam rationibus, constat, sanguinem menstruum ex natura sua benignum humorem esse, qui tamen aliquando nimium immutatur &c. vid. etiam Joh. Bohn. *Circul. physiol. anat. Progymn. 16. p. 258.* Bernh. Ramazzin. *de Morb. Artif. cap. 19. p. 130.* Joh. Gothofr. Berger. *Physiolog. med. Lib. 1. cap. 20. p. 253. seq.* Joh. de Muralt. *Clav. Medicin. Exercit. 4. p. 150.* Mich. Ettmüller *Oper. Tom. 1. fol. 165.* Franc. Piens *de Feb. in spec. cap. 8. p. 218.* Et Martinus Lister. *Dissert. de Humor. cap. 43. p. 401.* ubi inquit: Plinius aliique varias calamitates a sanguine menstruo numerant: ideo ab iis mulieres a religionibus interdictæ sunt, ne aliqua contaminatione quasi venenata viri inficerentur: & reve-

ra,

ra, cum ex iis fœtor admodum ingratus atque inuſitatus ſentiretur, non qualis a ſanguine puro, e venis miſſo, aut ab ullis hæmorrhagiis aliarum quarumcunque partium, maxime a mulieribus terræ alicujus calidioris, Græciæ puta Aſiæve: ab iſto vero forti & intolerabili menſtruorum fœtore, nullus dubito, quin tot cautiones ortæ ſint, certe ab hominibus rerum naturæ ignaris, ne mulieres unquam religionibus interſint, & multæ aliæ id genus nugæ ad feminarum impuritatem declarandam, falſo tamen, & ex vulgi opinione inventæ ſunt. Juxta Georgii Philippi Nenteri *Phyſiolog. cap. 4. pag. 186.* opinionem eorum, qui ſanguinem menſtruum venenatæ eſſe naturæ credunt, falſam eſſe, exinde appareret, quod 1) ſanguis iſte, ut reliquus quoque ſanguis, a corde verſus partes moveatur, & ejusdem cum reliquo ſanguine ſit indolis; Cum ergo in reliquo hominis ſani ſanguine nihil venenati lateat, nemo etiam huic venenum ineſſe ſalva veritate affirmare poterit, 2) quod hic ſanguis alias nutritioni fœtus in utero deſtinatus ſit; neceſſario igitur laudabilis, nulloque veneno inquinatus eſſe debet. Hinc merito anilibus fabulis accenſeri merentur traditiones illæ, quod exhalationes menſtruatarum feminarum ſpeculorum nitorem deſtruant, vina, aceta ac cereviſias corrumpant, plantas enecent, & quæ ſunt alia. Guglielmus Cockburn *Oecon. anim. p. 186. ſeq.* inquit: Cum evacuatio hæc ſit tantum ſanguis per venas & arterias fluens, ob auctam molem ac impetum naturalem per arterias perrumpens, ſequitur, eum a cætero ſanguine non differre, licet non atque purus excerni poterit ſanguis propter impuritates, quovis modo in itinere collectas, ulcera aut ſimilia, quæ in vagina aut eandem inter & pudenda reperiri poſſunt; quare ſanguis in ſtatu naturali, de quo hic loquimur, effectus ab alio ſanguine multum diverſos ſortiri non poteſt. Emanuel Kœnig *Regn. animal. Sect. 1. Art. 15. pag. m. 56.* in menſtruatione præſupponit fermentationem, a qua odorem floris calendulæ ſpiret, indicio hunc ſanguinem nihilominus aliquatenus a ſano differre, licet alias in ſanis male maligni quidpiam continere di-

catur. Juxta Georg. Franc. *Satyr. med. 6. p. 88. seq.* est sanguis menstruus per se non malus, sed rectius sentiunt, qui non per se venenatum aut malignum statuunt, & si quam malitiam induat, fiat istud ex accidenti. Guernerus Rolfincius *Epitom. cogn. & cur. affect. Corp. Lib. 3. cap. 22. p. m. 320. seq.* inquit: Sanguinem menstruum esse virulentum & maligna qualitate præditum contendit Plinius, nos vero eum naturaliter, instar ejus, qui a recens mactata victima fluit, rubentem sola quantitate peccare, vitiosumque fieri solum ex mora diuturniore aliorumque pravorum humorum permistione statuimus. Et Johannes Baptista Donatius *Rei medic. Stipend. 5. de Morb. Virgin. p. m. 228.* scribit: Sanguinem menstruum purgamentum secundum perutile, veluti & semen, novum non est, venæ autem & arteriæ multo alimento refertæ supervacaneum ad uterum exturbant. Video quosdam falso opinari secundæ concoctionis illud excrementum esse, quod menses rubriores proveniant. Secundum Georg. Wolffg. Wedel. *Physiol. Sect. 3. cap. 29. p. 210.* fabulæ sunt hæ hypotheses, ipsa experientia explosæ; unde enim illa monstrosa venenositas? unde noxia qualitas? an ex ipso sanguine promanat, an in utero acquiritur? Noxæ sane, quæcunque e sanguine menstruo retento, vel grumato, hausto proveniunt, ab omni sanguine accidunt. Nullum inest venenum in se, nulla noxa, quæ non ab alio quoque expectari possit. Menses bono & laudabili sanguine constare, & menstruali illa evacuatione humores corpori sua qualitate noxios, uti volebant veteres, non excerni, sed verum & incorruptum sanguinem, qui sola quantitate molestus sit, dicit Abraham Cyprian. *Epist. de fœt. extra uter. p. 59.* Et secundum Joh. Christian. Frommann. *de Fascinat. Lib. 1. Part. 2. Sect. 1. cap. 8. p. 110.* sua natura sanguis menstruus pravus non est, sed bonus, & talis, ex quo mulier conservatur, fœtus vero in utero corpus formatur & augetur; superfluus saltem est. Ad quæstionem, an sanguis menstruus sit venenatus? ita respondet Theodorus Craan *Oeconom. animal. p. m. 282.* id uno ore testantur veteres, ex femina potius draconem, quam hominem

hominem facientes; menſtruum enim ſuo aſpectu maculas inducere ſpeculo audacter pronunciant. Has exhalationes ſubſtantiam tam compactam poſſe penetrare, eidemque vim reflectendi imagines poſſe adimere, nobis plane impoſſibile videtur. Multum clamant, ſanguinem illum affuſum radicibus arbores enecare, de qua re num experimenta habeant, vehementer dubitem, imprimis cum arbores mediante ſanguine hircino vitæ reſtituantur &c. Longe a veritate diſtat Plinius; cujuslibet enim mulieris ſanguinem menſtruum virulentum eſſe, falſiſſimum eſt, quippe in ſana muliere non differt ſanguis a ſanguine; ſecus eſt in morboſa muliere, e cujus menſtruali ſanguine non modo pericula, quæ a Plinio adducuntur, eveniunt, verum & alia, ſcribit Ant. le Grand *Curioſ. Nat. Perſcrut. pag. 21.* Prolixius etiam idem Craan *Diſſertat. de Homin. cap. 164. p. 720. ſeqq.* contra hanc menſtrui ſanguinis venenoſitatem agit. Juxta Cornel. Stalp. van der Wiel *Obſ. rar. Cent. poſt. Obſ. 19. Schol. p. 228.* Plinii opinio parum firmo nitens fundamento ſuperſtitione non caret. Mulierculæ enim eo in ſtatu a fictitiis parum differrent baſiliſcis, multumque incommodi tori conſortibus adferrent: certum vero eſt, ſanguinem menſtruum naturalem non eſſe venenatum, ſed peregrina infici fermentatione &c. Mihi vero totum fundamentum, cur veteres ſanguinem menſtruum pro noxio atque venenoſo habuerint, in eo conſiſtere videtur, quod illum ſucceſſive in uterum effluere, inque ejusdem cavitate per totum menſem incarceratum detineri, ſicque ex diuturna ſtagnatione vitium aut virulentiam quandam, aliis partibus communicabilem, contrahere crediderint, indeque varia ſymptomata, v. g. uteri tormina, lumborum dolorem, cephalalgiam, vertiginem, oculorum caliginem, faciei pallorem, corporis inflationem, triſtitiam, metum, inſomnia varia, depravatam imaginationem, febres erroneas, & alia poſt ſanguinis excretionem ceſſantia aut per tempus conquieſcentia mala, derivarint. Cui tamen ſententiæ a recentioribus, ſecundum hactenus dicta, contradicitur, qui talem ſanguinis menſtrui

ex arteriis effluxum certo tantum orgasmi cujusdam tempore, menstruationis nimirum, fieri, minime autem per totum mensem in uteri cavitate retineri atque in eodem corrumpi concedunt. Juxta El. Camerar. *Medicin. Conciliatr. cap. 4. pag. 119.* maxime dudum exspiravit figmentum de venenata sanguinis menstrui indole, quoniam iste sanguis massæ totius homogenea pars, sub tardiore demum motu, stagnatione in vasis uteri atque effluxu corrumpitur & cruoris facie comparet. Et juxta Joh. Freind *Emmenol. cap. 2. pag. 4.* in sanis sanguis menstruus non est impurus aut vitiosus, sed optimus & fragrantissimus. Quippe non glandulæ alicujus ope secernitur, sed ex capillaribus arteriis erumpit, ideoque naturam arterioſi, h. e. purissimi sanguinis retinet.

§. 9.

Ab impuris miasmata exhalare.

Quin tamen ex quarundam feminarum corporibus impuris, tempore præsertim menstruationis, ex tota humorum massa, impura quoque miasmata atque nocivæ particulæ exhalare, atque floribus aut fructibus vel etiam vino noxam inferre queant, nullus dubito, siquidem illud aliquoties in femina quadam ruffa, tempore menstruo circa vinum & acetum occupata, observare mihi licuit, frequentius tamen acetum, quam vinum, ab ejus præsentia & tractatione vitium atque corruptionem contrahebat. Ita Samuel Ledelius sanarum mulierum fluorem menstruum equidem inculpabilem, cachecticarum vero non penitus innoxium judicat, idque exemplo probat menstruatæ, quæ amygdalas dulces & mala Armeniaca in ipsius vinea decerpserat, atque utramque arborem arefactam reliquerat, *v. M. N. C. Dec. 2. An. 9. Obs. 37. p. 72.* quo loco dictus Autor hujus aridurae causam vinitoris experientia confirmatam allegat, simul tamen, quod unicuique arbori talis menstruata noxam affricare queat, dubitat; arbores, inquiens, robustioris quæ sunt constitutionis, facile evitabunt & superabunt talia miasmata; quæ autem tenerioris sunt sortis & succi subtilioris, veluti utraque supra notata est arbor, facilius ad interne-

Observatio.

terneciónem redigi queunt. An autem talis aridura vel corruptio arborum, florum, fructuum, cereviſiæ, vini & carnis, a menſtruatæ feminæ fluore uterino, an transſpiratione vel potius ab exſpiratione ſeu exhalatione ex pulmonibus dependeat, quæſtio adhuc eſſet. Præterea etiam ab aſſumpto ſanguine menſtruo congrumato vel liquido varia incommoda exoriri poſſe, libenter concedimus, id quod tamen non tantum a menſtruo, ſed ab omni quoque ſanguine accidere experientia teſtatur, cujusmodi exempla in Hæmatologia noſtra D. v. adducentur. De hac autem materia adhuc evolvi poſſunt Chriſtian. Vater *Phyſiolog. experim. Sect. 7. Art. 2. cap. 3. p. 644.* G. W. Wedel. *Phyſiolog. Sect. 3. cap. 29. p. 210.* Heidentr. Overkamp *Oeconom. anim. cap. 19. p. m. 391.* El. Henr. Henckel. *de Philtr. §. 18. ſeq. p. 30. ſeq.* Franc. Zipæi *Fundam. medic. Part. 1. Lib. 1. cap. 3. Art. 7. p. 87. ſeq.* Guern. Rolfinc. *Epitom. cognoſc. & curand. Morb. Lib. 3. cap. 22. p. 330.* Corn. Stalp. van der Wiel *Obſ. Cent. 2. Obſ. 19. Sch. p. 228. & Obſ. 42. Sch. p. 426.* Eberhard. Gockel. *Gallicin. med. Dec. 4. Obſ. 6. p. 711.*

§. 10.

Coitus cum menſtruata noxius.

Pari modo etiam coitus cum femina menſtruata, cujus tota ſanguinis maſſa a variis cauſis vitioſa, impura, venerea atque corroſiva eſt, varia poſt ſe trahit incommoda, v. g. præputii cancrum a concubitu cum uxore menſtruata annotavit Johannes Rhodius *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 39. p. 137.* Anno, inquiens, 1624. menſe Aprili ætatis mediæ ruſtico, in valetudinario Divi Franciſci, præputium cancro infectum fuit ex gonorrhœa, ante quinquennium contracta poſt concubitum cum uxore, dum ei menſes fluerent. De hac Rhodii obſervatione ſcribit Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. 2. An. 3. Obſ. 125. Schol. p. 259.* Quamvis ſanguis menſtruus natura ſua vividus & innocuus omnino exiſtat, facile tamen a vitioſis in corpore collectis humoribus, acribus & corroſivis, imbui poteſt. Sic faber ferrarius in Saxonia inferiori anno 1676. rem cum puella menſtruata ebrius habuerat, ex quo impuro & illicito concubitu altero die horrendo dextri teſticuli tumore correptus,

cum

cum sævisima inflammatione, ventris femorisque siniſtri insigni dolore, cui tandem accesit febris quintana syncopalis, & jam testis cœperat nigrescere &c. juxta observationem Christiani Franciſci Paullini *M. N. C. Dec. 2. An. 6. App. p. 38.* Temporibus menstruationum, aut certe purgationum post partum conceptum fuisse virum quendam illustrem ejusque sororem virginem, lepra Græcorum laborantes, refert Lubertus Erbenius vid. Casp. Theoph. Bierling. *Adverſ. Obſ. 52. p. 95.*

§. 11.

Signa ex menſtruo. Antequam ad menstrui sanguinis usum medicum accedamus, ratione signorum ab ipso petendorum monendum, quod, licet menses sint signum pubertatis, minime tamen exinde simul feminarum fœcunditas infallibiliter concludi potest, siquidem plurimæ dantur feminæ ordinario equidem pubertatis tempore menstruationem patientes, per totam nihilominus vitam steriles; econtra vero aliæ, ante apparentes menses matrimonio viris junctæ, satis fœcundæ deprehenduntur, ut adeo menses minime fœcunditatis indicium dici queant. Exemplum matris fœcundæ, quæ stante matrimonio nunquam menses fuerat experta, communicat Martinus Johannes Haesbaert *M. N. C. Dec. 2. An. 4. Obſ. 126. p. 249.* qualia etiam Lucas Schrœchius in Scholio ejusdem observationis annectit. Imo certæ cuidam feminæ, maritum jam octo annos habenti, menses nunquam, nisi cum prægnans esset, fluxerant, ideoque simulac fluere incipiebant, de ingravidatione sua non dubitabat, uti recenset Christophorus Rœslerus *M. N. C. Dec. 1. An. 3. Obſ. 348. p. 555.* Utrum vero ex mensium suppressione certum ingravidationis vel stupri signum desumi possit, alibi de graviditate videbimus. Non sine ratione statuunt nonnulli, quod cito menstruantes cito quoque moriantur, non aliter ac arbores nimis præcociter emittentes flores: Belgæ dicunt, de boom heeft sich doot geblœyt, nimis calida sanguinis intemperies nimiusque ejus motus eum paulo post effœtum reddit, hinc animal moritur, calor igitur citius maturat, juxta Theod. Craan *Tract. de Homin. cap. 164. vel rectius 144. p. 718.* §. 12.

§. 12.

Quoad usum sanguinis menstrui medicum, & quidem internum, quem Michael Ettmüllerus *Oper. Tom. 1. fol. m. 786.* ad quæstionem, an sanguis menstruus tuto interne propinari possit? affirmando approbat, monendum mihi videtur, quod licet, secundum hactenus dicta, sanguis hic a reliquo in vasis detento sanguine nihil differat, atque a femina maxime sana desumpta sit, & quamvis illi a quibusdam vis aliqua medicamentosa attribui soleat, tale tamen medicamentum, tanquam sordidum, obscœnum, nauseosum, suspectum, magicum & Christiano Medico indignum, modo non noxium, sit rejiciendum, nisi quis consulis Romani, Mamerci Scauri, appetitu fœdo atque nefando laboret, qui teste Seneca *de Benefic. Lib. 4. cap. 31.* ancillarum suarum (sive secundum versionem Gallicam Matthæi de Chalvet *fol. m. 46.* de ses chambrieres esclaves) menstruum ore hiante exceptabat. *Menstrui usus medicus an suadendus?*

§. 13.

Solet autem sanguis menstruus, præsertim qui prima vice e virginibus profluit, atque a nonnullis, quos, juxta Georg. Hier. Velsch. *Consil. med. Cent. 4. no. 37. Sch. p. 423.* remediorum suorum genuini nominis suppudet, nomine zenith appellatur, ita exhiberi, scilicet excipiatur sanguis menstruus linteo mundo, linteum probe tinctum exsiccetur, & sub usu cum aceto scillitico vel vino Rhenano extrahatur e linteo tinctura, quod tinctum acetum vel vinum ad varios usus inservire creditur. Siquidem juxta Mich. Ettmüller. *Oper. Tom. 1. fol. 780.* multa & mirabilia habet recondita, non semper revelanda, in specie primus sanguis virginis impollutæ, qui Autor etiam dictum menstruo impræginatum vinum vel acetum interne commode epilepticis propinari posse addit. Inquit etiam Johannes Daniel Mylius *Basilic. Chym. Lib. 7. cap. 1. p. m. 10.* Experientia deprehensum est, zenith juvencularum (punctum verticale) seu sanguinem menstruum, primo erumpentem, cum aceto squillitico ex laciniis eodem rubore infectis extractum & potui datum unice auxiliari comitialibus inveteratis, etiam hæredita- *Sanguinis menstrui usus.* *in epilepsia.*

ditariis, seu transplantatis; ut causa non sit nulla, quamobrem peritæ obstetrices natis infantibus ex vena umbilicali jamjam resecta guttas ad minimum tres, statim per os infundunt, securis postea & per omnem vitam suam ab insultibus epilepticis liberam judicatis. Zenith juvenculæ sive sanguis menstruus exsiccatus, secundum Joh. Schrœder. *Pharmacop. Lib. 7. p. m. 826.* commendatur intrinsecus ad epilepsiam; ex eodem fortasse fundamento, qua alias, sanguis hominis, decollati assumi quandoque suadetur. In Christiani Francisci Paullini *Lycographia Sect. 3. cap. 1. p. m. 132.* sequens vetulæ cujusdam extat pulvis epilepticus:

℞. Sanguin. virginis primum menstruatæ exsiccat. ʒß,
Ciner. Cucul.
Cord. Lupin. ãã ʒij.
Unic. fossil. ʒj.
Margarit. præp. gr. xjx.

M. f. Pulvis, det. cum ▽ Hirund. a scrupulis duobus ad drachmam unam in adultioribus pueris. De hoc sanguine scribit etiam Johannes Fridericus Helvetius *Diribit. med. p. m. 115.* a plerisque observatum est, usum ejus non semel fuisse medicamentosum in morbis comitialibus inveteratis; veruntamen, gavisuris tutiore ejus usu, opus est, ut hic sanguis obstetricante aceto squillatico extrahatur ex subucula adolescentulæ, ex cujus utero ille prima omnium vice stagnavit. Cujus autem virginalis rhevmatis non nisi aliquot guttas laboranti propinabis, calidumque non servabis. Item si radix pœoniæ cum castoreo & litura pannorum menstruosorum detur patienti, sanari morbum comitialem, ex Cornelio Agrippa refert Johannes Jacobus Weckerus *de Secret. Lib. 5. p. m. 111.*

§. 14.

In calculo. In calculo Medicos nonnullos sanguinem menstruum exsiccatum atque pulverisatum commendare scribit Daniel Beckerus *Microcosm. med. Lib. 1. cap. 7. p. 22.* vid. etiam Joh. Schrœder. *l. a.* & Michael Babsts Artzney-Kunst p. 195. hoc medicamentum efficaciss-

caciſſimum lithontripticum nominat. Bene tamen Beckerus ibidem addit; quia natura maxime luxuriat in antinephriticis medicamentis, quis ita abſurdus erit, qui abominandum hoc remedium interne uſurpabit?

§. 15.

In menſium ſuppreſſione ſequentia commendat Fridericus Hoffmannus *Clav. Schræd. p. m. 662.* Panis calidus, prout ex furno extractus & a menſtruata geſtatus, ſuppreſſioni menſium medetur, ſi hujus exſiccati drachma ſemis vel una in vino detur. Item, linteum mundum intinge cruori menſtruatæ ſororis virginis, & exſiccatum infunde in vino enulato, cola ac propina mane. Item, induatur induſium recenti menſtruo alterius (ſi conſanguinea fuerit, melius ſuccedet) adhuc conſpurcatum, quod teſte experientia in fluxu menſtruo ſuppreſſo proritando probatum eſt. Fermentum enim ſanguinis mumiale ſpecificum interius uteri fermentum per ſymbolicam harmoniam idealem ſuſcitat: Juxta Franc. Zypæi *Fundam. medic. Part. 2. cap. 3. Artic. 7. §. 12. p. 88.* eſt ſanguis menſtruus reliquo ſanguine fervidior & tenuior, ideoque intro ſumptus menſes movet. Et ſanguis menſtruus exſiccatus & in aqua ſalviæ ſumptus laudatur in Chriſt. Franc. Paullini Dreck-Apotheck *cap. 22. pag. m. 158.* Virgo quædam quatuordecim annorum, tempore menſium fluxus, in ſanitatem alicujus tria cochlearia lactis recentis, a cujus tamen eſu tam illa, quam illius mater, alias ſemper alienæ fuerant, edere coacta fuit. Quo facto ſtatim ſuppreſſi ſunt menſes, alias largiter fluentes, cum ſubſequenti morbido faciei colore aliisque ſymptomatibus pravis. Tandem vetula quædam ſuaſor exſtitit, ut ex manu puellæ prima vice fluxum menſtrualem habentis vinum rubrum abſorberet. Hoc peracto tertio die poſt menſes redierunt, referente Caſparo Theophilo Bierlingio *Adverſ. curioſ. Obſ. 39. Schol. p. 71.* Qui Autor etiam *l. a. Append. p. 184.* arcani cujusdam in ſuppreſſione menſium (quod idem fere eſt, quod paulo ante ex Fr. Hoffmanni clave adduximus) cum bono effectu uſurpati ex Henrici Schmidii

In menſium ſuppreſſione.

Medici Gustrovienſis literis meminit, ſequentibus verbis, P.P. Medicinam ad movendos menſes miſiſſem, at ne granum aut micam habet conjux mea ſuperſtitem. Ultimam doſin adhibuit nuperrime virgini octodecim annorum, felici ſucceſſu. Remedium hoc fundamentum in natura habet. Datur autem panis ex ſiligine confectus & bene fermentatus, linteoque incluſus primæ menſtruatæ, tempore fluxus continuo in veſtimentis gerendus. Hoc modo attrahit effluvium ſitque medicina. Datur parum hujus panis a drachma dimidia ad drachmam unam, jejuno ventriculo, ita ſiccus comedendus, vel forma pulveris in liquore convenienti, vino dulci, &c. Subito agit & dolores in abdomine excitat. Imo puella decem annorum, cum inſcia hujus panis fruſtulum ſumeret, ſignum fluxionis exhibuit; & gravidæ, citra tamen noxam fœtus, cum data fuit medicina, movere cœpit. Et ſecundum Stephan. Blancard. *Prax. med. cap. 10. Oper. Tom. 2. p. 171.* habentur feminæ, quæ, ut menſtrua retenta revocentur, aliarum feminarum ſanguinem aſſumunt: quod propter ſal volatile fieri debet, fermentum illi ſanguini proprium. Simon Pauli *Quadripart. Botan. Claſſ. 3. p. 485.* ita ſcribit: Secalinum panem (experimentum id eſt muliebre & periclitari effectum quilibet poterit) ſi menſtruatæ aut menſtruis laborantes virgines vel feminæ in ſaculo ſuppari interne aſſuto, ab illo puncto temporis, quo manare illis occipiunt, usque dum eis naturaliter iterum ceſſant, circumferant, volunt pulveratum ac in vino propinatum aliis reſerare menſes. Et Johannes Fridericus Helvetius *Diribitor. med. p. m. 115.* inquit: Filiæ adoleſcenti enixe deſideranti expurgari fluxu menſium, continuo fluxus fluit menſtruus, ſi duntaxat tres guttas menſtrui in cochleari pleno vini ei propinaveris. Quem ſanguinis menſtrui effectum confirmat Daniel Ludovici *M. N. C. Dec. 1. An. 9 & 10. Obſ. 35. p. 101.* ſane, inquiens, plus vice ſimplici inveteratiſſimas menſium obſtructiones intra paucas horas, vel eadem die ſolutas fuiſſe vidimus (ſit venia verbo) linteaminum illa menſtrua ad imperialis præter propter magnitudinem lotura, inſciis data;

data; neque potuimus non postmodum ridere amicum, qui forte superveniens cum amasia, similiter inscia, paratum ita juscu-lum se exedisse (re comperta demum, at sine ulla subsequa noxa) referebat. Sed hæc, pergit Ludovici, aliaque (merito ob abusus supprimenda) sordida sunt ac complurium (e recenti forsan, vel copiosiore sicco nimiumque cachecticarum cruore, an etiam superstitionibus infecto?) natarum observationum intuitu tantisper suspecta. Scribit etiam Cornelius Stalpart van der Wiel *Cent. 2. Obs. 19. Schol. p. 228. seq.* certum est, parum menstrui sanguinis mulieribus (*quamvis fœtidum sit & detestandum remedium*) contra mensium obstructionem sumptum, multum pollere, siquidem ille ex arteriis uteri immediate proveniat, nec non plus minus volatilis, fermentantisque salis contineat, unde fervidior & tenuior catameniorum fluxum promovere aptus est. Narravit mihi, pergit idem, nuper consanguineorum aliquis, famulam quandam hic Hagæ menstrui heræ sanguinis infusum ex vino bibisse, unde non ita post, quamvis non absque magna corporis perturbatione, felix prodierit effectus. *Ego tamen nulli qualecunque hoc obtulerim remedium, cum quod detestandum sit, tum quod periculo non careat, aliaque eundem producant effectum.* Nec dubium est, quin sanguis ille a muliere assumptus, quantum ad operationes, varie admodum differat, siquidem hæc sanior, illa natura frigidior sit. Meo insuper judicio major necessario adest motus, majorve fermentandi vis in iis, quæ virum quendam amant ardentius, earumque sanguis propinatus plura vehementioraque producet symptomata, quam alterius cujusdam mulieris, cujus sanguis non ita vehementi agitabatur fermentatione &c. In virgine, cui pro promovendis mensibus infusum laciniarum, primo sanguine menstruo tinctarum & exsiccatarum, propinatum fuerat, anxietates, instantem lipothymiam, calorem præternaturalem & symptomata alia, se observasse refert Georgius Wolffgangus Wedelius *Physiolog. Sect. 3. cap. 29. p. 211.* Juxta Joh. Bapt. van Helmont *Tr. Lunare Tributum fol. m. 448.* Menstruum al-

terius mulieris virulentum atque verum, paucis guttis exhibitum confestim strangulavit mulierem profluvio laborantem.

§. 16.

In mensium nimio fluxu. Nec minus contra nimium mensium & lochiorum fluxum sanguis per eundem locum rejectus usurpari solet, siquidem Helmontius *l. a.* cruorem, qui in profluviis copiosus excernitur, paucis guttis potum, profluvia sistere dicit. Et Samuel Ledelius *M. N. C. Dec. 2. An. 3. Obs. 99. p. 209.* meminit feminæ cujusdam nobilis, cui post partum difficilem sanguis copiosissime & cum vitæ periculo per uterum fluebat. Matronæ adstantes aliquid sanguinis profluentis exsiccabant, & insciæ sub forma pulveris cum juvamine exhibebant. De differente autem menstrui sanguinis operatione vid. Lucæ Schrœckii *Schol. in eandem Observationem, & Corn. Stalpart. l. a. p. 229. seq.*

§. 17.

In febribus. In febre tertiana studiosus quidam artis nostræ sorori suæ ter ante paroxysmum dabat sequentem pulverem:

℞. Sanguin. menstr. virgin. intact. lente exsiccat. ℈j.
Sal. Cichor. ℈ß.
Theriac. cœlest. Hanov. gr. ij.
M. D. in Aqua Absinth.

& febris perfecte sublata est, teste Christiano Francisco Paullini *de Theriacæ cœlest. Sect. 3. cap. 2. p. m. 317.* Scribit etiam Michael Ettmüllerus *Oper. Vol. 1. fol. m. 492.* sibi quendam amicum retulisse, quod per linteum sanguine menstruo tinctum aliquot tertianarios curatos viderit.

§. 18.

Ad fascinationem. Sanguinem menstruum mulierum præsertimque biliosarum & facile rixantium potum adeo bibentes effascinare & inficere, ut lunaticos & amentes efficiat, scribit Andreas Matthiolus *Comment. in Dioscorid. Lib. 6. cap. 25. fol. m. 996.* ubi pergit idem, detestabilis facinoris quandoque perpetrare maleficas veneficasque mulieres cacodæmonibus ductas, ipsum exhibendo propriis maritis

ritis vel iis, quos odio proſequuntur. Et Caſparus a Reies *Elyſ. Camp. Quæſt. 53. n. 2. p. 669.* ex Laguna in hunc Dioſcoridis locum narrat, ebrias ac vinolentas reddi mulieres, quarum ſanguini menſtruo vel guttula tantum vini miſceatur, unde colligit illius infectionem ipſi quoque nutrici pernicioſam eſſe, a corpore quamvis ſeparatus & expulſus ſit ſanguis.

§. 19.

Porro ad veneficia & philtra ſanguinem menſtruum adhiberi, teſtantur Autores. Inquit enim Michael Ettmüllerus *l. a.* ſunt puellæ ac mulieres, quæ beneficio ſui menſtrui philtra ſua parant. Imprimis autem ex illo ſanguine, qui a virgine impolluta prima vice excernitur, atque, uti jam diximus, a Paracelſo & aliis zenith appellatur, philtra impudicæ feminæ parare ſolent, a quibus tamen varia, quandoque & peſſima, oriri ſolent ſymptomata; hinc ſcribit Johannes Daniel Mylius *Baſilic. Chym. Lib 7. cap. 1. p. 10.* uſus menſtrui ſanguinis internus pene nullus, niſi quod a perditiſſimis ſcortis, inſano amore exæſtuantibus, auſu plane temerario, ſuis, a quibus ſe mutuo obſervari volunt, amatoribus propinatus, totius corporis devaſtationem vitæque diſpendium ſæpe attuliſſe viſum ſit. Exempla philtrorum ex menſtruo ſanguine quod attinet, meminit Petrus Borellus *Obſ. Cent. 1. Obſ. 65. p. m. 67.* Theologi cujusdam, qui a philtro menſtruorum muliebrium cum leporis ſanguine in condimento ſumpto in maniam tantam incidit, ut patrem proprium occiderit. Centurio quidam, ætate jam ad ſenium vergente, uxore mortua, domeſticas curas gubernatrici cuidam commiſerat. Hæc autem divitiarum haud dubie cupida omnem movit lapidem, ut eum face mutua torreret, tandem ad illicitas artes ſe convertit. Contigit ergo aliquando, ut ille menſe Martio multo mane peregre profecturus gubernatricem juberet vini nonnihil cum vitellis ovorum, ſaccharo & aromatis præparare: in hunc autem potum portionem quandam proprii ſanguinis menſtrui infudit, quod ita colorabatur, ut ipſe herus coloris rubicundioris cauſam rogaret. Sed illa aſtute reſpondit, addita

Ad philtra.

fuiſſe

fuisse anatum ova, quorum vitelli, præsertim isto anni tempore, tanquam adhuc immaturi, sint rubicundiores, qua ratione ipse tum quidem contentus erat. Verum ille circa vesperam reversus magno corripiebatur angore, cujus causam nesciens sanguinem naribus, ore, auribusque emittebat: qui fluxus (non tamen semper eadem vehementia) per tres septimanas continuas quotidie durabat. Ille autem non tantum de capitis dolore conquerebatur, sed & de vertigine & appetitu prostrato &c. vid. Corn. Stalp. van der Wiel *Obs. rar. Cent. 2. Obs. 19. p. 220. seq.* Novit etiam Theodorus Craan quendam, qui potu sanguinis menstrui incidit in delirium & insaniam, quique semper loquebatur de illa virgine, cujus assumpserat sanguinem menstruum. Quod exinde factum esse putat Craanius, quia ille cum ipsa antea admodum familiarem degerat vitam, & postea ipsius mens delirans semper de eadem cogitavit, v. Theod. Craan *Dissert. de Homm. cap. 64. p. 721.* Cur autem a sanguine menstruo, a feminis ad mensium suppressionem assumto, non tam noxia symptomata, quam ab eodem maribus loco philtri propinato excitari soleant, disquirit Stephanus Blancardus *Prax. med. cap. 10. Oper. Tom. 2. pag. 171.* habentur, inquiens, feminæ, quæ ut menstrua retenta revocentur, aliarum feminarum sanguinem assumunt: quod propter sal volatile fieri debet, fermentum illi sanguini proprium. Inveniuntur ancillæ, quæ domus œconomiæ præsunt, sanguinem menstruum cibis aut potui domini sui, necdum matrimonii juncti, admiscentes, ut eum amore alliciant. Sed ob fermentum sanguini & succis heri non respondens in delirium incidunt, sanguis ab omni parte erumpit &c. Sed cur hoc feminis, eundem sanguinem assumentibus, non accidit? quia simile non agit in simile, nam fermenta & influxus subtilis materiæ conveniunt, quod in viris ita non est. An etiam menstruus sanguis inter sic dicta philtra sit referendus, inquirere se nolle, cum horum notitia medicis non admodum competat, inquit Henricus Snelle *Theor. mechan. Delineat. Part. 2. p. 102.*

§. 20. Præ-

§. 20.

Præter recenſita autem in paragrapho præcedente ſympto- *Philtrorum ſymptoma-ta.*
matum exempla, alia adhuc & quidem interdum lethalia occur-
runt; fertur enim Lucila T. Lucretii Cari uxor ſuſpicione furti-
vi amoris marito ſanguinem propinaſſe menſtruum, unde ad tan-
tam redigebatur inſaniam, ut violentas ſibi intulerit manus; de
quo Politianus:

Hic qui philtra bibit, nimioque inſanus amore,
Mox ferro occubuit, ſic mentem amiſerat omnem.

Femina quædam in Helvetia accuſata, quod juvenibus quibus-
dam pro philtro exhibuiſſet ſanguinem menſtruum, quorum
unus tantum exinde mortuus, reliqui evaſerunt. Defendit hanc
feminam Achilles Gaſſerus liberavitque, quod probarit, non
eſſe venenum ſanguinem menſtruum, & quod voluntas inter-
ficiendi defuerit, vid. Georg. Hieronym. Velſch. *Conſil. medicin. Cent. 4. n. 37. p. 423.* Sequentem obſervationem refert Vitus Ried-
linus, filius *Obſ. 52. p. 120.* Capta fuerat amore inſano ancilla quæ-
dam in fabrum ferrarium; cum autem eodem potiri nullo modo
poſſet, tandem occaſione oblata cum halece ſanguinem men-
ſtruum, philtri ut loco eſſet, eidem exhibuit; quam cum avide
devoraſſet, ſtatim minus bene valere incepit, cumque & tumor
abdominis & convulſiones accederent, ſuſpicione non quidem
philtri, ſed veneni oblati ductus dictam ancillam ad ſenatum de-
ducit, quæ in judicium adducta, cum ſe ſanguinem menſtruum
haleci immiſcuiſſe confiteretur, in carcerem conjecta fuit. In-
terrogatus deinde ego ab illius loci paſtore, num dicta ſympto-
mata ex dicta cauſa oriri potuerint? adductis ibidem narratis &
aliis rationibus, ſanguinem quidem menſtruum tam pernicio-
ſum, quam a nonnullis creditur, virus non eſſe, ſymptomata
tamen talia excitare potuiſſe, reſpondi; qua de cauſa accuſata,
cum etiam qua reliquam vitam non ita bene audivit, alio aman-
data fuit; de juvene vero, cum & ipſe ſponte paulo poſt, non-

dum adhuc reſtitutus, urbem reliquerit, nil quicquam reſcire amplius potui. Eandem hiſtoriam, paulo tamen differentibus circumſtantiis, annotavit etiam Eberhardus Gockelius *Conſil. & Obſ. Decad. Conſ. 60. p. 549.* Paucis, inquiens, abhinc annis caponis cujusdam ſalax ac petulans ancilla, a venereis inſultibus ſtimulata, erga fabri cujusdam ferrarii ſervum inſano amore ardebat; quia vero ſervus mutuo amore illam amplecti recuſaret, idcirco mediis illegitimis, vi mumiali operantibus, hunc ſibi devincire conabatur, quam ob cauſam aliquid ſanguinis ſui menſtrui haleci indidit, illumque huic homini deſiderato comedendum exhibuit. Hic intoxicationis neſcius, halecem comedit, ex quo aliqualiter male habuit. Cum autem nihilominus nullam erga hanc libidinoſam protervamque puellam propenſionem conteſtaretur, nec ullis illecebris in ſui voluntatem flecti aut perſuaderi potuiſſet, illa tandem ex impatientia commota ſepoſito omni pudore, quod ipſi de ſuo ſanguine menſtruo aliquid cum halece propinaſſet, ipſi in opprobrium confeſſa eſt. Quo audito, per magnam exinde conceptam alterationem omnia ſusque deque in toto corpore agitabantur, ac ab illo ſtatim tempore graviter ægrotare cœpit, neque ob malum, jam per aliquot hebdomadas firmiter in corpore radicatum, ullis medicamentis ſublevari aut curari potuit, & ſic accedente tabida atrophia totius corporis, atque quamplurimis convulſionibus invaleſcentibus, miſer hic patiens vitam cum morte mutavit. Dictus Autor ibidem quoque meminit alicujus male feriatæ mulieris, a viro deſertæ, venereisque cupiditatibus ſtimulatæ, quæ ſervum parentis amore vano mediante philtro mumiali irretire deſiderabat. Hæc dum nonnulli domeſtici tempore verno phlebotomia utebantur, proprium cum ſervi ſanguine commiſcuit, exſiccavit, ſicque cum vino huic ſervo propinavit; quo hauſto ille amore illicito captus hanc adulteram pro voto amplexus eſt, cumque hocce ſceleratum facinus amplius palliari nequiviſſet, ambo, ne pœnam magiſtratus inciderent, aut amor hic nefandus reſcinderetur, fuga ſibi conſuluerunt. A ſanguine

guine menſtruo ſcorti lue venerea infecti in vino rubro clanculum exhibito mentis alienationem ac totius œconomiæ humanæ corruptionem inferri poſſe, ſtatuit Emanuel Kœnig *Regn. animal. Sect. 3. Art. 8. pag. m. 344.*

§. 21.

Pro interno uſu etiam menſtruum ſanguinem contra equorum contracturas commendat Johannes Baptiſta van Helmont *Tract. Lunare Tribut. fol. m. 448.* Porcos, inquiens, ſanat in lepram vergentes: prout & confeſtim equos, ex potu intempeſtivo contractos, ſi tantillum menſtrui potitent. Hinc contra tales contracturas ex potu intempeſtivo (wider das Verſchlagen der Pferde) nonnulli hippiatri ita curationem inſtituunt: ſcilicet aquæ, quam in ſitula equis potandam porrigunt, tantillum lintei, ſanguine primo menſtruo, ſeu zenith virguncularum, maculati, ſive ſicci ſive madidi adhuc, injiciunt, quod ſæpius ab aurigis cum ſucceſſu factum memini. Admonitionis tamen gratia annectere libet, quod mihi anno 1700. obſervare licuit. Scilicet femina quædam honeſta tempore menſtruationis ad ſororem ſuam propriis equis rus vehendam ſe curabat, quorum alter ex potu intempeſtivo per ſervi negligentiam dictam contracturam incidebat; quare ſervus ſeu rhedarius ſumme anxius hoc remedii genus, ſanguinem ſcilicet menſtruum, apud omnes nymphas ruſticanas, fruſtra tamen, perquirit. Hoc cum hera ipſa, tunc temporis, uti dictum, menſtruata reſciſceret, ut aliquid lintei, ſanguine ſeu menſtruo proprio recenti adhuc maculati, pro equi curatione porrigat, a ſervo perſuadetur. Quo facto equus ægrotans poſt potum tali ſanguine imprægnatum indies melius ſe habere, ipſa vero femina ab eo momento pejus ſe gerere incipiebat, atque non ſolum in atrophiam cum appetitu proſtrato, nauſea, vomitu, plenaria menſium obſtructione, doloribus lancinantibus in hypochondrio ſiniſtro, imprimis infra umbilicum & circa regionem uteri incurrebat, ſed tandem etiam, poſtquam biduo

Ad equorum contracturas.

Obſervatio.

ante obitum fratri suo de hac morbi sui causa animi sensa revelarat, post semestrem decubitum obibat.

§. 22.

Ad immunitatem. Ad immunitatem zenith virgunculorum externe sæpe adhiberi, satis notum, pro eodem autem scopo quoque interne usurpari, ex supervenientibus sequentis observationis symptomatibus judicare licet. Inquit scilicet Vitus Riedlinus *Linear. med. an. 1698. Mens. Maj. Obs. 13. p. 384. seq.* venit hisce diebus ad me rustica quædam puella urinam suam apportans, & ad interrogata mea in principio nec verbo quidem respondens, donec tandem ad quæstionem, cur ergo me accessisset? se omnium membrorum jam diu inconsuetam pati lassitudinem & subinde difficillus respirare, conqueri cœpit, jamque, loqui quasi docta, ætatis vigesimum annum se nondum compleviſſe, & menses quidem semel ante annum, & quod excurrit, rite fluxisse, at ex illo tempore obstructos esse; unde mala hinc derivanda nullus dubitans, ulterius inquisivi in causam tam cito desinientis fluxus, & illa narravit, ad se illo ipso tempore venisse militis cujusdam uxorem & impense rogasse, quin & exhibito pretio ursisse, ut sanguinem hunc traderet, seque illius votis hac de causa tandem annuisse, quia sanctissime affirmarit, nil prorsus inde damni metuendum esse, seque in alium finem non adhibituram, quam ut viro dictam illam impenetrabilitatem conciliet; at vix elapso mense pondus se magnum circa præcordia sensisse, & ab illo tempore dicta mala succesisse, seque nunquam ad votum valere, quin & subinde urinam excernere non posse, dolore ejusdem excretionem haud exiguo comitante, nec guttam vero sanguinis interea ex utero prodiisse. Discant ergo puellæ prudentius tractare sanguinem menstruum, cum & ad alios usus illicitos illum subinde expeti constet, eique præsertim, qui prima vice excernitur, nonnulli magnas adscribant vires, qua in re parentes, & quorum interest, ut easdem decenti modo informent, hisce monitos vult Riedlinus.

§. 23. His

§. 23.

His de ſanguinis menſtrui uſu interno, quem non facile ſuadebimus, ſed cum Luca Schrœckio *M. N. C. Dec. 2. An. 3. Obſ. 99. Schol. p. 208.* delicias has mulierculis diſpenſandas merito relinquimus, nunc etiam ejusdem uſum externum, quem non tantopere abhorremus, ſumus annexuri. Sicuti autem hactenus de philtris ſeu medio amorem conciliandi egimus, ita hoc loco ſanguinem menſtruum pro remedio contra amorem adducemus. Nimirum Hypalia heroina præter corporis inſignem pulchritudinem tantis animi & ingenii dotibus ornabatur, ut eruditione ac doctrina præclara ſui ſeculi ingenia ſuperaret, publiceque docendo magnam famam conſequeretur. Ea cum a quodam diſcipulo perdite adamaretur, ejusque cruciatus agnoſceret, nolletque (ne in deſperationem juvenis incideret) acrius reluctari & poſtulata acerbius repellere; excogitavit lene congruumque remedium, quo illum a ſuo faſcino liberaret: ſiquidem cum eum cognoſceret alias prudentem & rationi facile morem gerentem, hoc artificio uſa eſt, ut *linteamina multa congeſta, menſtruis & ſanie ſordidata, illi exhiberet*: nec non ſublata veſte pudenda tota ſanguine madentia oculis ejus ſubjiceret, quo turpitudinem ac fœditatem rei, tantopere amatæ, averſaretur, ſuique ipſius puderet. Adjecerat ſimul hæc verba: Iſtud quidem adamas, adoleſcens, nihil autem pulchrum. Hinc factum, ut præ pudore indecoræ demonſtrationis ille erubuerit, flammasque remiſerit ac modeſtior deinceps factus fuerit. vid. Joſeph. Quercet. *Diætetic. polyhiſtor. cap. 5. p. m. 53. ſeq.* vid. etiam Philipp. Camerar. *Hor. ſucceſſiv. Cent. 2. cap. 38. p. 163.*

Uſus externus.

Contra amorem.

§. 24.

Pro uſu medico externo adhiberi ſolet menſtruus ſanguis in hæmorrhagiis & immodico menſium fluxu, de quo, per internum hujus ſanguinis uſum, cohibendo jam ſupra egimus. Pari modo etiam per ejusdem uſum externum, & quandoque per transplantationem eundem ſcopum nonnulli intendunt, dum

Ad hæmorrhagias & nimium menſium fluxum.

pannum eodem sanguine imbutum certo lunæ tempore cerasi radici in cortice apertæ indunt, incisuramque iterum operiunt vel occludunt. v. Joann. Schrœder. *Pharmacop. Lib. 5. p. m. 826.* Quod beneficio mumialis transplantationis in distans fieri dicit Fridericus Hoffmannus *Clav. Schrœd. p. 662.* Vel si linteum sanguine menstruo nimis fluente irrigatum in ignem injicitur, sanguinem sisti scribit Michael Ettmüllerus *Oper. Vol. 1. fol. m. 71 & 408.* Et *fol. 116.* inquit, linteum sanguine ex utero effluente tinctum sanguinem sistere. Ex Dominici Panaroli, Professoris Romani, fasciculo arcanorum allegat Robertus Boyle *de Utilit. Philosoph. experiment. Exercit. 5. cap. 2. §. 3. p. 289. seq.* retiam sanguine imbutam sub cineribus calidis positam menses sistere experimento pluries comprobato. vid. ipsius Dominici Panaroli *Fascicul. 1. Arcanor. in ejusd. Observ. medic. p. 210.* Imo certissimum contra hæmorrhagiam sibi esse testatus est D. Mœglin Professor Tubingensis sanguinem menstruum primum virginis incorruptæ in linteaminibus exsiccatum, & orificio, unde sanguis profluit, inditum, vid. Joh. Rudolph. Camerar. *Memorabil. medicin. Cent. 18. §. 65. p. m. 1487.* De contumaci hæmorrhagia mediante sanguine menstruo sedata hanc observationem annotavit Martinus Johannes Haesbaert *M. N. C. Dec. 2. An. 10. Obs. 74. p. 131.* Chirurgi cujusdam uxor habebat in solito loco nullum arteriæ ramum, ita ut ejus contactu nil præsagire licuerit; nam cum esset occupata ad patellam terream eluendam, rumpitur patella & feriit arteriam, quod declarabat hæmorrhagia contumax. Maritus post varia remedia ad sistendum sanguinem incassum applicata suam perquirit officinam, inveni remedium, inquiens. Dictum factum, facitque periculum, applicat parti fluxum sanguinis patienti sanguinem menstruum exsiccatum cum levamine &c.

§. 25.

Ad mensium suppressionem. Non autem tantummodo in nimio mensium fluxu; sed etiam contra eorum suppressionem externus menstrui sanguinis usus commendatur a Friderico Hoffmanno *Clav. Schrœd. p. 662.*

ubi

ubi ſcribit: Induatur induſium recenti menſtruo alterius (ſi conſanguinea fuerit, melius ſuccedet) adhuc conſpurcatum, quod teſte experientia in fluxu menſtruo ſuppreſſo proritando probatum eſt. Fermentum enim ſanguinis mumiale ſpecificum interius uteri fermentum per ſymbolicam harmoniam idealem ſuſcitat. vid. etiam ejusdem Hoffmanni *Method. medend. Lib. 1. cap. 19. pag. 361.* Quod Jacobus Wolff *Scrutin. Amulet. p. 249.* non omni ratione carere arbitratur, cum fermentatio vel motus ſanguinis ſegnis alias hoc modo concitari poſſit. Idque ipſi fere perſuadet obſervatio quæpiam de miniſtro ſcriniarii opificis, qui ſe in magnam narium hæmorrhagiam incidiſſe arbitrabatur aliquando, quod incubuiſſet lecto & ſtragulis menſtruo ſanguine conſpurcatis.

§. 26.

Linteum cruore menſtruo tinctum & exſiccatum, hinc denuo humectatum & eryſipelati applicatum, omnique parti doloroſæ in continenti evaneſcere facit tumorem & dolorem, juxta Mich. Ettmüller. *Oper. Vol. 1. f. 786. & fol. 492.* idem ſcribit: Sanguis menſtruus multa gerit occulta: certum namque eſt, quod linteum tinctum ſanguine menſtruo virginis, applicatum loco eryſipelaceo, eidem magno ſit commodo, quod confirmat Johannes Daniel Mylius *Baſilic. Chym. Lib. 7. cap. 1. p. 10.* hoc ſcimus, inquiens, menſium uſum externum ad extinguenda eryſipelata extremarum partium ſæpius multis profuiſſe: raro aut nunquam invaſionibus aliquid paſſis. Applicatio eſt talis: Recipe laciniam cruore menſtruo ſanioris femellæ infectam, macera in aceto roſaceo, donec idem acetum diſcoloretur, & fluor omnis extractus ſit: Hoc aceto imbue leviter ſyndonem rubrum aliquoties membro affecto circumplicabilem, & relinque tantiſper circa locum affectum, donec ſponte ſyndon exſiccatus fuerit, quem denuo priori liquore imbutum applica, omnem paulo poſt ruborem & dolorem evanuiſſe conſtabit. Imo ſpecificum eſſe menſtruum virginis in aceto deſtillato roſaceo diſſolutum, & in petiis rubris calide *Aderyſipelas.*

calide applicatum, præsertim si sudores moveantur, inquit Johannes Hartmannus *Pract. Chymiatr. fol. m. 29. & f. 90.* Juxta Georg. Thomson. *Chymiatr. Ac. magnet. cap. 15. p. 151.* sanguis naribus exstillans sistit excessivas hæmorrhagias, menstruum virginis extinguit erysipelas. v. etiam Mich. Babsts Artzney-Buch *p. 198. seq.*

§. 27.

In podagra. In podagra & arthritide dolores sopire dicitur sanguis menstruus cum adipe bovino ad ignem mixtus, & partibus dolentibus inunctus vel impositus, vid. Joh. Schroed. *Pharm. pag. 826.* Dan. Becker. *Microc. medic. Lib. 1. cap. 7. pag. 23.* it. *Thesaur. Secretor. curios. Part. 13. cap. 1. p. 331.* Pro leniendis cruciatibus arthriticis externe linteum a primo sanguine menstruo madidum & siccatum, hincque denuo humectatum, in specie podagrici pedibus aut aliis partibus arthritide laborantibus applicatum, mirum quantum prodesse scribit Michael Ettmüllerus *l. a. f. 92. & 786.* Menstruum mulierum impositum chiragricis podagricisque doloribus atque tumoribus ita medetur, ut fatiscant & evanescant. Inter specifica & evporista antiarthritica Lævinus Fischerus *Corpor. medicin. imperial. Lib. 3. Sect. 4. Tit. 1. pag. 686.* ponit sanguinem menstruum illitum. Puellæ virginis primis menstruis inquinatum panniculum illinito: ac ubi sic aliquando feceris, podagra non laborabis.

§. 28.

In scabie volatica. In certa quadam scabiei specie, quam ob subitam ejus per universam cutem distributionem volaticam, & Galli feu volage, appellant, siquidem sæpe per unicam noctem malum hoc serpere visum est per universum corpus, ita ut volando quasi illud occuparet, nonnulli sanguine post partum effluente, vel menstruo partem affectam illinunt, idque certissimum ejus remedium credunt. Imo scabiem hanc volaticam eo modo, quo scabies vel sanguinis efflorescentia alioquin curatur, neutiquam curari posse, & sæpe ad internecionem usque invalescere, respuendo omnes medicinas, tam internas, quam externas, nisi locus affectus dicto

sanguine

ſanguine abluatur. Raro ſemel atque iterum id repetendum eſſe & protinus ſcabiem volaticam, quaſi mortuam, cadere, ſcribit Carolus Muſitanus *Trutin. ſ. Chirurg. theoret pract. Tom. 1. cap. 21. p. 123.*

§. 29.

In aliis quoque cutis affectibus idem ſanguis quibusdam medicis familiaris eſt. In maculis enim volaticis infantum, ſecundum Joh. Michael. *Prax. Clin. Gener. Part. 2. cap. 17. p. 330.* optimum eſt ſanguis menſtruus aliquoties ſtatim applicatus. Si quis bis vel ter ſanguine parturientis mulieris vel tenuiter inunxerit infantium faciem herpete immedicabili laborantem, infallibili ille fluxus ipſis erit remedio, juxta verba Joh. Frid. Helvet. *Diribit. med. cap. 16. p. 115. ſeq.* In morphæa ſeu puſtulis faciei præſtans eſt menſtruum virginis, vel alias juvenculæ boni habitus, in aqua calida ſolutum; quo ſi per dies aliquot ſub veſperam eundo cubitum facies lavetur tota, & ſponte exſiccetur, puſtulæ cadunt ſuccreſcente nova cuticula & rubor perit, referente Johanne Hartmanno *Pract. Chymiatr. fol. m 31.* Ad guttam roſaceam convenire creditur liquor ex menſtruo virginis vel ex induſio aut linteo, ſudore morientis imprægnato, per retortam deſtillatus, ſi gutta nonnunquam eodem abluatur. vid. Joh. Dolæi *Encyclopæd. Chir. Lib. 1. cap. 20. p. m. 483.*

Ad maculas.

Ad morphæam.

Ad guttam roſaceam.

§. 30.

Contra nævos maternos obſtetrices & mulierculæ noſtrates ſtatim a partu ſanguinem menſtruum, vel lochia ſeu cruorem adhuc calidum, poſt partum effluentem, ejusmodi maculis illinunt & affricant. Id quod etiam quotidiana experientia confirmatur. Inquit enim Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. poſter. 36. Schol. p. 384.* mulierculæ ad nævos tollendos ſecundinarum utplurimum utuntur ſanguine, quo etiamnum calido eosdem oblinunt ſanguine, deinceps menſtruo uſuræ. Et juxta Joh. Michael. *Oper. l. a.* in nævis maternis haud quidem multa ſunt tentanda: optimum tamen eſt ſanguis menſtruus, vel ſecundina, ſi bis vel quater fricetur nævus, ſtatim a partu adhuc calentibus.

Ad nævos.

Non autem absque ratione requiritur sanguis adhuc calidus, ut per calorem & spiritus in cruore adhuc superstites humor vel sanguis ille in cute stagnans seu hærens rarefiat, & eo citius discutiatur. Nec dubium est, quin loco sanguinis humani aliorum etiam animalium calente adhuc sanguine pro hoc scopo uti queant mulierculæ, consentiente Luca Schrœckio *in Additament. ad Observ. 35. Joh. Helwig. p. m. 129.* Exemplum autem nævi materni menstruo sanguine deleti, ut adducamus, refert Josephus Lanzonus: circa nævos maternos expertum se vidisse in puella trium annorum, cui appositione menstrui sanguinis nævi aliqui evanuere. Sic enim fuit edocta mater a quadam vetula rustica. *vid. M. N. C. Dec. 3. An. 5 & 6. Obs. 118. p. 245. seq.*

§. 31.

Ad strumas. Strumis seu tumoribus parotidum si idem rhevma menstruosum linteo applicatur, venenum inde omne extrahitur juxta Joh. Frid. Helvet. *l. a.* Strumas, parotidas, panos, sacros ignes furunculosque & epiphoras illini earum mulierum tractatu, leniri compertum est, secundum verba Ludovici Banacioli *de Fœt. format. cap. 2. p. 280.* Ad callositatem palpebrarum & alia oculorum vitia lochiorum illitum commendat le Clerc *in Tract. la medecine aisée p. 124. 127.*

Ad oculorum vitia.

§. 32.

In peste. In peste, apostematibus, carbunculis menstrua virginis sanæ prima linteolo excepta & exsiccata nonnulli in acetum vel aquam rosarum immergunt, locoque affecto imponunt, sæpiusque id ipsum repetunt. vid. Dan. Beckher. *Microcosm. med. Lib. 1. cap. 7. p. 23.* Christoph. Helwig. *Lexic. Pharmac. p. 147.*

§. 33.

In gangræna. In gangræna & sphacelo linteolum sanguine menstruo imbutum, & denuo in aqua omnium florum, mense Majo, uti notum, ex stercore vaccino destillata, madefactum & parti affectæ calide applicatum, ab Agricola cum euphoria adhibitum fuisse, refert Chr. Helwigius *l. a.* Et juxta Joh. Frid. Helvet. *l. a.* si menstruosus

struosus sanguis erysipelati & sphacelo superimponitur, venenum extrahitur.

§. 34.

Verrucas item & clavos pedum nonnulli sanguine menstruo illinunt, & quidem non sine fructu, vid. Arnold. Weickard *Thesaur. pharmac. seu Tract. pract. Lib. 4. fol. m. 613.* Christ. Helwig. *l. a.* Ad verrucas tollendas dictum sanguinem commendat etiam Baldass. Tim. a Güldenklee *Lib. 6. Cas. 25. p. 287.* *Ad verrucas.*

§. 35.

Medicatur etiam dictus sanguis omnes venenatos morsus canum rabiosorum & venenosorum animantium, si panni menstruati aceto rosaceo imbuuntur, locisque læsis applicantur, secundum Joh. Frid. Helvet. *l. a.* *Ad morsus canum rabidorum.*

§. 36.

Contra fissuras papillarum in mammis præservationis gratia gravidis illinatur liquor ille mucilaginoso-sanguineus, qui incipientibus ad partum doloribus, tam in primiparis, quam aliis parturientibus, ex utero primo prodire solet. Hoc si gravidarum papillæ mature illinantur, ab omnibus fissuris tempore lactationis immunes fore mulieres, affirmabat quondam obstetrix quædam non ignobilis. *Ad papillas.*

§. 37.

Ad vermes, erucas & scarabæos ex agris propellendos pariter sanguinem menstruum facere, superstitiose satis nonnulli credunt, si scilicet menstruo laborans mulier agros vel ejusmodi loca aliquoties ambiat, vid. Ludov. Bonaciol. *l. a. pag. 181.* Sim. Majol. *Dier. Canicular. Part. 2. cap. 3. fol. m. 466.* Jacob Wolff *Scrutin. Amulet. cap. 2. Sect. 1. p. 143.* & Plinii *Natur. Histor. Lib. 28. cap. 7. fol. 499.* Hoc tamen forte a veterum fabulosa opinione venenoque imaginario sanguinis menstrui dependere, recte judicat Johannes Daniel Geierus *de Cantharid. Sect. 3. cap. 2. p. 56.* *Contra vermes.*

§. 38.

Quibusdam etiam menstruum pro amuleto inservit. Inquit *Contra febres.*

quit etiam Bonaciolus *l. a. p. 180. seq.* tertianas quartanasque febres, menstruo in nigri arietis lana argenteo brachiali incluso, aut vestis omnino ita infectæ portiuncula acu vel licio brachiali inserta, discuti: Demum tertianis & quartanis ægri plantas sublini, multoque efficacius, ab ipsa muliere etiam ignoranti, efficacissimum esse. Quartanas coitu incipientibus duntaxat mensibus finiri, nonnulli spopondere. Febrem tertianam beneficio hujus menstrualis lintei, collo tantum appensi, curatam esse, scribit Michael Ettmüllerus *l. a.* zenith virginum in linteo exceptum & brachio adalligatum a quartana liberare gestantes dicitur, vid. Jacob Wolff. *l. a. p. 159.*

§. 39.

Ad immunitatem. Ad immunitatem, vel impenetrabilitatem seu corporis duritiem, ut a gladiorum & sclopetorum ictibus immunes sint, plurimi tam heroes, quam primæ parmæ milites, sæpius summa cum superstitione a venere seu puella zenith seu primum cruorem menstruum vel precario vel largitionibus quærunt, de cujus usu interno paulo ante egimus. Sæpius etiam pro hoc scopo instar amuleti menstruum adhibere solent, uti confirmat Michael Ettmüllerus *l. a.* hoc ipso, inquiens, sanguine primitus erumpente impenetrabilitatem ab armis sibi quidam volunt conciliare; sane novi, qui linteo hujusmodi sanguine primitus erumpente imbuto, amuleti instar appensi, usi sunt. Secundum Martinum Bernhardum a Bernitz alii usneam cranii humani cum zenith virguncularum & radice victoriali simul sacculo virgineo inclusam sub axilla sinistra vesti insutam, portatamque contra omnia arma & tela valere & defendere, hominemque inviolabilem reddere, superstitiose credunt. *v. M. N. C. Dec. 1. An. 2. Obs. 53. p. 105.*

§. 40.

Contra incendia. In delendo quoque incendio adhibetur zenith virguncularum, sed exinde mulierem, cujus est sanguis, non parum cruciari, sunt qui asserunt, secundum Ettmüll. *l. a.* Zenith juvenculæ in ignem projectum sistere ignem dicitur, sed cum dispendio virginis,

nis, a qua fluxit, quia mori debet, juxta Andr. Tenzel. *medicin. diaſtat. Tr. 1. cap. 1 p. 24. ſeq.* Et Henricus Kornmannus *de Virginit. cap. 51. p. m. 137.* quærit, quæ cauſa ſit, quod virginis, primo menſtruum fluxum habentis, camiſia in ignem projecta, eum ſiſtat? ubi ſcribit: Virgines primum menſtruum in puro linteo obſervant, multis enim prodeſſe ferunt. Sed illud de camiſia ſuperſtitioſe creditur, & a quibusdam cum experimento obſervatum memini, aſt cum damno puellæ maximo; illa etenim ſucceſſu temporis exaruit, mortique holocauſto oblata eſt &c. Incendia cohiberi, ignisque flammam ne concipiant res variæ, etiamſi faſciculus ſtramineus, ſi huic immiſſum ſit zenith primum juvenculæ, vel ſolum, vel cum radicibus cichorei flores albos ferentibus, & quæ certo tempore ac debito modo collectæ ſunt, docet Martinus Schmuck, qui hoc Cingarorum arcanum eſſe pronuntiat: Et ſanguinem menſtruum virginis integræ commendari pro incendiis ab ædificiis arcendis, ſi ſcilicet fruſtum induſii maculatum illo, cum gallina nigra, capite & ſtomacho prius privata, ovoque gallinæ die viridium excluſo; ſi, inquam, hæc cera obvoluta, inque olla abſcondita infra limitem domus defodiantur vel ponantur, ex Johanne Colero refert Jacobus Wolff *l. a. p. 221.* vid. etiam Eman. Kœnig *Select. Remed. p. 36. in Regn. Vegetab.*

§. 41.

Nonnulli contra faſcinationem ſeu incantationem dictum ſanguinem adhibent, hincque dæmoniacis magorum artibus & inſidiis aditum præcludere tentant, ſi ſcilicet domus alicujus poſtes eo inungantur; quod tamen potius a Dei ſimia, diabolo ſcilicet, ex veteri fœdere tractum videtur. vid. Simon. Majol. *Dier. canicul. Part. 2. Colloq. 3. fol. 466.* item Jacob Wolff *l. a. cap. 2. Sect. 1. pag. m. 143.* *Contra faſcinationem.*

§. 42.

De menſtrui uſu ad bitumina emollienda ſcribit Plinius *Naturæ. Hiſtor. Lib. 7. cap. 15. fol. m. 110.* Bituminum ſequax alioquin ac lenta natura, in lacu Judææ (qui vocatur Aſphaltites) certo tem- *Ad bitumen.*

pore anni supernatans, nequit sibi avelli, ad omnem contactum adhærens, præterquam filo, quod menstrui virus infecerit. Sic Janus Cornarius *in Dioscorid. de Mater. med. Lib. 1. cap. 80. f. m. 49.* inquit: Bitumen Judaicum est terra gleba, quæ a calore liquescit & difflatur ac diffunditur, & rursus a frigida aqua vehementer compingitur, ut sectione & incisione opus habeat. Postquam autem ita compactum, ob aquæ lacus, qui a Strabone Sirbonis, ab aliis Asphaltitis λίμνη appellatur, crassitiem innatat, operarii ad hanc occasionem præsentes glebas illas bituminis, quæ, ut Josephus dicit, & figura & magnitudine, tauris capite detruncatis similes sunt, in scaphas attrahunt, resecant ac auferunt, quæ tamen a reliquo cumulo avelli non possunt, donec menstruo mulierum sanguine & urina dissolverint, quibus solis cedit. Quod confirmat etiam Flavius Josephus *de Bello Judaic. Lib. 5. cap. 5. p. m. 730. seq.* Multis in locis, inquiens, lacus Asphaltitis vomit nigras & bituminis glebas, quæ super undam & habitu & magnitudine tauris sine capitibus assimiles natant. Ad eas autem cum lacus exercitores accesserint, nacti quod aggestum est, ad naves trahunt: & quia lentum est, repletas eas abrumpere nequeunt, sed quasi religata scapha, pendet a cumulo, donec menstruo mulieris atque urina solvatur. Item Julius Solinus *Collectan. Rer. memor. sive Polyhistor. cap. 4. p. m. 15. seq.* scribit: Bitumen, quod in Judæa Asphaltites gignit lacus, adeo lentum est mollitie glutinosa, ut a se nequeat separari. Enimvero si abrumpere partem velis, universitas sequetur, scindique non potest, quoniam, in quantum ducatur, extenditur. Sed ubi admota fuerint cruore menstruo polluta fila, sponte discerpitur, & applicita tabe diducitur paulo ante corpus unum, fitque de tenacitate connexa contagione partitio repentina.

§. 43.

Ad evellendum radicem Babaras.

Nascitur in Judæa radix Babaras a loco appellata, quæ colore flammam imitatur circa vesperam veluti jubar fulgurans, accedentem & evellere cupientem tamdiu refugit, nec prius fugere desinit,

deſinit, quam urina muliebri aut menſtruo ſanguine conſperſa fuerit, referente Valentino Andrea Mœllenbroccio *Cochlear. curioſ. Prooem. p. 4.* Hujus radicis evellendæ modum ita deſcribit modo allegatus Flavius Joſephus *l. a. Lib. 7. cap. 25. p. 805.* Radix Baaras, a loco ita dicta, flammæ quidem ſimilis eſt colore, circa veſperam vero veluti jubare fulgurans, accedentibus eamque evellere cupientibus facilis non eſt: ſed tam diu refugit, nec prius manet, quam ſi quis urinam muliebrem vel menſtruum ſanguinem ſuper eam fuderit. Quin etiam tunc, ſi quis eam tetigerit, mors certa eſt, niſi forte illam ipſam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quoque modo ſine periculo, qui talis eſt: Totam eam circumfodiunt, ita ut minimum ex radice terra ſit conditum; deinde ab ea religant canem; illoque ſequi eum, a quo religatus eſt cupiente, radix quidem facile evellitur: canis vero continuo moritur: tanquam ejus vice, a quo herba tollenda erat, traditus, nullus enim poſtea accipientibus metus eſt &c.

§. 44.

Ad capiendos lepores.

Ridiculum eſt, quod de modo congregandi & capiendi lepores ex manuſcripto refert Daniel Beckherus *Microc. med. Lib. 1. cap. 7. p. 24.* Pannum primo menſtruo maculatum trunco affige in medium campum, interim tamen regionem illam viciniorem aliquantulum panno prius tangito & circumducito, tuncque congregabuntur lepores, ita ut vel manibus comprehendi, vel & bombardæ ictu ſiſti poſſint.

§. 45.

Ad pentaculata.

Porro etiam menſtruus feminarum ſanguis aliis quoque medicamentis compoſitis admiſceri ſolet. Ingreditur enim amuletum ſeu pentaculum ab Oswaldo Crollio *Baſil. Chym. pag. m. 320.* deſcriptum:

℞. Bufonum in aere & ſolis ardore exſiccatorum ac pulveriſatorum ſub aperto cœlo, naribus obturatis vel averſis, piſtillo artificioſe penſili ℥ij.

(Nota,

(Nota, nisi bene & cito exsiccentur, fœtent ac difficulter teruntur. Octodecim bufones dant circiter duas uncias pulveris.)

Zenith juvencularum quantum haberi potest.
Arsenic. crystallin. alb.
rubri, seu Auripigment. āā ʒß.
Rad. Diptam.
Tormentill. āā ʒiij.
Margarit. non perforatar. ʒj.
Corallior.
Fragmentor. Hyacinth. orient.
Smaragd. or. āā ʒß.
Croc. oriental. ʒij.

Propter odorem aliquot grana musci seu ambræ addi possunt. Pulverisentur omnia subtilissime & misceantur, postea tragacanthum resolvatur in aqua rosarum instar mucilaginis, cum quo pulveres impastentur & formentur (sole & luna in scorpione existentibus, aut ad minimum luna) pentacula rotunda, & certis pistillis (ibidem *pag. 319.* depictis) sub eadem influentia cælatis, signentur: aut si mavis parentur scuta formam cordis habentia, postea exsiccata, sindone obducantur rubro & cordis regioni appendantur per intermedium indusium, funiculo serico. Non solum præservat a peste, sed impedit, quo minus corpus a venenis seu morbis astralibus inficiatur: attrahit venenum ab intra, & extra illud consumit. Huc etiam pertinet unguentum armarium, ad cujus præparationem alii sanguinem humanum, alii menstruum adhibent.

§. 46.

Ad mures. Indusium menstruatæ mulieris cum frumento occlusum infra paucos dies in mures abire scribit Johannes Baptista van Helmont, *Tr. scholarum humoristarum passiva deceptio. §. 65. Oper. Part. 2. fol. m. 118.* Et juxta verba Philippi Jacobi Sachs a Lewenheimb *Gammarolog. Lib. 1. cap. 13. §. 13. pag. 277.* ex indusio menstruatæ sordido,

dido, intra os vaſis, in quo triticum compreſſum intra 21. dies fermentum induſio hauſtum, & odore granorum mutatum triticum ſua pelle incruſtatum, in mures transmutat ſexuum ſignaturis diſtinctis. Item ex ſanguine menſtruo baſiliſcum generari poſſe ſcribit Theophraſtus Paracelſus *de Generat. Rerum natural. Lib. 1. f. m. 883.* Sed ſi Paracelſus eadem, qua pronunciavit, facilitate id probaſſet, fidem dicta mererent, inquit Johannes Chriſtianus Frommannus *de Faſcinat. Lib. 1. Part. 2. Sect. 1. cap. 8. p. 110.* Et juxta Chriſtian. Frideric. Garmann. *Culag. curioſ. Diſſ. 2. §. 221. p. 235.* quæ de baſiliſco e menſtruo progenito memorat Paracelſus, ſubleſtæ fidei a curioſis decernentur. *Ex ſanguine menſtruo baſiliſcus.*

§. 47.

Ad curioſa potius, quam medica pertinet, quod de uxoris Lothi ſtatua ſalina refertur, menſtruum ſcilicet fluxum in illa obſervari, uti ex Tertulliani verſibus patet, ſcilicet. *De ſtatua uxoris Lothi.*

In fragilem mutata ſalem ſtetit ipſa ſepulchrum,
Ipſaque imago ſibi formam ſine corpore ſervans.
Durat adhuc, etenim dura ſtatione ſub æthra,
Nec pluviis dilapſa ſitu, nec diruta ventis;
Quin etiam ſi quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.
Dicitur & vivens alio jam corpore ſexus
Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.

Allegat etiam ex Irenæo Chriſtianus Fridericus Garmannus, *de Miracul. Mort. Lib. 3. Tit. 3. §. 175. p. 1178.* ſtatuam dictam per naturalia ea, quæ ſunt conſuetudinis hominis, oſtendere. De adducto tamen carmine Thomas Bartholinus *de Morb. biblic. n. 3. p. 6. ſeq.* mentem ſuam ita explicat: illud quidem in carmine ſe aſſequi, vulnera illa ſtatuæ ſalinæ ſuppleri poſſe allabente aqua, quam in ſui ſtatim naturam convertit ſalina hæc minera, quomodo ſalinæ fodinæ creſcunt: Sed alterum de menſibus in ſtatua fluentibus more mulierum, non capere, niſi ſalis quædam ſit colliquatio ab externo aere humido. Et allegatus Garmannus *d. l.* ita pergit:

quis e pumice aquam expectet? quis e corpore petræ aut sale facto sanguinem? Novi ægrotantem, mirabilibus doloribus afflictum, risum cohibere non potuisse, cum anus, ut partes dolentes oleo laterino ungeret, suaderet; quid hic non faceret etiam bipedum simplicissimus? Quod bitumen in aqua partes muliebres alluens aliquando tingat atro seu obscuro sanguinis colore, ut mendacem fluorem menstruum sistat statua, non penitus negarem. Uxorem Lothi non in statuam salis, sed rectius lapideam fuisse mutatam, inquit Johannes Daniel Major *Diss. de Cancr. & Serpent. petræfact. §. 26. p. 22.* Et Franciscus Bosellus *Amalth. medic. histor. Appar. 2. cap. 3. p. m. 101.* ait: Lapis effecta est Loth uxor, ut quæ affectu & mente lapidosos durosque homines respiciebat. Hanc mulierem (inquit Clemens Alexandrinus) accepimus factam esse lapidem, propterea quod amaret Sodomam. Sodomitæ autem impii duro erant corde, ut duritiem lapidum haberent, sic quæ eos respiciens amabat, conversa est in lapidem. Sed Philippus Jacobus Sachsius *de Mirand. Lapid. natur. p. 66 seq.* ait, uxorem Lothi, non tam in lapidem, quam, ut plerique interpretes volunt, in statuam salis esse versam. De hac mirandum, eam ad multa secula durasse, cum & Burchardus, qui vixit abhinc trecentis annis, testetur, statuam hanc sua adhuc ætate, inter Engeddi & mare mortuum extitisse. Omnium tamen pæne fidem excedit, quod hæc statua, quæ est cippus, viventis more quasi menstrua quædam effundat, uti asserit Tertullianus in carmine de Sodoma.

§. 48.

Cur Eva & omnes mulieres menses patiantur?

Ad curiosas etiam quæstiones pertinere videtur, quod Johannes Baptista Helmontius, de primæ matris Evæ atque Mariæ, salvatoris nostri matris, menstruatione proponit, *Tract. Lunare tributum fol. 448.* & primo quidem, cur Eva, & post eam omnes mulieres menstruum fluxum patiantur? Deinde an Maria Christi mater etiam menstrua passa fuerit? ad quas ita respondet: si lubeat causam menstrui inquirere, certum est, Evam post esum vetiti pomi prurigini libidinis se obnoxiam feciisse, virum in congressus

greſſus excitaſſe & admiſiſſe : hincque conceptam naturam humanam corruptam atque degenerem deinceps perſeverantem. Cujus corruptionis ergo poſteri incomparabili puritate orbi ſunt. Unde conjecturæ locus: quod Eva per membrum, quo multis ærumnis ſubnoxia evaſit, teſtetur apud poſteros lapſus ſui ſucceſſivam culpam & cruentam deturpationem in natura. Etenim pars, qua imago Dei ex ſancto ſpiritu concipi debebat, cloaca ſordium evaſit, teſtaturque abuſum & culpam peccati indelebilis: ideoque & tolerat. Quia in dolore paries filios brutorum inſtar, quia deinceps brutorum more concipies. Sic namque iſta maledictio introivit in naturam & permanebit. Atque eadem lege etiam menſtrui neceſſitas. Ante peccatum enim clauſo utero egreſſus fœtus dolorem non cauſaſſet. Quocirca ex præmiſſis argumentari licet, incomparabilem Dei genitricem virginem, arcam fœderis, corruptionem nullam in ſe unquam admiſiſſe, & per conſequens nunquam menſtruo obnoxiam, ut neque muliebres incommoditates paſſam. Quippe quæ merito lunam lunæque proprietates, divino nutu, pedibus ſubſtratam habet. Verum enim vero, juxta Joh. Bohnii *Circul. Anat. phyſiol. Progymn. 16. p. 241.* magis piam, quam Philoſophicam dicere liceret hanc meditationem, quatenus primo dubium manet, an ſola revera mulier impuritatem hanc experiatur, cum de ſimiis majoribus idem affirment plures, ipſeque Helmontius *l. a.* concedere videatur, quas tamen de peccato originali participare nemo aſſeret. Deinde nova hinc emergit quæſtio, an, ſi in ſtatu innocentiæ perſeveraſſet homo, lunare hoc tributum non exſolviſſet, i. e. annon ante lapſum quoque fluxum hunc paſſus fuiſſet? in qua quidem determinanda curioſitate mea omniſcientiam creatoris interpellare nolo, vix tamen comparet, cur non a peccati labe immunis excretionem hanc ſibi ſolennem habuerit: cum quæ ſanguinis habitudo ad conceptionem ac geſtationem fœtus poſt lapſum, eadem ante illum quoque neceſſaria extiterit, & ſicut non partus, ſed modus partus, pœna peccati eſt, ſic fluxum hunc a moleſtiis cunctis vin-

An B. Maria menſes paſſa fuerit?

dicare potuisset Clementissimum numen. Per consequens vera fluxus menstrui causa non est peccatum, nec maledictio divina. Nec magis commoda super hæc est Theoria Francisci Mercurii Helmontii, junioris, qui in præfatione ad lectorem, operibus patris præfixa, feminas ideo menstrua pati, progenerationi inservientia, quondam hominem, quoad corpus tantum, non quoad spiritum & animam progignere debent; quippe haud evidens est connexio, quod eo ipso, dum femina corpori fœtus litat, menstruis exponi debeat.

SECTIO III.

DE VIRGINITATE.

CAPUT I.

De Virginitatis Denominatione.

§. 1.

Virginitatis derivatio.

DEscendit virginitatis nomen a virgo, virgo autem secundum Christian. Becman. *de Origin. latin. Lingv. p. 1162.* a viro ita derivatur, ut a viro sit vira, & rursum a vira virago: &, amplius, elisо elemento, virgo. Alii virginem deducunt a viridiore ætate, quæ nondum est conjux; vel a vigore ætatis, quia circa hos annos est nubilis; vel juxta Antonium Florentinensem dicitur virgo, quasi virum agens, h. e. repellens, ut non permittat se cognosci carnaliter ab eo. Ille enim est modus naturalis, quo amittitur virginitas. vid. Casp. Theoph. Bierling. *Thesaur. theor. pract. Obs. 37. Sch. p. 515.* vel, ut idem pergit a virore, quæ non est experta adustionem, h. e. actum venereum delectationis, sicut arbor dicitur viridis, quæ a calore non deficcatur in foliis. Aliis quasi virago dicitur, vel quod ea ætate incipiat medios posse vorare viros, vel quod habeat fundum, nec possit impleri. Secundum Bersmannum:

Non

Non herbis hoc fit rigidus quas educat hortus,
Carne opus est, illas si saturare velis.

Plura vid. Henr. Kornmann. *de Virginit. Jure, cap. 1. p. 24.*

§. 2.

Virginitatis autem titulo tantummodo superbiunt puellæ seu feminæ ad commemoratos Emmenol. v.g. pubertatis annos atque reliqua signa progressæ, quæ, licet tunc temporis ad salacitatem & cohabitationem carnalem nimium stimulentur, pietatis tamen atque virtutis amore ab ejusmodi deliciis abstinent, nulloque sive illicito sive licito modo virum cognoscunt, sed intactæ atque incorruptæ permanent: Antequam enim potentia generandi in ipsum actum ducatur, præsupponitur, juxta Mich. Albert. *Juruspr. med. Part. 1. cap. 3. §. 1. p. 59.* illud celebre castitatis & virginitatis diadema. Vel quamdiu, secundum Michael. Ettmüller. *Oper. Tom. 2. fol. m. 1040.* femellæ atque puberes appetitui venereo satisfactionem denegant, tamdiu naturaliter virgines dicuntur, vel mulieres seu feminæ nondum virum passæ; sin vero ad explendam famem istam a viro se satiari permittant, mutato nomine defloratæ appellantur. Congressus ergo legitimus distinguit virgines a non-virginibus, non vero conceptio. Juxta Henric. Kornmann. *Sibyll. Trigandr. seu de Virginit. cap. 2. pag. 25.* est virgo, quæ virum non cognovit; & virginitas est status intactus seu incorruptus. Et ex judicio Martini Chemnitii, virginitatem tribuunt illis personis, quæ nunquam expertæ sunt nuptias, nec illegitimis commixtionibus inquinatæ. vid. Georg. Dedekenn. *Consil. & Decis. Vol. 3. Sect. 2. fol. m. 15.* Michaeli Alberti *l. a. §. 2. p. 60.* dicitur virginitas, quando femina nondum passa est carnalem maris cohabitationem, aut libidinosam genitalium commixtionem cum altero sexu; antiquiores eo virginitatis integritatem extenderunt, quando claustra virginalia neque manibus, neque ullis aliis instrumentis dilatata sunt. Sic Paulo Zacchiæ *Quæst. med. legal. Lib. 7. Tit. 3. Qu. 1. n. 35. fol. m. 630.* virgo, quæ seminis effusione carnalique veneris voluptate est polluta, virginitatem in

Virginitatis definitio.

ipsa seminis effusione amisit, quia saltem materialiter, virginitas consistit in immunitate a delectatione venereorum per seminis resolutionem.

§. 3.

Virginitatis distinctio. Dupliciter ab Autoribus distinguitur feminarum virginitas, in corporalem scilicet ac mentalem, sive in materialem & spiritualem. Materialis iterum duplex est, una quæ simplicem pollutionem respicit, alia, quæ integritatem vasorum. vid. Paul. Zacch. *l. a. Lib. 4. Tit. 2. Quæst. 1. n. 1. fol. 375.* Duplicem virginitatem sistit etiam Hermannus Fridericus Teichmeyerus *Institut. medic. legal. cap. 4. p. 20. sq.* moralem alteram, alteram physicam seu materialem. Moralis ipsi dicitur, ubi puella nondum cum viro rem habuit, nec ipsis digitis, nec alio quoque petulanti instrumento, nec casu aut saltu claustra virginalia destruxit: tamen quamdiu amoris compressione immunis fuit, virgo dici meretur. Corporalis, physica seu materialis autem virginitas illa dicitur, quæ per signa materialia ex constitutione & integritate naturali organorum desumenda dignoscitur. Juxta Henric. Kornmann. *l. a.* dupliciter sumitur virginitas; primo modo improprie, pro integritate carnis, & sic quilibet nascitur virgo, & istud non est virtus. Secundo modo virginitas sumitur pro habitu, quo voluntas determinatur ad respuendum prompte & faciliter omnem delectationem veneream, etiam licitam, ut mens liberius spiritualibus vacet, quia ut dicitur *1 Corinth. 7. vers. 34.* virgo seu innupta curat ea, quæ Domini sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu; & hæc est virtus & definitur ab Augustino *Libr. de Nupt.* Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio, *i.* e. quod virgo debet gerere in proposito, ut in hoc perseveret, perpetuo; & ex hoc patet, quod integritas carnis non est de essentia virginitatis, sed est quidam decor ejus accidentalis, extrinsecus existens, qui perdi potest sine diminutione virtutis virginitatis. De virginitate spirituali inquit Nicolaus Venette *de la Generat. Part. 2. cap. 1. Art. 1. p. 82.* les Theologiens disent, que la virginité est une vertu

de

de l'ame, qui n'a rien de commun avec le corps. Qu'on a beau baiſer amoureuſement une fille, elle ne perd pas pour cela ſa virginité, à moins qu'elle n'y conſente. Les medecins au contraire penſent, que la virginité eſt un lieu & un aſſemblage naturel des parties d'une fille, qui n'a pas eſté corrumpuë par l'approche d'une homme.

§. 4.

Virginitatis honor.

Quamvis autem talis ſpiritualis vel animæ virginitas ſua laude & æſtimatione defraudanda non ſit, nos tamen hoc loco tantummodo de illa virginitate, quæ ſtatui matrimoniali contradiſtinguitur, pariterque ſua laude non caret, acturi ſumus. Et licet certi hæretici fuerint inventi, qui ſtatum matrimonialem virginitati præferentes illum arbori fœcundæ fructibusque onuſtæ, hanc vero arbori infœcundæ ficuique aridæ, in ignem ut rejiciatur dignæ, compararint, illæſam tamen virginitatem grato inque horto quiete florenti flori ſequentibus verſibus comparat Catullus:

Ut flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis
Ignotus pecori nullo contuſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber;
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ:
Idem cum tenui captus defloruit ungue,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ.
Sic virgo, dum intacta manet, tum chara ſuis, ſed
Cum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec chara puellis.

Quos ultimos verſiculos Medicus Batavus I. V. E. *in Tract. Venus Minſiecke Guſtavis* ita explicat: Een dochter word in waerden gehouden by alle hare vrienden, ſoo lang ſy de bloem hares maegdoms bewaert, maer ſy heeft ſoo haeſt haer de ſelve niet laten benemen, of de Kinderen ſelfs willen haer niet langer anſien, en de dochters laten haer niet meer in haer geſelſchap komen.

Vel

Vel juxta interpretationem Johannis Palfyn *dans la Descript. anatomiqu. des Parties de la femme p. 43.* La virginité est comme la fleur, qui est neé, dans un jardin clos, qui n'a jamais ressentiles atteintes de la dent d'aucun animal, qui n'a point été fouleé par les pieds du laboureur, ni froissé par le soc de sa charrue, qui est agiteé doucement par les zephirs, que le soleil fortifie par sa chaleur, & que la rosee & les pluyes font croitre, fait les desirs des jeunes hommes, & les souhaits de jeunes filles; qui la mépriſent au contraire & la rejettent lorsqu'aprés avoir été cüeillie, elle commence à se faner; de méme, tant qu'une jeune fille demeure vierge, elle est cherie & aimeé de tous les siens; mais du moment qu'elle a perdu la fleur de sa virginité, elle n'est plus ni cet agreable objet des amours des jeunes hommes, ni les delices de se compagnes. Autoris autem Batavi modo allegata verba verbotenus in linguam Gallicam versa reperiuntur in Nicolai Venette Tractatu *de la Generation de l'Homme Part. 2. cap. 1. Art. 1. p. m. 81.* quæ sic sonant: Catulle dit, qu'une fille est cherie de tous ses amis, quand elle garde la fleur de sa virginité, mais elle ne l'a pas plutost laissé prendre, qu'il ne se trouvent pas mesme des enfans, qui la regardent, ny des filles, qui la reçoivent dans leur societé.

§. 5.

Plagium. De his duobus antoribus monendum mihi venit, quod hac occasione deprehenderim, non modo allegatum locum, sed integros allegati Batavi & Nicolai Venette tractatus fere verbotenus unum idemque opus esse, ita quidem, ut etiam sphalmata typographica, v. g. Amantus Lusitanus pro Amatus Lusitanus, in utroque autore, & quidem in illo, Amantus een Portugys, & in hoc, Venette, Amantus Portugais, reperiantur; unde sane liquet, vel Batavum Nicolai Venette Tractatum, vel hunc illius laborem in suam linguam traduxisse; quanquam Venette uni vel alteri paragrapho aliquid addiderit, vel aliorum autorum observationes sibi attribuerit, e. g. *Part. 3. cap. 4. Art. 2. p. 282.* inquit, se Patavii cum

cum Sinibaldo in virgine viginti annorum, ob graviditatem in puteum se præcipitante, circa ovula aliquid observasse, quam tamen observationem Autor Belgicus eodem loco *p. 336. seq.* Friderico Ruyschio Amstelodamensi adscribit. Titulus autem Gallicus meæ editionis est: de la Generation de l'Homme, ou Tableau de l'Amour conjugal, divisé en qvatre Parties par Mr. Niclas Venette. Cologne 1696. Alter vero titulus sic sonat: Venus Minsieke Gasthuis, waer in beschreven worden de bedryven der Liefde in den Staet des Houwelyks, met de natuurlyke eygenschappen der Mannen en Vrouwen, hare siekten, oirsaken en genesingen, door J. V. E. Medicinæ Doctor t'Amsterdam 1687. Uter proinde verus Autor sit, me latet. Cum vero in editione Belgica circa finem alius adhuc subsecuturæ partis mentio fiat, inquirendum esset, an promissa pars in ista lingua sub nomine J. V. E. an vero in Gallica lingua sub nomine Nicolai Venette prodierit. Verba autem de promissa parte secunda sic sonant: Na-richt-Resteert nu in het volgende Deel, de Gesigt-Kunde der Verliefde; de overeenkominge der Liniamenten, of trekken, gedaeuten, Vlekjens, Wratjens, Kringetjens, Heuveltjens, Groesiens, Kruysjens, Besiens, Stipjens, drie of vier Hoekjens in het Angesigt, en Oogen, van de gene die malkanderen minen, om darer uyt te konnen voorseggen de verborgene Sympathetische of medeliidende werkingen; hare harmonia, of vereeninge tot haer doelwit; mislukkinge, verrunkinge der Herssenen, en andere toevallen: daer benevens de Genesinge van die Minnesiektens. Een vorder Antwerp der krachtige inbeldingen der bevruchte Vrouwen; van veelderlei verbeeltselen aen de geboorne kinderen. Eindeliik een ontledinge van het proces des Parlaments van Grenoble, over het baren van de Gravinne V. E. (naer het lange afwesen hares Mans den Grave V. P.) van eenen Soone genaemt Emanuel. Interim libentissime concedo, quod, licet tractatus Belgicus anno 1687. Gallicus autem 1696. atque ita novem post illum annos prodierit, nihilominus possibile sit, aliam Venetti edi-

tionem, non ita auctam, uti hæc mea editio septima, ante Batavi Gasthuis, lucem vidisse, atque ab innominato translatam fuisse, ut adeo Venette pro vero Autore habendus sit; quapropter etiam posthac non Batavi, sed Venetti verba allegare libet.

CAPUT II.

De Notis Virginitatis ex Miraculis.

§. 1.

Virginitatis probæ. CUm proinde virginitas tam gratus flos æstimetur, atque feminarum pudicitia & incorrupta castitas juxta Casp. a Reies *Quæst. 39. p. 472.* omni major dote veniat æstimanda, quid mirum, quod antiqui circa ejusdem certitudinem adeo fuerint solliciti, ut varia illæsæ virginitatis, & castitatis matrimonialis signa & probationes excogitarint; imo hodierno quoque die de ipsius infallibili signo quandoque & quidem variis de causis Medicorum judicia expetantur.

§. 2.

Per miracula. Olim ob fallacia virginitatis signa Romani in probatione virginitatis ad miracula decurrebant, hinc Johannes Jacobus Boissardus, in Topographia Romæ, refert de delubro pudicitiæ matronalis, hodie Mariæ Ægyptiacæ, in quo erat statua marmorea, apertis labris, bucca veritatis dicta, quia contracto ore manus impositas amputaret illarum, quæ se virgines mentirentur. Huic imagini marmoreæ Volaterrani Regis filia manum in os imposuisse dicitur, ad virginitatem suam probandam, cum vetula quædam Fesulana impudicitiæ eam argueret. Sed cum paulo post altera puella ejusdem criminis accusata idem probationis testimonium subire vellet, contracto ore imago ipsi manum amputavit. vid. Joh. Riolan. *Anthropogr. Lib. 2. cap. 35. fol. m. 192.* Hujus statuæ meminit etiam Nicolaus Venette *l. a. Part. 2. cap. 1. Art. 1. p. m. 81.* his verbis: *Les Romains autre fois firent* bâtir a la virginité un temple & élever une statue, qu'ils appelloient Bucca veritatis. Cette statue decidoit de la virginité or de l'infamie des filles. Te-

Per statuam.

moin

moin la fille du Roy de Volaterre, qui après luy avoir mis les doigt dans la bouche n'en fut point mordue & ainsi se justifia de l'injure, qu'une vieille femme avoit faite a sa pudicité. Il n'en arriva pas de mesme, a ce qu'on dit, a l'egard d'une autre, qui estant accusée de mesme crime, eut le doigt emporté par la bouche de la statue. vid. etiam Henric. Kornmann. *de Virginit. Jur. cap. 19. p. 68.* Quod tamen non immerito fabulæ instar videtur Balthasari Lydio in Joh. Beveroo, *Quæstion. epistol. p. m. 54. seq.* quanquam, inquiens, statuis non faveam, optem tamen illam, si hæc vera sint, ei urbi, quæ

facta est jam tota Lupanar,

integram esse, ut ipsæ Deo (si credere fas est) dicatæ virgines hoc examen subirent. Sed credo hæc picta & ficta esse, ut multæ haud liquido auspicio se probarent virgines, quæ virginum sunt matres.

§. 3.

Per acum S. Wilfridi.

Meminit etiam Thomas Lansius *Consultat. Orat. pro Britannia p. m. 527.* templi Ripponensis, quod S. Wilfridi acus avorum ætate fecit celeberrimum. Ista erat angustum in crypto porticu foramen, quo mulierum pudicitia explorabatur: siquidem id castæ transibant facile; sed quæ famæ dubiæ, nescio quo miraculo constrictæ detinebantur.

§. 4.

Per fistulam.

Juxta allegatum Johannis Riolani locum apud Ephesios in antro quodam, ubi Pan versabatur, fistulæ sonus index erat virginitatis: nam puella, de cujus pudicitia ambigebatur, eo demittebatur: si ei virginitas manserat illibata, dulcis quidam pæneque divinus sonus exaudiebatur, nec multo post illius antri valvæ sponte recludebantur, & quod mirabile erat, ipsa virgo adspiciebatur foliis pinus capite coronato. Præstigiæ dæmonis aut sacrificulorum. Alii scribunt, fistulam in hoc antro pendentem ingredientem virginem dulcissimo cantu, defloratam contra miserrimo ejulatu, vel potius alto etiam silentio excepisse. v. etiam Casp. Theoph. Bierling. *Thesaur. theor. pract. Cas. 37. Sch. §. 3. p. 516.*

§. 5.

Per fontem. Item in dicto loco fontem Stygis fuisse, cujus aqua, si virgo juramentum suum inscriptum chartæ in ejus crepidinem deponebat, limpida & quieta manserit; & si corrupta idem tentabat, turbata ad extremum usque fontis labrum obtumuerit. Porro legitur, avis, Porphyrio dicta, ad scorti conspectum mori. Vel juxta Ælian. *de Animal. Lib. 3. cap. 42. fol. m. 65.* Porphyrio acerrima rivalitate ardet, & mulieres, quæ sunt sine viro, observat. Quod si cum matrefamilias stuprum fieri cognoverit, se strangulat.

Per avem.

§. 6.

Per ignem. Nonnullis quoque olim virginitas & pudicitia per ignem probabatur, & quidem vel intactis pedum plantis rogum pertransire, vel etiam per ferrum candens ordine dispositum, signum veteribus erat pudicitiæ atque virginitatis. Hoc innocentiæ argumento Taciam & Claudiam, Vestales virgines, intemeratam pudicitiam feliciter probasse, eodemque successu ferrum candens portasse Æmiliam, ex Dione Halicarnasseo refert Engelbertus Kæmpferus *Amœnit. exot. Fascic. 2. Relat. 12. p. m. 454.* Exemplo quoque sit Richardis Caroli Crassi uxor, de qua sequentia recenset *Heinrich Anshelm von Ziegler in Schauplatz der Zeit fol.* 24. Carolus klagte seine Gemahlin öffentlich Ehebruchs an, und legete einen Eydschwur ab, daß sie von ihm zehn Jahr über unberühret und des Krantzgens unberaubet sey. Die bestürtzte Princeßin ließ es so weit dahin gestellet seyn, daß sie in die Ehescheidung zwar einwilligte, iedoch zuvor durch verstattete Besichtigung behauptete, daß das Unvermögen auf Seiten Caroli beruhete. Ihre Unschuld und Reinigkeit aber zu beweisen, zog sie einen gewächsten Rock an, und trat in solchem mitten in ein aufgeschürtes Feuer mit diesen Worten: So wahr als ihr Leib von keinem Manne befleckt worden, so wahrhafftig würde das Feuer ihrem Leibe und Kleidern nicht den geringsten Schaden beybringen. Und als sie eine geraume Zeit darinnen verzogen, trat sie gantz unversehrt wieder heraus ꝛc. vid. etiam Phil. Camerar. *Hor. subcisiv. Cent. 2. cap. 18. p. 68. seq.* Sic Cunegunda Augusta Henrici primi conjux falso adulterii

ulterii insimulata, innocentiam suam purgavit, quin & se veneris nesciam probavit, cum quindecim passus super candens ferrum nudis pedibus, illæsis plantis perambulasset. vid. Simon. Majol. *Dier. canicular. Toll. 1. Colloqv. 3. fol. m. 44.* ubi castarum, quarum pallia & vestimenta a prunis non lædebantur, plura exempla reperies. De dicta autem Chunigunda sequentia refert Philippus Camerarius *Horar. subcisiv. Cent. 2. cap. 18. p. 67. seq.* Non ignoro sane, olim purgationem candentis ferri frequentem & usitatam fuisse, de qua etiam est illustris narratio de Chunegunda, uxore Cæsaris Henrici Bavari, quæ cum marito Pabebergæ sepulta est in templo cathedrali, talis videlicet, sicut a parente meo piæ memoriæ in Chronologia Nicephori recensetur: Chunegundam illam, inquit, Franconicæ stirpis Palatinam, licet in matrimonio Cæsaris esset, maritum non attigisse, ut virginitas ejus violata fuerit, pro certo habetur. Erat tum in moribus, ut insimulati occulti delicti, cujus neque palam convinci, neque quod defendere ipsi plane possent, si insontes perhiberi vellent, candens ferrum gestarent manibus, aut pedibus calcarent: aut in aquam ferventem oleumve manum demitterent. Certis autem ad Deum & solennibus precationibus effici impetrarique credebatur, ne innocentes læderentur. Quod imitatione prava in cœtus Christianorum fuit introductum, ab illa potione jussu divino suspectæ pudicitiæ olim mulieribus data, secundum Mosis constitutionem. Chunegunda cum esset adolescens & formosa, neque agrestis, aut inhumana, a malevolis fictum impudicitiæ crimen vitare non potuit, rumoresque dissipabantur, cum nobili quodam in aula juvene eam consuescere. Quo loco additur, diabolicam illius juvenis speciem e cubiculo Augustæ egredientem sæpe esse conspectam. Imperator fama ipsa sparsa ab uxore fieri primum alienior, mox aperte crimen istud exprobrare. Chunigunda autem ad id confugit, ut, calcando ignitos vomeres se esse declaraturam innocentiam suam, diceret. Per hos undecim cum illæsa ambulasset, fertur institisse in duodecimo & clara voce testatam esse, pu-

dicitiam ſuam virum neminem virorum omnium delibaſſe unquam. Hoc imperator, quod ignominiam quandam ſibi afferre poſſet, quaſi incommodo marito, dictum oppreſſurus manum admovit ori conjugis, atque in feſtinatione impetus major ſanguinem extudit. Poſtea confeſſus injuriam reconciliataque gratia, cum conjuge amantiſſime & jucundiſſime reliquum vitæ ſuæ tempus peregit. Ibidem plura reperies. Pudicitiam Kunegundæ teſtatur etiam ſuperſtes hæc inſcriptio tumuli Imperatoris Henrici in ſacello urbis Papenberg:

Judicio vomeris Chunegundis virgo probatur;
Cœtus & hoc procerum mirans ipſam veneratur.

v. Engelb. Kæmpfer *l. a. p. 455. ſeq.* Sic Iphygenia Æthiopum Regis filia, contemtis Hirtaci nuptiis concremari paſſa eſt, ſed tantum abeſt, ut ab igne læderetur, quin potius flamma ipſa virginitatis defenſatrix ab ipſa ſe avertens in regiam proſiliit, quam funditus conſumſit. v. Henr. Kornmannus *de Virginit. cap. 19. pag. 70.* Ibidem etiam mentio fit Agathæ Catavienſis, quæ ut pudicitiam ſervaret, Quintiano Prætore contempto, cum ſuper acutas teſtas & ardentes prunas volutaretur, minus pœnam doluit, quam nuditatis ignominiam. Simplicius perpetuam cum uxore caſtitatem ſervaverat: electus autem in Epiſcopum domi virginem adhuc uxorem fovebat, uti ſororem. Die igitur natalis Domini, commotis civibus adverſus virginem, per immanem ſuſpicionem, ſic ad illum locuti ſunt: incredibile eſt, mulierem viro junctam pollui non poſſe, ſed nec vir poterit artibus mulieris junctus a coitu abſtinere. His commota virgo ſanctiſſima adit pontificem ſimili caſtitate pollentem, arculamque, tunc ut fieri ſolet pro rigore hyemis, carbonibus plenam penes ſe habens, accita famula, expanſo pallio prunas ardentes ſuſcipit, & fere horæ unius ſpatio tenens ſacerdoti poſtea ſic ait: Accipe & tu mitiorem ſolito ignem, nequaquam tuis velaminibus nociturum: ſuſcipiente vero pontifice nihil offenſum eſt velamen ejus ab igne. Credidit

tunc

tunc incredula gens, atque supra mille sacro baptismate sunt initiati. vid. Sim. Majol. *Dier. canicul. Colloqu. 3. fol. m. 44.*

§. 7.

Non autem solum ignis ad virginitatis & castitatis probationem adhiberi solebat, sed etiam aqua, siquidem juxta scripturam S. *Num. 5. vers. 12. seqq.* apud Hebræos epotis amarissimis aquis læsa dignoscebatur pudicitia; namque jussu divino sacerdos amarissimas aquas, in quibus cum execratione maledicta congesserat, sive aquas amaritudinum maledictas mulieri ob impudicitiam suspectæ vel accusatæ bibendas porrigebat. Has bibens si polluta fuerat & prævaricata prævaricationem contra maritum suum, fiebant in ea aquæ maledictæ in amaritudines, tumescebatque venter ejus & concidebat femur ejus, atque adeo fiebat mulier in maledictionem in medio populi sui. Quod si non fuerat polluta mulier, sed munda, illa sine noxa erat & fructificabatur semine. Exemplum etiam adulterii per aquam detecti, apud citatum Simonem Majolum *l. a.* legimus, scilicet Gangolphi Burgundionis uxor adulterio commaculata cum probare vellet innoxiam se esse, in frigido fonte demersa manu adjuravit, ne eam sine prodigii specie, si culpam ferret, inde posset elevare. Mirum accidit, cum a fonte manum extraheret, desiccatam protulit non aliter, quam si in mediis ignibus tenuisset; itaque ob prodigium viro separata fuit. Virginem Vestalem Tuciam suspectæ pudicitiæ adhibitis adjurationibus, aquam cribro ex Tyberi apportasse; & Claudiam cingulo navem, quæ immota constiterat, attraxisse; accusatorem quoque, tametsi attente requisitus, nusquam amplius comparuisse, refert Philippus Camerarius *l. a. Horar. subcisiv. Cent. 2. cap. 18. p. 70.* vid. etiam Henr. Kornmann. *de Virginit. cap. 19. pag. 69.* item Sim. Majol. *dier. canicular. Collect. 3. f. m. 43.* *Per aquam.*

§. 8.

Porro non modo per ignem & aquam uxores castitatem suam probare solebant, sed etiam per duella, quod exemplo docuit Cunigunda, conjux Imperatoris Henrici *III.* filia Canuti M. regis Angliæ, *Observatio.*

Angliæ, quæ anno Christi 1041. adulterii a marito insimulata, duellum, cum ceteri id officium ei recusarent, per nanum suum instituit: cujus illa manu, superato gigante capiteque truncato, victrix, innocentiam docuit, & iniquam mariti suspicionem feliciter sustulit, gloriosa pudicitiæ & famæ suæ vindex, uti refert Engelbertus Kæmpfferus *Amœnit. exot. Fasc. 2. Relat. 12. p. 456.*

§. 9.

Per suffumigationem.

Ex suffumigatione nonnulli virginum probationem monstrant, e. g. ex lapatho trito carbonibus injecto & suffumigato, si femina se comminxerit, virgo cognoscitur, vid. Petr. Foreſt. *Obs. med. Lib. 28. Obs. 55. Schol. fol. m. 708.* Quod Jean Palfyn *l. a.* gallicis verbis ita reddit: Une fille doit passer pour vierge, quand elle urine involuntairement, aprés avoir receu le parfum, de la plante pileé, que l'on nomme patience, laquelle on aura jetteé sur des charbons allumez: Narrat etiam Soranus, virginitatem explorari posse suffitu florum rumicis vel lapathi: ex hoc si se puella comminxerit: ex illo si se polluerit, integram judicabit. vid. Joh. Riolan. *Anthropograph. Lib. 2. cap. 35. fol. 193.* Gagates suffitus odoris spiramento fauces naresque non attingente, & potus si præsentem mictum non cieat (muliere alioquin suffitum persentiente cominusque potu mingente) virginitatem eximie deprehendit. vid. Lud. Bonaciol. *l. a. p. 189.* Quod Plinius *Nat. Histor. Lib. 36. cap. 19. fol. 639.* jamjam statuit, virginitatem, inquiens, deprehendit gagates suffitus. Cujus loci etiam meminit Jean Palfyn *l. c.* Pline, inquiens, assure, que la poudre de yays prise interieurement, ou receu en parfum, est une preuve de la chasteté d'une fille, quand elle n'urine pas, aprés l'avoir avalleé, ou aprés en avoir receu la vapeur. Idem etiam dictus Autor de semine portulacæ refert, que si l'on jette de la graine de pourpier sur des charbons ardens, & qu'une fille defloreé en recoive de la fumeé, elle voit des choses merveilleuses: au lieu qu'elle ne voit rien d'extraordinaire, quand elle est chaste. vid. etiam Paul. Zacch. *Quæst. Lib. 4. f. 381.* Eundem effectum magneti adscribit Ludo-

Ludovicus Bonaciolus *l. a.* hunc scilicet si obdormientis virginis aut mulieris capiti supponas, corruptarum impudicitiam deprehendes, cum præ nimio simulacrorum pavore e thoro excidant, & aliarum integritatem, cum ad mariti complexum impellat. Drachmam unam ligni aloes in pulverem redactam & propinatam virginibus statim urinam movere, non item aliis, nonnulli statuunt. Juxta alios, virgines ab apibus, irritatis licet, minime feriuntur. vid. Melch. Sebiz. *de Not. Virginit. p. 369.* Chiromantæ etiam virginitatem præsentem & perditam dignoscere volunt, ast Paulus Ammannus *Irenic. p. 128.* inquit: vanissimi sunt, qui eandem in lineis manuum ex chiromantia cognoscere audent. Ita confessa est quædam femina 1682. chiromantæ cuidam, postquam ad prævium petitionem manum inspexit, se non amplius esse virginem, sed stupratam, non quidem a viro, sed a phallo artificiali; ast hæc confessio non est vaticinatio chiromantica; nam si non fuisset ipsa confessa, non sciviſſet, vel prædixisset e manu iste chiromanta.

CAPUT III.

De Notis ex ipsa Virgine desumptis.

§. 1.

EX urinæ missione nonnulli virginitatem agnosci posse statuunt, & quidem inde, quia virgines, non autem uxores aut defloratæ urinam in altum ejaculentur, hinc dicit Johannes Riolanus *l. a.* Scaligerum virgines mulieres vidisse ad parietem alto jaculatu urinam mittere, cum econtra corruptæ ne quidem retro reddant, sed coxim conquinisserent. Et Ludovico Bonaciolo *de Fœt. format. cap. 2. p. 188. seq.* id virginitatis argumentum est, quod perlucidum virginibus inviolatis ac tenue lotium sub strepitu perinde atque acutissimo (quoniam per angusta exitus datur) sibilo ut fistula impendio deductiore emicans, longius admodum excutitur. Purius etiam ac tenuius virginis lotium esse affirmant, aliarum turbidius & crassius. vid. Fortun. Fidel. *de Relat.* *Per urinam.*

med. p. 339. Aſt huic ſententiæ contradicit Johannes Beverovicius *Quæſt. epiſtol. p. 31.* fallax, inquiens, tale ſignum eſſe liquet, cum etiam mulieribus convenire poſſit. Neque etiam neceſſe eſt, urinas virginum ſemper eſſe tenues & pellucidas: & eas emittere cum ſibilo & ad diſtantia loca, dependet a robore facultatis expultricis. Anguſtia quidem aliquantulum juvare poteſt, ſed ea etiam conſervatur in defloratis, neque enim veſica aperitur, aut os ejus dilatatur, quando nuptiæ fiunt. Cum igitur alia ſit via partis, qua urina continetur & ejicitur, alia ejus, quæ procreationi inſervit, a modo reddendi urinam, nec ab ejus ſubſtantia, de vitio virgini illato nullum capi poteſt ſignum. Fruſtra igitur non minus alii, qui perturbatam & craſſam urinam in virgine requirunt. Tantum enim abeſt, ut virginitas ex urina dijudicari queat, ut ne conceptus quidem poſſit. Virginum atque compreſſorum urinis minime illa ineſt differentia, aut per ſaniorem anatomen admittenda, qua, qui hanc defendunt, ſibi concipiunt meatus urinarii ſeu ſphincteris veſicæ in illis anguſtiam, in his laxitatem: i. e. nihil mutationis canalis hic, ſeu oſtium ejus a coitu patitur, juxta verba Johannis Bohnii *Medicin. Forenſ. Specim. 3. §. 13.* Hoc ſignum fallaciſſimum, imo vanum & indignum, cui fidem ullam habeamus, judicat Paulus Zacch. *l. a. Lib. 4. Tit. 2. Qu. 2. n. 15. fol. 378.* Quod confirmat etiam Rodericus a Caſtro *Medic. polit. Lib. 4. cap. 12. p. 261.* inquiens: Baptiſta Codronchius urinam dicit in corruptis craſſiorem eſſe ac turbidiorem, propter latiores patentioresque vias & uteri recrementa commixta: quæ tamen inutilia mihi videntur, quia naturale virginum foramen ſatis ad craſſam & turbidam emittendam eſt, undecunque profluat. Si enim per idem foramen ſemen virile penetrat, ita ut femina, virgine permanente gravida fiat, ut in furtivis congreſſibus interdum accidit, in quibus puellæ virum plane non admittunt; poterit procul dubio multo facilius urina, quantumvis craſſa ac turbida emitti &c. Et juxta Pauli Ammanni *Irenic. p. 128.* vani ſunt,

qui

qui læsam virginitatem ex urina, quamvis degustata etiam, præsagire volunt. Inquit etiam Michael Alberti *Jurispr. med. cap. 3. §. 7. p. 65.* fallax esse judicium ex urina, quasi virginum urina clarior sit, aut quod virgines alto jaculatu mingere queunt. Et secundum Pauli Ammann. *Medicin. Critic. Disc. 75. p. 501.* ex urina virginitatem qui probare conatur, ridiculus est.

§. 2.

Per colli mensurationem.

Nonnullis veterum in probanda virginitate colli mensuratio familiaris erat, ex qua postridie nuptiarum puellam integram vel corruptam cognoscere volebant, putantes, quod, si colli rotunditas mensuretur cum filo, ac deinde idem filum ab extremitate menti ad summum verticis extendatur, & mensura fuerit æqualis, virginitatem indicet, vitium si inæqualis. Alii solebant, dum nupta prima nocte cum marito concubitura erat, illius collum circumdato filo mensurare, postero mane eodem filo iterum mensurabant: Quodsi latius, quam ut filo comprehenderetur, collum inveniebant, ea nocte defloratam fuisse, pro certo habebant; *si vero collum nihilo crassius evaserat, adhuc pro integra* habebant, aut antea devirginatam fuisse suspicabantur. Severini Pinæi verba *l. a. p. 51. seq.* sic sonant: Virginem non corruptam esse dicunt, si filum ei ab extremo naso ad coronalis futuræ medium & finem sagittalis per glabellum & frontem extensum collum, ejusdem puellæ intra se comprehendere possit. Alium colli commensurationis modum indeque virginem ab uxoribus seu defloratis discernendi signum quasi infallibile commendat Carolus Musitanus *Trutin. Chir. phys. Tom. 3. cap. 49. p. 256.* nimirum, sume filum conduplicatum, hoc collum circumda, nota quousque mensura pervenit, pars fili designata a primoribus dentibus fortiter constringatur: tunc duplicatum filum explica, si caput transgreditur absque offendiculo & laxe, defloratam judica, sin vel supra frontem vel ad futuram usque coronalem pervenit, nec ullo modo, etiam vi caput trajicit, virginem esse indubitato ha-

beas. Hoc nos, pergit Musitanus, millies experti sumus, & nunquam mendax deprehendimus, & etiam facto de virgine experimento, & hæc talis erat, filum enim non transibat, deinde a primo coitu, repetito experimento, laxius transibat, nec capitis capillos attingebat. Ad hanc consuetudinem absque dubio alludit Catullus his verbis:

Non illam genitrix (nutrix) oriente luce revisens
Hesterno collum poterit circumdare filo.

De signo ex virginum collo ita scribit Michael Alberti *Jurispr. med. cap. 3. §. 7. p. 65.* sunt qui ex collo virginitatis notam seligunt, quasi in virginibus collum sit arctius, in defloratis vero laxius & amplius. Quo pertinet jocosum scrutinium colli, vel cum filo mensurandi, vel alterum scrutinium, si filum ab extremo narium apice per frontis medium ad futuram coronalem deducitur, & longitudo illa quadrat collo, intactam talem virginem esse, aliqui judicarunt; quæ tamen signa sterilia & vana sunt. De hac commensuratione ita scribit Casparus a Reies *Quæst. 38. p. m. 872.* Recordor, me, dum puer essem, de hoc experimento cum aliis non raro lusisse; quare illius notitiam non penitus abolitam fuisse patet, siquidem hujus rei memoria apud multos invenitur, usum tamen nostri ævi pudicitia vetuit, & utcunque sit, experimentum non sine ratione adducitur. Ratio autem hujus signi, quod veteres in amissæ virginitatis suspicione a collo sumebant, ipsis hæc erat, quod in coitu maxime compatiantur spiritus vitales vel naturales, sicque vasa dilatentur; secundum alios a veneris usu collum crassescit, quod calor asperam arteriam, carotides & jugulares distendat, vel quod corpus in primo coitu magnopere agitatum, ubique & maxime circa collum spiritibus & humoribus diffusis repleatur, atque in majorem molem attollatur. Hanc rationem naturalem prorsus & nullo dolo fucatam judicat Caspar a Reies *l. a. p.* 474. hinc etiam Villalpando assentiri non posse scribit, qui *cap. 24. Lib. 1. Mag. divinat.* hoc ad superstitiosam & vetitam obstetricum mangoniæ artem, qua virginitatem per parthenomantiam explorabant,

rabant, rejiciendum putat, hodieque in usu pravo esse contendit. Sed cum mere naturaliter, pergit Reies, colli illa crassities accidat, nil superstitiosi invenio, imo inter alia signa hoc non contemnendum judico. Et Georgius Ernestus Stahl *Theor. med. Sect. 1. Membr. 7. Art. 6 p. 356.* inquit: in feminino sexu, facta genitalium partium & humorum prima insigni commotione, per coitum, turgescentia quædam colli obtingit, de qua jam olim poeta, quod non queat hesternum collo circumdare filo, nec omnino plane de nihilo est traditio. Quamvis autem concedatur a primo & fortasse vehementi actu venereo non modo collum, sed alia quoque membra, ob nimium motum atque orgasmum humorum aliquatenus intumescere, quin tamen talis colli crassities pariter ab aliis motibus vehementioribus, elevatione ponderis, gestatione onerum, imo ab ipso pubertatis tempore puellis vel virginibus consueto humorum orgasmo, accidere queat, dubium non est, hinc etiam ex tali colli crassitie & instituta mensuratione nullum læsæ virginitatis certum signum desumi poterit. Sic Fortunatus Fidelis *l. a. p. 341.* inquit: Quod in deflorata ajunt collum excrescere, id ego non corruptæ virginitatis, sed puberis adultæque ætatis proprium puto: quo quidem tempore membra omnia manifesto crescunt incremento; ideoque videas nonnunquam virginibus, cum jam decimum quartum ætatis annum attigerint crassius collum fieri: quamvis nullum adhuc viri congressum passæ fuerint. Incipit enim corpus justam eo tempore magnitudinem præ se ferre: quam deinde tertio annorum septenario perfectam est habiturum. Cujus sententiæ quoque est Johannes Beverovicius *Epistolic. quæst. p. 34.* fallacitatem, inquiens, istius signi, quod scilicet statim a coitu collum intumescat, experientia demonstrat. Pubertas enim per se ob ætatis mutationem collum inflat & mutationem vocis infert, cum juvenes τραγᾶν, hircire, incipiunt. At certum est, non solum ante pubertatem, sed etiam post, virginitatem integram remanere posse. Quin & ridicula videtur ea colli & menti ac verticis mensura, cum inter illa nulla sit sympa-

thia aut communicatio. Quæ Beverovicii verba ex Franciſco Rauchino allegat Chr. Fr. Garmannus *de Mirac. Mort. Lib. 1. tit. 4. p. 149.* ubi plura de hac materia.

§. 3.

Per vocem. Ex eadem colli intumeſcentia ſeu craſitie nonnulli etiam vocem, quæ virginibus acuta eſſe ſolet, a coitu primo in aſperiorem ſeu graviorem mutari incipere ſtatuunt. Inquit enim Johannes Riolanus *l. a. fol. 193.* Tumet collum in virginibus defloratis, quia in coitu incaluerunt ex voluptate. Dum quis veneri indulget, vocem immutari in iſto tempore certum eſt. Ob eam cauſam veteres phonaſcorum penem infibulabant vinculis & ſubligaculis coercebant, ne laſciviret priapus. Quare qui vocem conſervare ſtudent, iis a coitu abſtinendum eſſe innuit Martialis.

Cantaſti male, tum fututa es Ægle,
Jam cantas bene, baſianda non es.

Ex his ſignis, ſcilicet vel ex voce mutata vel ex collo craſſiori, Democritus puellam Hippocratis comitem die quodam ut virginem, ſive ſalve virgo! poſtridie vero, ut vitiatam, ſalve mulier! ſalutaſſe dicitur. Item Albertus Magnus ex muſeo ſuo puellam ex cœnopolio vinum pro hero ſuo aſportantem, in itinere vitiatam ex voce deprehendiſſe ſcribitur, quod in reditu ſubinde cantantis ex acuta in graviorem mutatam vocem agnoviſſet. De his ſcribit Caſpar a Reies *l. a.* Quod ſi, quale Democrito aut Alberto diligentiſſimis & acutiſſimis naturæ indagatoribus, tale nobis fuiſſet ingenium, & mentis ſubtilitas, non ita in indagandis ſignis oportebat nos tam ſedulo inquirere & ſolicitos eſſe.

§. 4.

Per hircismum. Quibusdam etiam hircismus ſeu fœtor, qui hircorum fœtorem æmulans quoque ab axillis in actu venereo perſentiri atque a Græcis Autoribus τραγᾶν ſeu hircire appellari ſolet, non incertum læſæ virginitatis ſeu defloreationis ſignum judicatur. Inquit enim Caſpar a Reies *l. a. p. 470.* aliis virginitatis delibatæ ſignis

gnis plerique addunt virulenti ac hircoſi odoris neſcio quem fœtorem, a corporibus eorum, qui venere utuntur, exhalantem; talem hircinum odorem in meretricibus non raro & in noviter nuptis, & univerſum in aliis, qui nimium veneri indulgent, conſpicue perſentimus, utpote qui immodico coitu abutentes tantæ virulentiæ cauſam prompte concipiant & facile exſpirent, & ſecundum Joh. Bohn. *Circ. Progymn. 16. p. 240.* hircum olent puellæ viro maturæ cum maritatis. Cui ſententiæ ipſe quoque Reieſius, licet ratione cauſæ ab aliis Autoribus differat, aſſentire videtur, dum *pag. ſeq.* caprinum illum odorem a ſeminis commotione & exhalatione provenire exiſtimat; quod cum antea ſuis in vaſis quietum maneret, venere agitatum vapores illos, per omnes corporis vias ac meatus diffundit, qui per poros una transſpirantes hircoſum illum odorem aut fœtorem exhibent, cujusmodi calidi & diſſoluti amyli odor eſt; & magis in illis, qui frequentius concumbunt, debilitatis vaſis & inconfecto ſemine putredinem & impuritatem aliquam concipiente, qua tunc virulentius redditur, & ſui fœtoris majora præbet indicia, & ob ingentem commotionem facillime illius vapor per omnia corporis vaſa ſubit, & una cum reliquis excrementis transſpirat, quorum odorem ac vim ſuperat ob materiæ præſtantiam & energiam. Quare in pueris & puellis ſecundum Hippocratem non percipitur, donec hircire incipiant; tunc enim jam copia in vaſis congeſta aliquam ſui notam exhibet, incipientibus jam turgeſcere genitalibus & copia ſeminis creſcente; ſed multo magis coitu dilatatis vaſis & ſemine commoto; ex ſui enim natura & propria ſubſtantia caprinum & hircoſum illum odorem diffundit &c. Annon autem in virginibus maturis atque puberibus ab ipſo majori humorum orgaſmo vel alio motu externo talis hircismus ſeu fœtor excitari poſſit, iterum non dubito; cum contrarium experientia confirmet.

§. 5.

Ex erubeſcentia & verecundia, quæ in facie & oculis modeſtiorum puellarum apparet, nonnulli illibatæ virginitatis teſtimonium *Per verecundiam.*

nium elicere volunt, juxta illud: Erubuit, salva res est, indeque intactas virgines a puellis, quæ primos toros passa sunt, dignosci dicunt. Virginum quippe oculos modestia dejici, pæne immobiles; at ejus puellæ, quæ de viro gustaverit, oculos vibrantes & flagrantes indicium ejus rei facere. Sed æquivocum esse hoc signum, mores puellarum, in quibus magna differentia, satis indicant: Versipelle omne hoc genus, fingere & refingere vultum egregie doctum, & simulare norunt pudorem jam diu cum virginitate amissum. Videmus, quibus oculi & vultus plane ad modestiam & pudorem compositus, prurientes ab imis unguiculis. v. Joh. Bevero. *Epistol. Quæst. p. 33.* hinc

Crede ratem ventis, nimium ne crede puellis,
Namque est feminea tutior unda fide.

§. 6.

Ex naso. Sunt etiam, qui ex naso & quidem ex ejusdem apice & pinnis virginitatis signa peti posse statuunt. Inquit scilicet Johannes ab Indagine *Introduct. in Physiogr. Lib. 2. cap. 4. p. m. 82.* de corruptis juvenibus & juvenculis si quis scire cupiat, illud præcipue ex naso cognoscitur. Cartilago, quæ in apice nasi est, si secare seu dividi se permiserit, atque perinde attactu findi digito potest, indicium est corruptum vel corruptam esse. Et secundum verba Michaelis Scoti virgo in tactu pilulæ vel juxta Riolanum pyrulæ nasi dignoscitur, quia cartilago est solida, & cum est semel corrupta, sentitur partibilis. Ex narium quoque epistomiis seu pinnis sunt, qui aliquid conjiciant, quasi pars illa patula magis reddatur, cum antea acuminata magis & acutior conspiceretur, quin non ita nitida ac tersa apparet tota facies, flore jam veluti spoliata, juxta Casp. a Reies *l. a.* In defloratis summum nasi apicem fieri latiorem, ac quasi divortio quodam distingui: cum tamen virgines nullum tale habeant insigne, ex aliorum sententia loquitur Fortunatus Fidelis *l. a. p. 338.* Et juxta Mich. Albert. *Jurisprud. Med. cap. 3. §. 7. p. 65.* sterile signum est, quod ex naribus harum pinna profertur, quasi præsente virginitate cartilago pinnulæ sit indivisibilis.

§. 7. Non-

§. 7.

Nonnulli etiam ex oculis integram aut amissam virginitatem colligere volunt, qui a prævio coitu tam feminis, quam masculis, modo subsident, modo intumescunt, modo luneolam lividam circa palpebras assumunt; quæ tamen oculorum alteratio in utroque sexu citra castitatis violationem contingere potest, uti ex Valentin. Corpor. Jur. med. allegat Michael Alberti *l. a.* De ejusmodi notis scribit Johannes Fridericus Ortlob *Histor. Part. Dissert. 34. §. 4. p. 266.* mittam ridicula ex Cotti commensuratione, urinæ in emissione strepitu aut ejus pelluciditate, papillis rubentibus, mammis firmioribus, vocis & pilorum mutatione & similibus depromi solita &c. *Ex oculis.*

§. 8.

Volunt scilicet alii ex mammis earumque papillis virginitatem agnoscere, & quidem papillas in virginibus rubicundiores, in corruptis lividas magis conspici; sive papillas, quæ in virgine fragorum instar grato rubore florent, pollui quodammodo eumque colorem amittere, *Ex mammarum papillis.*

Cum castum amisit polluto corpore florem.

sive uti refert Fort. Fidelis *l. a.* ajunt, virginis papillam atque ejusdem corollam vivido colore semper vigere: in muliere vero, cui delibata virginitas fuit, in alienum verti colorem, & qui plane ad nigridius vergat. Cui tamen sententiæ contradicit Johannes Beverovicius *l. a. p. 32.* falsissimum hoc signum nominans, cum ea coloris mutatio & virginibus accidere possit nondum muliebris patientiæ legem passis, veluti in cachecticis & valetudinariis observare est: Et rubicundus ille color papillarum non modo in virginibus, sed etiam in mulieribus reperitur; cum signum hoc sequatur potius constitutiones sanitatis, quam virginitatis. De papillarum colore ita scribit modo allegatus Fidelis *pag. 341. seq.* Quod papillæ etiam livescant, ac majores fieri incipiant: hoc quoque puberum ætatem comitatur: nam cum hoc tempore sanguis ad uterum demandetur, illinc facile per communia vasa re-

gurgitat ad mammas: quæ etiam in tumorem tunc creſcunt manifeſtum: ac papillæ menſtruo ſanguine oppletæ in alienum vertuntur colorem.

§. 9.

Ex ipſis mammis. Deinde quoque ex ipſis mammis, & quidem tam ratione earum magnitudinis vel intumeſcentiæ & duritiei ſeu firmitatis, quam ratione in ipſis contenti lactis virginitatis notam nonnulli deſumere tentant. Licet enim mammæ ab anno pubertatis in puellis intumeſcere, ſororiare atque in majorem molem ſenſim accreſcere conſpiciantur; nihilominus tamen ante cohabitationem, & quamdiu virgines a veneris uſu abſtinent, inter certos naturæ limites permanent, quos poſt cohabitationem transgrediuntur, atque majorem magnitudinem acquirunt. Quo tamen ſatis noto atque vulgari ſigno virginitas deperdita minime judicari debet; cum ſæpius etiam in virginibus non defloratis mammæ adeo luxurient, ut quarundam gravidarum ubera quandoque æquent vel etiam ſuperent, quod modo a diſpoſitione naturali ſeu hæreditaria, modo etiam ab humorum affluxu eorumque impedito refluxu fieri poteſt. Imprimis autem virginibus ad menſtruationem aptis, earumque a quacunque cauſa ſuppreſſo fluxu ordinario, mammarum tumorem accidere poſſe, docet Heydentryk Overkamp *Chirurg. cap. 5. p. m. 189.* vid. etiam Caſp. a Reies *Elyſ. Camp. Quæſt. 39. n. 8. p. m. 475.*

§. 10.

Ex lacte. Certius autem violatæ virginitatis atque ingravidationis ſignum ex lacte in puberum puellarum ſeu virginum mammis reperiundo non modo mulierculæ atque obſtetrices ſibi promittunt, ſed ipſi etiam logici quandoque concludunt: Lac habet, ergo peperit aut ſaltem cum viro rem habuit. Quod tamen ſignum licet probabile, minime tamen indubitatæ eſt veritatis, ſiquidem non modo in mulieribus gravidis atque puerperis, ſed etiam in virginibus & aliis feminis, quibus ſine conceptione menſes defecerunt, item in vetulis & infantibus recens natis (qualia exem-

pla

pla in alio tractatu capite de graviditate, item in Galactologia noſtra cum DEO adducemus) lac deprehenſum legimus. Et quamvis tale in puellis, infantibus & maribus reperibile lac Andreas Laurentius *Anatom. cap. 9. Quæſt. 2. fol. m. 341.* non pro vero agnoſcat, ſed lac verum & laudabile non niſi poſt conceptionem generari poſſe, ſtatuat, econtra non verum nec exquiſite coctum lac in puellis grandioribus ſanguineis & viris, copioſisſimo ſucco refertis generari concedat; ipſi tamen Johannes Beverovicius *Quæſt. epiſtol. pag. 36.* hoc argumento contradicit: ubi materialis cauſa præſens eſt, adeſtque efficiens robur, quid lactis generationem impediet? At virginibus grandioribus in thoracis venis, quæ mammas irrigant, ſanguinis adeſt copia, nec non glandularum ſanguinem alterantium & excoquentium robur; poterit ergo in illis aliquando lac generari, maxime ſi ſupprimantur menſes. Talem lactis in virginibus proventum a menſibus ſuppreſſis etiam derivat Hippocrates *Sect. 5. Aphor. 39.* inquiens, εἰ γυνὴ μὴ κύουσα, μηδὲ τετοκυῖα, γάλα ἔχῃ, ταύτῃ τὰ καταμήνια ἐνλέλοιπε· ſi mulier, quæ nec prægnans eſt, nec peperit, lac habeat, ei menſtrua defecerunt. Et Chriſtophorus a Vega *Comment. in allegatum Hippocratis Aphorismum fol. m. 646.* ſcribit: Fit, quamvis raro, menſibus ſuppreſſis, ob cauſam præternaturalem atque morboſam, ut ſanguis ad mammas delatus coquatur & in lac tranſeat. In quibus vera eſt & experimento probata Hippocratis ſententia; non enim pepererunt, neque conceperunt, quoniam tamen lac habent, ſignificat, quod eis menſes defecerunt. Ob menſium igitur defectum ſive ſuppreſſionem fit citra conceptionem & partum, ut lac habeant: Quod etiam allegatus Autor exemplo confirmat; vidimus, inquiens, puellam Burgenſem, cui menſibus ſuppreſſis lac inerat. Medicus vero, cui res fuit commiſſa, (accuſabatur enim ab hero) conſtantisſime affirmabat, ipſam gravidam eſſe; quam ego coram hero & aliis defendi, fieri poſſe dicens; ut lac habeat mulier ex ſola menſium retentione, citra con-

ceptionem. Tempore tamen novem menſium transacto manifeſte conſtitit, mulierem honeſte vixiſſe & virginem eſſe, cui aliquibus poſt diebus menſes profluxerunt. Et Caſparus a Reies *Quæſt. 39. pag. 475.* inquit, conſpectæ ſunt virgines, non adauctis mammis ſolum & tumentibus, ſed abundanti etiam lacte refertis. Adeoque virgines rivulis illis lacteis dotatas amiſſæ virginitatis ſuſpicionem præter meritum quandoque incurrere, ſatis apparet. Prolixe etiam de quæſtione, an lac in mammis apparens amiſſæ virginitatis ſignum ſit? agit Dan. Sennert. *Pract. Lib. 4. Part. 2. Sect. 3. cap. 1. pag. 211. ſeq.* & Georg. Franc. *Satyr. med. 15. §. 30. ſeq. pag. 254. ſeq.*

§. II.

Ex gracilitate. Porro nonnulli illibatam virginitatem ex puellarum gracilitate cognoſci poſſe ſtatuunt, uti teſtatur Adrianus Spigelius *de human. Corpor. fabric. Lib. 1. cap. 7.* inter feminas virgines fere graciliores eſſe, quia poſt congreſſum craſſiores evadant, venis univerſi corporis in complexu venereo exagitato a calore dilatatis; id quod ſpatio vel unius diei poſt coitum ſtatim adverti poſſet. Sed quam fallax hoc ſignum ſit, ſecundum Joh. Beverov. *l. a. p. 37.* monſtrant tot feminæ graciles & virgines habiliores.

CAPUT IV.

De Signis ex Pudendo & Hymene deſumptis.

§. I.

Ex pilis pudendi. CUm vero allegata hactenusque recenſita virginitatis ſigna ſint vel ſuperſtitioſa, vel maxime incerta atque fallaciſſima vel tantummodo probabilia, Autores anatomici a collo & mammis ad magis inferiores, & quidem genitales virginum partes deſcendunt, atque circa pudendum femineum certam virginitatis notam clauſtrumque virginale quærunt, & primo quidem in pudendi muliebris pilis, de quibus *in Muliebr. Sect. 1. cap. 3.* prolixe egimus, differentiam inter virgines & maritatas agnoſci poſſe putant; inquit enim Caſpar a Reies *l. a. p. 476.* Pili pudendorum

in

in mulieribus crispiores; in virginibus lenes, longi ac minime tortuosi erumpunt: quippe in illis, quæ coitu utuntur, partes illæ incalescunt, ac ideo materia pilorum magis adusta redditur; unde fit, ut non ita lenes ac blandi pili oriantur. Huic tamen opinioni contradicit Casparus Bravo de Sobrem *Disp. apolog. Sect. 5. Resolut. 9. p. m. 204.* inquiens, de virginitate pili prolongati nihil attestantur; sicuti enim in facie aut capite varii fiunt a nativa temperie lenes aut asperi propter humidatem & siccitatem, & lenes in pueris fiunt asperi post pueritiam, accedente siccitate, & in aliquibus omni tempore fiunt crispi, in aliis longi & lenes; simili modo potest contingere in illis infernis partibus sine coitu, similiter ex supervenientibus aut retentis menstruis & occursu humorum ad eas partes, & ætatum mutatione & aliis &c. Licet etiam respectu sui ipsius unaquæque fortasse habeat pilos pubis promisiores, cum virgo est, quam cum fuerit corrupta; tamen non desunt, quæ etiam virgines existentes habeant eosdem pilos crispos; præterquam, quod neque hoc signum quicquam valet in nuper corruptis, non enim pili ex unico, sed ex iterato & multoties frequentato congressu crispantur. vid. Paul. Zacch. *Quæst. med. leg. Lib. 4. Tit. 2. Qu. 2. n. 13. p. 378.* vid. etiam Mich. Albert. *Jurispr. med. cap. 3. §. 7. p. 65.*

§. 2.

Alii vero anatomici ac physiologi in ipsarum partium genitalium structura virginitatis indicium quærunt, & quidem ex pudendi labiis & nymphis differentiam inter virginem & maritam describit Casparus Bauhinus *Theatr. anat. Lib. 1. cap. 40. p. 137.* labiorum, inquiens, cutis ligamentosa frenum labiorum dicitur, & horum commissura in virginibus densa, constricta, in corruptis laxa, in puerperis valde relaxata sunt. Secundum Phil. Verheyen *Anatom. Tr. 2. cap. 29. p. m. 200.* hoc frenum in virginibus primo pubescentibus maxime tensum, in puerperis laxissimum esse consuevit; atque in aliis pro diversa ætate, frequente veneris usu, mensium fluxu ac partu, magis ad hanc vel illam constitutionem *Ex labiis & nymphis.*

accedere solet. Inquit etiam Jean Palfyn *dans la Descript. anatom. pag. 4.* la fosse naviculaire est formée par la jonction des parties inferieures des grandes levres; d'autres la nomment la fourchette, sur quoy s'appuye la verge de l'homme dans le combat de venus. Il y a des Autheurs, qui crojent, que signe veritable, qu'une femme a enfenté, se connoit par ce que les sages femmes appellent entr'elles le dechirement de la fourchette, qui est une dilaceration de l'entrée de l'orifice du vagina vers l'anus, qui se fait toujours à la sortie du premier enfant, & qui par consequent est marque indubitable de l'accouchement, qui a precedé. Idem statuit etiam Guernerus Rolfincius *de Partibus Generat. Part. 2. cap. 37. p. 187.* his verbis: Labia cutanea prope pubem sunt crassiora: inter flexus, prope anum, tenuiora, ligamentosæ cutis æmula, ibidemque freno quasi colligantur & combinantur. Tensum hoc frenum in virginibus, in puerperis laxum valde, in reliquis mediocre, diductis & divaricatis cruribus clarius apparet. Et *cap. seq. p. 188.* de nymphis idem scribit: Nympharum magnitudo variat. In pudicis sunt humiliores, in virginibus minores, & in iis, quæ venerem sæpe experiuntur, crassæ, longæ ac latæ. De nymphis inquit Paulus Zacchias *Quæst. med. leg. Lib. 4. Tit. 2. Qu. 2. n. 11. f. 378.* quod in virginibus saltem usque ad annum vigesimum tenues sint, nec admodum latæ, in iis vero, quæ virum sunt expertæ, præcipue si pepererint, crassiores & latiores evadant, sint etiam in virginibus magis tensæ, in corruptis laxiores, quanto frequentiori coitu usæ fuerint, vel quanto validiorem vim passæ fuerint. Secundum Joh. Riolan. *Enchirid. anat. Lib. 2. cap. 37. p. 182.* in virginibus labia sunt strictiora & divaricatis femoribus tensa apparent. Membrana inferior nympharum adhuc tensa est, sed in defloratione & frequenti coitu deprimitur: Istæ connexiones in mulieribus, quæ peperere, omnino obliterantur. Et juxta Joh. Riolan. *Anthropogr. Lib. 2. cap. 35. fol. m. 186.* hoc frenum labiorum in virginibus tensum, in puerperis valde relaxatur: quæ cutis laxitas summaque depressio partus jam facti signum certissimum.

mum. Plura huc pertinentia *ex Muliebr. cap. 1. p. 26.* de labiorum freno repeti possunt. Minime tamen ex his signis certam virginitatis notam desumi posse, ex allegatis autoribus nonnulli putant. Adnectit enim ibidem Rolfincius: Nodum in scirpo quærunt, qui in defectu freni labiorum amissæ virginitatis suspicionem movent. Sic Regnerus de Graaf *de Organ. Mulier. p. 170.* scribit, quod frenuli hujus laxitas summaque depressio vel abolitio, inter alia, perditæ virginitatis signum quodammodo tantum exhibere credatur. Ita etiam inquit Jean Palfyn *l. a. p. 14.* on a cru autrefois, que les nymphes étoient les gardes de la chasteté & les marques du pucelage. Quamvis etiam dictum labiorum pudendi frenum in partu extendatur, quandoque etiam dilaceretur, ut inde antecedentis partus signum desumi queat, nihilominus tamen etiam absque ipsius expansione virginitas deflorari poterit, ut adeo dictum frenum non semper virginitatis notam indicet. Hinc Paulus Zacchias *l. a.* inquit, hoc signum non nisi tunc apparere, cum coitus pluries frequentatus exstiterit, unde vix aliquam de se significationem præbebunt, in ea, quæ unicum congressum sustinuerit, in cujus virginitate aut violatione exploranda totus labor esse debet. Neque etiam Johanni Bohnio *Medicin. Forens. Specim. 3. §. 12.* tensio ac rigiditas inferiorum labiorum pudendi cutis ligamentosæ, quam frenum horum vocant, fidus ac infallibilis castitatis parastata & testis est; quemadmodum mox a coitu primo atque unico frenum hoc adeo evidenter deprimi seu aboleri, vix probabile sit; cum unus alterve coitus, sicut nec ipsius vaginæ orificium, ita nec huic subtensum ligamentum eo usque tendere ac laxare valeat, sed in prostibulis demum, frequentiori marium cohabitationi inhiantibus, observetur, in iis scilicet, quæ Junonem iratam jurant, se quando virgines fuerint, nescire. De virginitatis signo ex nymphis scribit Scipio Mercurius Tract. *la Commare oriccoglitrice Lib. 1. cap. 2. pag. 11.* dalla parte vicina alla natura della donna si veggono due pezzetti di carne ineguali à punto come le creste dei piccioli polli

dette

dette ninfe ò himeneo, i quali mentro ſtanno congiunti inſieme, ſono ſegno della virginita, & quando nella congiuntione con l'huomo ſi rompono & ſeparono, ſpeſſe volte con molto ſangue, danno ſegno della virginita perduta.

§. 3.

Ex aliis ſignis. Primariæ tamen notæ, ex quibus plerique veterum & multi recentiorum Anatomicorum cum obſtetricibus & vulgo tam præſentis, quam abſentis, ſive amiſſæ, virginitatis certitudinem confirmare ſolent, ſunt introitus in vaginam uterinam occluſio vel anguſtia ejusque cum cruentatione facta apertura.

Vaginæ occluſio.

§. 4.

Ex hymene. Occluditur autem, ſecundum communem ſententiam, dictus vaginæ ingreſſus certa membrana in antro virginali reperiunda, ab Anatomicis hymen dicta; quam membranam in omnibus puellis atque illæſis virginibus reperiri atque certisſimum innocentis virginitatis ſignum exhibere, demum in primo coitu dilacerari, disruptamque ſanguinem fundere ſeu cruentationem cauſari, veteres putabant, ſicque ex hymene duplicem indicationem, ſcilicet ex ipſius præſentia atque integritate inviolatam virginitatem, ex abſentia autem prægreſſum coitum atque defloration em concludebant. Hinc univerſum puellarum genus ab initio hymene donatum eſſe, nulla excepta, atque hunc virginitatis cuſtodem, clauſtrum & munimentum exiſtere ſtatuit Johannes Wierus *Obſ. Lib. 1. Oper. p. m. 939.* Et Laurentius Heiſterus *Compend. anat. p. m. 81.* hymenem non modo in Virginibus vaginam coarctare, atque in puellis parvis ſemper præſentem eſſe, ſed etiam in coitu primo lacerari ſanguinemque fundere ſcribit. Cui ſententiæ quoque ſubſcribunt omnes illi Autores, hymenis univerſalem præſentiam defendentes, quorum verba in Mulieb. *Sect. 2. c. 5. §. 9. ſeq. cap. 5. §. 6. ſeq.* prolixe recitavimus, quæ hic repetere nolumus.

§. 5.

Cum vero allegatis hymenis patronis plurimi recentiorum Auto-

Autorum variis rationibus, experientia & avtopsia contradicant, atque hymenem neque in statu naturali, neque in omnibus puellis aut virginibus, sed quandoque tantummodo, & quidem præter naturam reperiri concedant, uti ex ipsorum verbis loco Organ. Muliebr. *cit.* §. *14.* allegatis apparet, ob tantum sane Autorum dissensum nullum certum virginitatis signum ex hymene desumi poterit, quia si talis membrana infallibile virginitatis signum præberet, necessario in omnibus virginibus, actum venereum nondum expertis, adesse deberet, cum econtra, secundum allegatos Autores, eadem in plurimis, imo plerisque puellis, vel a prima conformatione desit vel a variis causis, v. g. fero nimis acri corrodi, vel digito sive alio instrumento dilacerari, vel etiam casu facillime disrumpi queat. *An ex ejusdem defectu.* Puellas enim absque hymene non secus nasci, quam Judæorum pueros interdum recutitos in lucem prodire, certissimum esse ait Andreas Vesal. *Anat. Lib. 5. cap. 15. fol. m. 410.* Unde quoque Johannes Fridericus Ortlob *Histor. Part. Dissert. 35. §. 5. p. 266.* ita scribit: hanc membranam pro ejusmodi parte, quæ in omni virgine & semper inveniatur, vix asseram, in multis enim non invenitur, tum quod interdum nulla adsit, sive ex conformatione, aut quod exilis atque subtilior existat, sive quod casu aut libidine destructa sit, tum quod ob Anatomici in inquirendo minus cautam administrationem laceretur. Pelliculam, hymenem dictam, de qua multa obstetriculæ deblaterant, in virginibus naturaliter constitutis nullo modo reperiri inquit Paulus Zacch. *l. a. Tom. 3. Consil. 41. f. 74.* Et juxta Guern. Rolfinc. *de Partib. Generat. cap. 40. p. 190.* in recens natis hymenis apparuere vestigia, in adultioribus rarissima est avis. Quare ex hymenis defectu sive absentia ad prægressum coitum seu defloration minime concludi poterit; & juxta Ortlob. *l. a. p. 267.* ficulneum sane argumentum ab hymenis absentia pro defloratione affirmanda desumitur, cum etiam in illis desiderari possit, quæ viri amplexus non sustinuerunt. Juxta Dan. Sennert. *Pract. Lib. 4. Part. 2. Sect. 3. cap. 1. p. 209.* hymen in omnibus virginibus non reperitur, idque ideo,

quod veneris ſtimulis agitatæ virgines interdum digito indito vel alio modo coalitum & membranam in cervice uteri rumpunt; interdum etiam imprudentes obſtetrices eundem violant, quod nonnunquam & per effluxum humorum fieri poteſt. Theodorus Craan *de Homin. cap. 164. p. 724.* ſcribit, hymenis abſentiam eſſe vulgo notam virginitatis amiſſæ, ſed tamen non ſemper, quoniam vidimus per corroſivos humores eam poſſe eſſe abſumptam, eam digitis eſſe fractam, ita ut virginitas adeſſe poſsit absque præſentia hujus membranæ. Sic Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. 2. cap. 35. fol. 194.* ad quæſtionem: Quod ſi membrana hymen defuerit, dicesne virginem corruptam? ita reſpondet: interdum hymen in puellis levi de cauſa laceratur, in aliis ad primam menſtruorum eruptionem perſeverat, poſtea madefactus quavis occaſione deletur; qui ſi evanuerit, non propterea judicabis violatam eſſe virginem &c. Secundum verba Isbrandi de Diemerbroc *Anat. Lib. 1. cap. 26. fol. m. 149.* ad quæſtionem, an abſentia hymenis corruptam virginitatem indicet? laſcivæ puellæ membranam iſtam inopinatam effringunt, dum venereis ſtimulis agitatæ digito aliove immiſſo inſtrumento, coitum imitantur. Præterea nonnullis adeo tenuis & mollis eſt, ut in primo coitu facile dehiſcens, nec obſtaculo aliquo ſponſum offendat, nec etiam ſanguinem profundat. Adde, quod etiam ab acrium humorum tranſitu corrodi, vel caſu, ictu aut in hyſterica paſsione ab obſtetricis immiſſo digito disrumpi poſsit. Juxta Michael. Albert. *Jurisprud. Medic. cap. 3. §. 3. p. 63.* poteſt hymenis perruptio, quando illius certa veſtigia adſunt, cauſa læſæ virginitatis eſſe. De hac quæſtione, num ex abſentia eugii de virginalis clauſtri violatione jure dubitari poſsit? ita ſcribit Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib. 4. Tract. 1. cap. 2. p. 454. ſeq.* quemadmodum hymene integro, ut ſtatutum eſt, virginalis cuſtodia inviolata utplurimum permanet, ita abſente eodem virginei clauſtri corruptio ſignari deberet; paritas enim æque videtur incedere, perinde enim ac valet hæc theſis: Solis præſentia diem facit, abſentia noctem;

ctem; ita valere deberet hæc propositio: Hymenis præsentia virginitatis candorem, absentia corruptionem præsignat. Verum paritate & similitudine non obstantibus asserendum est, hymenis absentiam virginei pudoris haud perpetuo significare corruptelam; id quod verum erit cum tali distinctione; nam carentia hymenis aut est a natura, aut a vi, vel aut est per se, aut per accidens: a natura & per se est, quando haud refertur ab utero hujusmodi membrana; a vi autem, seu per accidens est, quando vel venere vel alia qua vis causa fracta est. Jam privatio per accidens & a vi illata, dubio procul pollutum fuisse virginale claustrum semper arguet, quod nemo ibit inficias: At ejusdem carentia per se & a natura, cum scilicet non est hujusmodi panniculus a virtute formatrice in utero contextus, quis dicat corruptionis esse evidens argumentum? Enimvero vel obstetrices, nedum Anatomici asseverant, membranam hanc in medio muliebrium genitalium semper non reperiri, ut iccirco haud semper primis nuptiis debeat eadem temerari seu disrumpi. Quod cum ita sit, contra positum argumentum nihil probat; tunc enim bona esset illatio seu paritas, quando hymen in cunctis virginibus reperiretur; quocirca nec solis similitudo bona est, siquidem cum dies est, necessario sol est super terram; quando est nox, necessario distat: At cum virgo est, non necessario hymen adest. Quamobrem virginitatis & corruptionis definitio nullo modo per hymenis fractionem aut integritatem afferri sufficienter potest. Sic inquit Nicolaus Venette *l. a. Part. 2. cap. 1. Art. 2. p. 84. seq.* l'absence de l'hymen, n'est point une marque evidente de la prostitution d'une fille. Et *p. 85.* pergit idem: celles filles, qui n'ont point naturellement d'hymen, ny de membranes, qui lient les caroncules de leurs parties, les unes aux autres, ne sont pas moins chastes, ny moins pudiques, pour avoir des marques contraires à celles, dont on se sert le plus souvent pour connoitre la virginité des filles. Variis etiam rationibus Casparus Bravo de Sobremont *l. a. p. 207. seq.* probat, hymenem non esse accidens proprium virginitati quarto

modo, nec de illius essentia. Et Vitus Riedlinus *Linear. med. an. 1696. Mens. Jun. Obs. 17. pag. 283.* inquit: quod dubia & incerta sint virginitatis signa, unanimi ferme ore omnes testantur Autores, licet enim varia narrentur, nullum tamen sufficiens esse, facile probatur. Hymenis quidem præsentia non omnino rejicienda esse videtur, aſt quis ex ejusdem absentia indubitato de virginitate amissa testabitur? cum variis modis virginitate plane intacta, læ-di posset. Et Franciscus Torreblanca *de Magia Lib. 2. cap. 19. p. 219. seq.* scribit: in virginitatis amisſione seu virginis stupratione membrum non rumpi, verum est, quia in ore vulvæ, neque in aliqua ejus parte aliquid est in custodiam virginitatis, quod destruat violator; unde si qua membranula in aliquibus reperitur, morbosa est & non propterea signum virginitatis, quia ex vitio conformationis contingeret. De quæstione, num ob absentiam hymenis sponsus sponsam repellere queat, vid. Henr. Kornmann. *de Jur. Virginit. cap. 31. p. m. 95. seq.*

§. 6.

An ex hymenis præsentia virginitas probetur?

Majori econtra firmitudine judicare equidem videntur, qui ex dictæ membranæ seu hymenis, licet rarissime deprehendatur, præsentia infallibilem illibatæ virginitatis certitudinem confirmare solent, uti præter veteres ex recentioribus scribit Johannes Case *Compend. anat. Lib. 3. de Gener. p. 172.* scilicet in quibus zona castitatis seu hymen invenitur, certissimum virginitatis signum præbet, sed primo hominis seu viri congressu violari necesse est, & effusio sanguinis maxima ex parte sequitur, & flos virginitatis vulgo dicitur. Secundum Thom. Bartholin. *Anat. Lib. 1. cap. 31. p. 282.* hymen seu membrana eugion dicta, clausstrum virginale aliis appellatur, item flos virginitatis, quia, cum adest, virginitatis nota est. Et Dominicus Panarolus, (qui semper in puellis hymen reperiri statuit,) *Pentec. 4. Obs. 4. pag. m. 176.* inquit: cum hymen adest, adest certa virginitatis nota; ideoque etiam juvenis quidam, qui puellam novem circiter annorum stupraſſe credebatur, ob repertam, in inspectione puellæ, hanc membranam, liber evadebat,

debat, quia dictus Panarolus illam puellam virginem esse deponebat. Pari modo etiam Johannes Casparus Westphalus puellam decennalem, quem vitricus defloraſſe accuſabatur, ob tenuem membranam retro labia vulvæ, in fine vaginæ uteri dictæ puellæ inventam, figuram circuli rotundi & in medio rimulam oblongam habentem, pro non deflorata ideo judicat, quia per rimulam hanc penis erectus intrudi non potuerit, ſed membrana ipſa una cum vaſis ſanguiferis inſigniter rubeſcentibus, quibus obſita conſpiciebatur membrana, neceſſario dilacerata fuiſſet; multo minus absque membranæ hujus disruptione vitricus penem vaginæ uterinæ immittere, eoque orificium ureri internum attingere potuiſſet. vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. med. legal. Caſ. 8. p. 231.*

§. 7.

Utrum vero hymenis præſentia ſemper illibatæ virginitatis ſignum infallibile præbeat, adhuc incertum videtur, cum juxta Joh. Frid. Ortlob. *l. a. p. 267.* talis membrana abſolutam congreſſus ſeu cohabitationis ἀδυναμίαν exinde vix inferre videatur, quod feminas imperforatas ſeu atretas ſine penis immiſſione concepiſſe varii Autores teſtentur, qualia exempla non modo in Spermatologia noſtra *cap. 10. §. 19. p. 480. ſeq.* recenſuimus, ſed plura quoque alibi, ubi de atretis in ſpecie agemus, adducturi ſumus. Si proinde in atretis craſſa ſatis membrana, quæ ipſarum cunnum ſeu uteri vaginam quandoque occludit, hacque ratione penis quidem immiſſionem, non autem ſemper, ſecundum ejusmodi exempla, conceptionem impedit, nullum certum illæſæ virginitatis ſignum præbet; cur non etiam per hymenem, qui ab Anatomicis tanquam membrana tenuis, mollis, aliquantiſper aperta & perforata deſcribitur, ſi quando adeſſet in puellis, pro differentia foraminis in hymene, nunc majoris, nunc minoris, imprimis ſi violatoris mentula non nimis craſſa, ſed gracilis vel ſubtilis ſit, pari modo virginitatis læſio atque conceptio expectari ſeu timeri poterit, cum præprimis tales membranulæ ob affluxum humorum non modo in titillatione venerea, ſed tempore quoque men- *Negatur.*

ſtruationis, ita laxentur, ut proxime poſt illud tempus, virile membrum, niſi nimis craſſum fuerit, admittere poſſint, quod tamen alio tempore absque dilaceratione impoſſibile eſſet.

§. 8.

Relaxatur membrana. Relaxari autem dictam membranam tempore menſtruationis, binis exemplis confirmat Severinus Pinæus *de Not. Virginit. Lib. 1. cap. 6. p. 56. ſeq.* cujus verba hoc loco inſerere liceat: Certiſſimum eſt, inquit, omnes virgines, quamvis ætatem nubilem attigerint coitumque exoptaverint, primos congreſſus habere difficiles, & dolores pati, alias aliis majores, propter membranarum lacerationem atque ſinus & ejus orificii anguſtorum neceſſariam dilatationem, quæ fiunt in primis conflictibus venereis, niſi menſtrua eo temporis momento fluant, duobusque tribus quatuorve diebus ante fluxerint. In his enim nulla eſt fere penis intromittendi viris & admittendi virginibus difficultas, propter partium præhumidarum relaxationem atque lubricitatem, ita ut membranæ carnoſæ carunculis interpoſitæ minimo cum negotio & nullo fere dolore dilatentur, cedantque ſubeunti mentulæ potius, quam lacerentur. Unde quidam nuptarum ſuarum alioquin caſtiſſimarum puellarum ſuſpectam habuerunt virginitatem, ad cujus contextus probationem hiſtorias duas vere comicas ſubjungere atque conſcribere placet, quarum prima talis eſt. Nobilis quidam jurisperitiſſimus domiſellam ſexdecim annos natam, virginem caſtiſſimam, in uxorem duxerat, quæ nuptiarum tempore & die menſes patiebatur, paſſaque fuerat tribus ante, ut poſtea duobus adhuc diebus continuis ei fluxerint. Is autem fluoris ignarus, cum præ cupiditate æſtuaret libidinis ſatiandæ & nuptam arderet, veſpere facto, quamprimum in thoro cum ea dormiturus decubuit. Verum ſopori minus, quam veneri uterque addictus, ſtatim ſuam nobilis aggreſſus eſt, quam primo inſultu & vix ſalutato hymene compreſſit ſubiitque facile: hinc maritus triſtis effectus ſuſpectam uxoris, alioquin pudicæ, habuit

Coitus tempore menſtruationis facilis ſponſoque ſuſpectus.

habuit castitatem. Mane autem summo venit socrus genero dicens, se admodum ægre tulisse tota nocte, quod superiori die non eum monuerit, suæ filiæ ante tres dies menstrua abunde fluxisse, fluereque adhuc. Quod cum sit, dixit illa, abstinere viros ab hujusmodi virginum & mulierum consortio, toto purgationis tempore, propter multa, quæ inde sequuntur, incommoda. Quare, mi fili, inquit, illa, cum filia mea nondum munda sit, si mihi credas, solus ad aliquot dies dormies aut saltem ab ea abstinebis. Quibus verbis libenter annuit recenter uxoratus, cujus animum multæ opiniones exangebant. Modo enim de relinquenda uxore tacitus cogitabat, modo de lite movenda pro dissolutione matrimonii, facilius sua opinione & judicio consummati, existimans fortasse tantis deliciis nefas esse absque labore frui. In his autem dum versaretur dubius, purgatio domisellæ absolvitur, ipsaque nullius culpæ sibi conscia & tantæ mariti mœstitiæ ignara lætatur, postque paratam munditiem jacuerunt una, sed perperam prima ac altera nocte rem habere conati sunt, unde utrique conjugi gravius quam antea malum accidit. Sed tertio die tandem voti compotes facti lætati sunt, quiete & amice postea vixerunt, prolemque habuerunt fœcundisimam.

§. 9.

Altera historia est de mercatore, qui pro secunda vice matrimonium contraxerat, cum virgine evsarca, duos & viginti annos nata. Horum autem nuptiæ factæ sunt, cubuerunt simul fluentibus adhuc menstruis purgationibus; rem semel habuerunt, sed ita facile, liberaliter & opportune egerunt, ut ex virgine facta sit mulier, quæ eodem temporis momento concepit gravidaque ipsa fuit. Postridie vero nuptiarum maritus mane summo surrexit, atque ad merces emendas cum suis sociis rura satis longinqua petiit, nec reversus est ante vigesimum diem. Is dum ruri esset rerumque suarum satageret, in memoriam sæpius revocabat facilem, quem habuerat unicum, cum uxore nova congressum, nec omnino suspicione castitatis ejusdem vacabat, quamvis, *Aliud exemplum.*

ob

ob amantissimæ uxoris & parentum famam hac de re conqueri unquam non decrevisset. Reversus vero domum ipse & uxor dormierunt simul, sed rem habere tentarunt frustra ista prima vice, propter angustius multo redditum, quam antea, sinus pudoris orificium, post fluxionem menstruorum & partium pudendarum exsiccationem: Qui propterea mirari non desinit, contra plurimum torquetur, & apud amicum quendam conqueritur dicens, se facilius cum uxore, dum virgo esset, difficilius vero cum eadem gravida convenisse. Nesciebat autem dictus mercator, istas partes sicut & alia corpora membranosa, quæ humectantur, plurimum dilatari & extendi posse, & cum exsiccantur, constrictiores & angustiores fieri. Quare virgo corruptam & corrupta ei virginem referebat. Nec mirum hoc cuiquam videri debet; etenim virgines, quæ semel tantum aut bis coierunt, idque fluentibus menstruis, verius dilatationem solam, eamque parvam, quam laceratiouem simul ullam passæ fuerunt &c.

§. 10.

Observatio. Ad quæstionem, quando non abrumpatur hymen primo coitu? ita respondet Franciscus Plazzonus *de Part. Generat. Lib. 2. cap. 5. p. 119.* etsi utplurimum hæc membrana primo coitu abrumpi & sanguis effundi soleat & debeat, attamen secus fieri potest in quinque casibus. Primo, si virgo membranam obtineat transverse incisam, non foramine rotundo præditam, tunc enim non fit ruptio, sed tantum dilatatio. Deinde si collum uteri admodum amplum sit, & penis non satis crassus. Præterea si mas dextre penem immittat, nec impetu dominante per devia feratur. Adhæc si virgo passa sit procidentiam uteri, unde hymenis ruptio, vel si ex curiositate aut petulantia immisso digito, vel alio instrumento, abruptum sit. Denique tempore menstruorum, aut non longe post, tunc enim partes illæ relaxantur, & penis facile intromittitur. Ex quibus omnibus patet, non posse certissima & omni exceptione majora sumi signa imminutæ vel integræ virginitatis, ex sanguinis profusione, cum is aliquando non profluat.

§. 11. Imo

§. II.

Imo non solum in virginibus adultis, sed etiam defloratis hymenem reperiri, sentire videtur Gerardus Blasius *Observ. anat. pract. p. 25. seq.* Hymenis, inquiens, alia longe constitutio, aliaque figura in recenter natis abortivisve fœtibus, quam in adultioribus, imo non eadem in virginibus atque defloratis, imprimis quæ jam semel pluriesve peperere. Et *pag. seq.* differentiam hymenis inter virgines & defloratas hanc ponit: in adultis virginibus membrana hæc glandulis pluribus figura atque magnitudine diversisimis incrassata, latior tamen ejus extensio etiam parte superiore, ductui urinario subjecta, adeoque hymen hic circulum membranaceo-glanduloſum constituit, circa superiora, ubi ductui urinario vicinior, ingressum inserendis atque egressum emittendis concedentem. In defloratis, ast quæ nondum peperunt, apertura hæc manifesta magis, haud tamen æqualis hæc omnibus modis, ac si foramen exacte rotundum sese exhiberet, sed vero inæqualis admodum est circulus dictus, & quasi serratus, forsan ob variarum glandularum membranæ huic inhærentium diversam resistentiam posituramque, sic ut uno loco molliores eæ sint, alio duriores, uno glanduloſa magis membrana hæc sit, alio membranosior, facilius adeoque difficiliusve vel cedat virili membro, vel resistat, rumpatur aut integra permaneat. Porro dictus Blasius *pag. 27 & 29. seq. Tab. 2. fig. 9.* hymenem, qualem in defloratā non una se observasse scribit, depingi curavit. Quod si proinde juxta allegatum Autorem etiam in defloratis hymen supermaneret, difficillime sane illibata virgo a defloratā distingui, sicque tam ex hymenis absentia, quam ejusdem præsentia nihil certi de virginitate judicari poterit. Hinc etiam scribit Hieronymus Capivaccius *Practic. Medicin. Lib. 4. cap. 11. p. m. 859.* absentia hymenis non arguit, mulierem esse defloratam, nec præsentia certum est virginitatis indicium; nam si foramen sit amplius, seminis ingressus non impeditur, maxime si virile pudendum non admodum vastum, muliebre autem peramplum sit, & juxta verba

Hymenem in defloratis reperiri.

Georgii Franci de Franck *Satyr. 1. §. 3. p. 1.* hymen si abest, non defloration em, nec, si adest, integritatem certo probat, vid. etiam *p. 15. seqq.* Prolixe etiam de quæstione, an hymen virginitatis indicium in omnibus virginibus appareat? agit Daniel Sennertus *Prax. Lib. 4. Part. 2. Sect. 3. cap. 1. Quæst. 1. p. 205. seqq.* Secundum Jul. Cæs. Scalig. *de Subtilit. Exercit. 175. p. 541.* est in Atlantis jugis occidentalibus radix quædam, super qua si virgines, quæ præsunt pascuis, sedeant aut urinam faciant, eis perinde rumpi naturæ membranam, atque si a viro fuerint vitiatæ. Et nella terra d'Agropoli provincia del Regno di Napoli, le donzelle, quando sono di dodici anni, perdono la virginita, per la mollitie dell'aria, uti ex Henr. Baccio refert Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. 2. cap. 25. fol. m. 195.* Exempla conceptionis integro manente hymene infra recensentur. Inquit etiam Nicolaus Venette *l. a. p. 85.* une servante n'avoit pû estre deflorée par tous ses ecoliers, & une autre jeune femme d'un orfevre de Paris devint grosse, sans que l'hymen fust dechiré, n'estoient pas plus vierges l'une que l'autre, quoy qu'elles eussent des marques de virginité.

CAPUT V.

De Signo Virginitatis ex Vaginæ angustia.

§. 1.

An ex vaginæ angustia? coarctatione? a caruncu-lis?

SIcuti autem, secundum allegatos Autores, hymenem non omnes Anatomici in membrana, ante vaginæ uterinæ ingressum expansa hactenusque sub nomine hymenis descripta, sed alii potius eundem in ipsius vaginæ coarctatione & anguſtia naturali, modo a carunculis myrtiformibus earumque tenui membranula, in vagina reperibilibus, modo ab ipsius vaginæ coalitu, oriunda, consistere defendunt; ita etiam, rejecta seu excluſa nota hymenis membrana, virginitatis signum in hac coarctatione vel coalitu, ac impedito, atque non nisi magno nisu seu violentia & cruentatione aperiendo vaginæ ingressu quærere solent. Ubi præter adductos Autores confirmant alii, v. g. Casparus a Reies *l. a. Qu. 39. n. 18.*

n. 18. p. m. 480. inquiens, seduli naturæ indagatores aciem acuentes & diligenter virginitatis clausstrum inquirentes, hoc consistere ajunt in quatuor carunculis myrtiformibus, membranis quibusdam coeuntibus, caryophylli, nondum explicati, similitudinem habentibus, aut calicis parvæ rosæ semi expansæ formam referentibus, in quibus virgineum florem præcipue consistere autumant, unde fortasis apud antiquos flos dicta, & hinc orta phrasis, deflorare virginem, quod pudicitiam expugnare significat. Utcunque sit, cæterorum opiniones omittimus, & clausstrum virginale in coalitu partium illarum, tanquam via minime usitata (quod necessario in omnibus concedi debet, in menstruorum diutino effluxu humorumve illuvie, aut aliter laxentur) reponendum censemus; nullamque tunicam membranamve in pudendi medio naturaliter agnoscimus, sed bene carunculorum illam connexionem inter se cohærentium, quas violentus concubitus, qualis primus, est, atterat & laceret: unde ex venarum coalitu dissoluto sanguis promanet, cujus effluvium in primo coitu desideratur. Marguerite du Tertre *dans l' Instruction des Sages femmes p. 13.* ita de virginitate scribit: Comment connoissez vous, qu'une fille est pucelle? Je le connoit par les caroncules, les quelles doivent être jointes & unies ensemble, à la reserve du milieu, ou il doit y avoir un petit trou deux fois ausi apparent, que le conduit de l'urine, & quelque fois un peu plus; mais quand elles sont divisées & separées l'une de l'autre, elle n'est plus pucelle: ce que l'on ne doit pourtant jamais determiner, qu'avec grand connoissance. Carunculas signum virginitatis constituere, ait Paulus Zacchias *Quæst. med. leg. Tom. 3. Consil. 34. fol. 62. v. etiam Tom. 1. Lib. 4. Tit. 2. Qu. 2. n. 6. f. 378.* Idem defendit Vopiscus Fortunatus Plempius *Fundam. Medicin. Lib. 2. cap. 9. fol. 139.* his verbis: Meatui colli vesicæ, per quem urina emittitur, proxime adstant circumquaque in quatuor angulis sinus, quatuor carunculæ, myrtiformes dictæ, quæ in virginibus rotundæ sunt; in defloratis etiam visibiles, sed attritæ ac flaccidæ. Has

carunculas connectit interjecta membrana quædam partim carnosa, partim nervosa, mediocriter crassa, in medio pertusa foramine instar oblongioris annuli, quod in adultis minimum digitum facile admittit. Hæc membrana hymen est: de qua quot extant scriptorum somnia, quot affaniæ! Res se simpliciter, & vere eo, quo enarramus, modo habet semper in omnibus virginibus, reveraque est signum virginitatis: adeo ut, quibus illa membrana non adest, defloratæ sint. Defloratæ, inquam, non necessario a viro, sed vel ab hoc, vel petulanti manu aliove instrumento, vel a procidente uteri corpore rupta membrana, vel erosa a transitu acrium humorum, quæ tamen etiam defforationes dici debent, quippe in quibus vitietur & destruatur virginitatis flos; vere ita nominatus, quia membrana hymen cum carunculis myrtiformibus corrugata speciem calicis parvæ rosæ semi expansæ sat belle refert. Hæc membrana primo concubitu rumpi solet; quo fit, ut sanguis tunc temporis effundatur: quod est certum virginitatis indicium. Juxta verba Christiani Johannis Langii *Physiol. Thes. 37. Oper. Part. 1. fol. 219.* consistit virginitas physice considerata h. e. prout apparet in locis genitalibus, in sola ostii vaginæ uterinæ angustia, formata a rigidulis quibusdam plicis (quas myrtiformes carunculas aliqui Anatomicorum dicunt) circa positis, & membrana quadam satis conspicua ad germinantis floris formam consertis. Et Petrus Dionis *Anatom. Demonstr. 4. Sect. 2. p. 242.* scribit: Inficias ire non contendo, quin aliquod virginitatis signum detur; quin prima carnalis copulatio ægre in utroque sexu quandoque procedat; quin possint in ea sanguinis aliquot guttulæ interdum effundi; quin feminæ illibatæ doloris tantillum primis accessibus viri persentiscant; sed id eo, quo putant, modo fieri non autumo, scilicet membranæ hymenis imaginariæ disruptione atque laceratione; multo probabilius censeri potest id fieri, dum penis ingredi annititur & myrtiformibus carunculis vim facit, membranulasque, quibus simul junctæ continentur, rumpit atque dilacerat, his enim ejusmodi rima valde coarctatur.

ctatur. En igitur, in quo virginitatis signa genuina exhibeantur. Et secundum verba Dionis *dans le Cours d'Operat. de Chirurgie Demonstrat. 3. p. 191.* Il y a d'ordinaire de petits filets membraneux, qui tiennent les quatre caroncules comme liées ensemble, & qui le serrant font qu'elles ressemblent á un bouton de rose à demy epanouy: ce sont ces fibrilles, qui en se rompant à la premiere approche du mari, lorsque la verge les force pour entrer versent quelque fois des goutes de sang, ce qui est la marque du pucelage. Claustrum virginale in dictis quatuor carunculis in coronam collocatis, interventu parvularum fibrarum ad invicem circulariter ita corrugatis, ut in medio foramen relinquant reperiri statuit Johannes Jonstonus *Thaumatogr. Class. 10. cap. 5. p. 466.* item Franciscus Sylvius *Dictat. ad Casp. Barthol. Institut. anat. cap. 31. Oper. fol. m. 682.*

§. 2.

Huic tamen sententiæ, quod scilicet ex dictis carunculis virginitatis signum desumi queat, varii Autores, *in Organ. Muliebr. Sect. 2. cap. 3. §. 3. & cap. 5. §. 16. & 75.* allegati, partim dictas carunculas penitus negando, partim alias rationes adducendo contradixerunt, quo benevolum lectorem remittimus. Inquit etiam Michael Alberti *Jurispr. med. cap. 3. §. 6. p. 64. seq.* Quidam Anatomici nonnullas notas harum caruncularum allegant, quæ ad virginitatem spectare dicuntur, quod videlicet in virginibus carunculæ illæ sint crasiores, quasi inflatæ, rubicundæ inter se adhærentes & tenuissimis membranulis colligatæ, quæ notæ in defloratis deficere dicuntur. Ubi tamen observandum est, an ejusmodi feminæ non adversa laborarint valetudine, quæ perinde hisce notis æquivocationem inducit. *Observatio.*

§. 3.

Non minorem virginitatis notam alii Autores a vaginæ uterinæ arctitudinis ejusque rugositatis (in qua nonnulli caruncul as quoque myrtiformes consistere statuunt) conditione desumunt, quia in virginum illibatarum vagina, multæ reperiuntur plicæ, ab *An ex arctitudine a plicis seu rugositatibus?*

interiori ejusdem tunica formatæ, quæ dictum canalem reddunt anguſtiorem. Econtra vero iteratis congreſsibus in uxoribus & meretricibus dictæ plicæ admodum diſtenduntur atque adeo a ſe invicem divelluntur, ut minus evidentes reddantur, quandoque etiam penitus deleantur. Unde ex dictarum plicarum præſentia & magnitudine ad virginitatem, ex defectu vero ad defloration nem concludunt. Secundum Joh. Maur. Hoffmann. *Id. Machin. hum. Sect. 12. p. 99.* vagina uterina prope ſuum extremum oſtendit in puellis & feminis illibato virginitatis decore defunctis, nec laſcivo genitalium contractu tentatis orificium externum membranoſis rugoſitatibus circumvallatum & anguſtum, & ſagaciores naturæ conſulti quatuor carunculas myrtiformes extremas vaginæ rugas membranaceas prominulas eſſe declarant. Quod tamen ſignum in teſtanda virginitate fallax ſatis & inſufficiens eſſe judicat Johannes Fridericus Ortlob *l. a. p. 267.* Quemadmodum enim frenum Riolani, firmitudo ſcilicet & remitentia cutis inferiorum in pudendis labiorum, ita etiam rugoſitas uno alterove congreſſu non deletur, præſertim ſi longius dein iterum ab eo abſtinuerint. Obſervamus quippe etiam a partu, quamvis deſtrui animia extenſione ſoleant, & tali in ſtatu interdum maneant, utplurimum tamen iterum in plicas conſuetas reponi.

§. 4.

An a coalitu? Deinde alii Autores, cuncta illa, quæ hactenus allegati & alii Anatomici de virginali membrana ſeu hymene & carunculis tradiderunt, pro meris nugis ac fabulis habentes hanc fovent ſen-

Affirmatur. tentiam, ut, ſi quod virginitatis ſignum in feminarum pudendis poſuerit natura, nullum aliud, quam illarum partium coalitum eſſe crediderint; quaſi nondum venerem expertæ velut conglutinatæ conniveant, usque dum primo concubitu maxime divellantur. Caſp. a Reies *l. a. p. 479.* Hanc opinionem pro vera agnoſcit Rodericus a Caſtro *de Natur. Mulier. Lib. 1. cap. 3. p. m. 9.* inquiens: diligentiores cervicis latera nondum venerem expertis duntaxat quaſi conglutinata connivere, ac anguſtum ibi collum efficere

efficere affirmarunt, quæ primus coitus magna ex parte divellit & quodammodo dilacerat, ideo, ut mulieres ferunt, acerrimus ille est, quorum ego sententiæ libenter subscribo. Nam, ut plerique referunt, & Nicolaus autor est, visæ jam sunt mulieres, quæ post partum, cum obstetrices decoris gratia medicamenta oppido adstringentia adhibuissent, ita clausæ redditæ sunt, ut non potuerint coitum exercere. Et secundum verba Francisci Vallesii *de Sacr. Philosoph. cap. 25. p. m. 153.* certe, ut cuivis dissectionis perito constare potest (quanquam sunt quidam dissectores, qui esse in ore uteri virginibus membranam quandam annuli forma affirmant) nulla pars est in uteri ore aut cervice, quæ virginitatis custodia sit & in corruptione pereat, sed anguſtia tanta & symphysis, seu coalescentia labiorum tanta, ut sine dilaceratione partium, quæ symphysi coierant, admittere virile membrum non possit: quare necesse est, sanguis effluat. Atqui tanta coalescentia earum partium, ut sine dilaceratione id non admittat, naturalis est. Censet etiam Johannes Fernelius *Descript. Part. Corpor. hum. cap. 7. p. m. 24.* latera cervicis nondum venerem expertis duntaxat quasi conglutinata connivere, quæ primus coitus magna ex parte divellit (hæc ipsa verba ex Roderico a Castro, qui eadem absque Fernelii mentione posuit, hac ipsa pagina allegavimus.) Et Francisco Torreblanca *de Magia Lib. 2. cap. 19. p. 220.* pariter virginitas sine ulla membranula est, in sola labiorum compressione, & symphysi, seu coalescentium partium anguſtia, quæ cum sine dilatatione membrum viri admittere nequeant, ex venarum coalescentium ruptione fit dolor & sanguis. Hanc vero parietum vaginæ uterinæ conglutinationem dubiam reddit & Andreas Vesalius, qui *Anat. Lib. 5. cap. 15. fol. m. 410.* nullum in virginibus internæ cervicis uteri superficiei laterum ad invicem esse connexum statuit; item observatio Andreæ Laurentii *Anat. Lib. 7. Qu. 13. fol. m. 279.* ubi scribit: si externas pudendi partes fistula inflaveris, videbis & alas & carunculas contrahi, cervicem autem totam seu pudoris sinum patere, ut ab ore externo seu vulva ad internum os uteri

negatur.

uteri liber sit aditus. Si proinde a solo flatu tota vagina uteri ita aperitur, ut internum uteri orificium conspici queat, certe etiam ejusmodi partium seu parietum conglutinatio, a qua in primo coitu tantus dolor sanguinisque effluxus oriatur, timenda aut præsupponenda nequaquam erit, quanquam interdum talis coalitus post quandam erosionem præter naturam contingere possit.

§. 5.

An ex angustia naturali?

Præter hanc vaginæ uterinæ a carunculis myrtiformibus & laterum coalescentia dependentem coarctationem, vulgo adhuc aliam virginitatis notam ex vaginæ orificii angustia externa, & foramine rotundo, pariter ut ex ejusdem ampliatione defloration-nem, seu virginitatis læsionem desumunt. Inquit enim Michael Ettmüllerus *Oper. Part. 2. fol. m. 1040.* in minore vel majore orificii uteri externi, & ipsi continuatæ vaginæ angustia, vel majore & minore amplitudine, naturalis & physica consistit virginitas. In congressu enim nulla alia in muliebribus genitalibus fit mutatio, nisi quod eadem a virili membro dilatentur, & ita ampliora fiant, quæ antea angustioribus circumscribebantur terminis: idque eo magis, quo crebrius repetatur congressus. Hanc angustiam juxta Melchiorem Sebizium *de Not. Virginit. p. 369.* obstetrices dicunt tantam esse, ut vix ovum columbinum admittat. Nam amplitudo si fuerit major, corruptionis signum esse dictitant. Unde secundum Guerner. Rolfinc. *l. a.* nobilis Capitaneus retulit, se noluisse sponsam suam prima nocte inire, sed primum oculari curiositate, an virgo esset, disquirere. Rogatus modum explorationis respondit: se sequente mane in sylvam duxisse dilectam & super cespite viridi deprehendisse sinus muliebris introitum orbicularem, sicque habuisse pro illibata. Quam fallax judicium! addit Rolfincius. In filia viginti quatuor circiter annos nata deductis a se invicem vulvæ labris in inferiori pudendi parte Regnerus de Graaf altum conspexit frenulum, pauloque interius membranosas rugositates, circum vaginæ orificium orbiculatim existentes ita dilatatas offendit, ut membranosus quidam circulus rema-

remaneret, quem virile membrum absque dilaceratione subire neutiquam potuisset. Hanc vaginæ orificii coarctationem in omnibus junioribus virginibus, ab ipso dissectis, satis clare conspexit, magis ac minus, prout magis ac minus nubiles existerent, quæ enim sunt admodum maturæ, haud tantam habent, quantam tenellæ, coarctationem: atque propterea in primo coitu non tanto afficiuntur dolore, nec tam frequenter sanguinem emittunt, quam juniores, in quibus coarctatio illa plerumque tanta existit, ut, cum fortiori priapo dilatari satis nequeat, dilaceretur, in eaque vasorum sanguineorum contextus disrumpatur, quod semper contingere judicat Graafius, quotiescunque primus coitus cum dolore sanguinolentus evadit, *de Mulier. Organ. p. 191. seq.* Inquit etiam Philippus Verheyen *Anatom. Tr. 2. cap. 30. p. 209.* se in nuper natis orificium vaginæ per membranaceas corrugationes miro modo reperisse constrictum; in pubere cum proportione magis patens, auctis quidem, sed non conformiter ad latitudinem orificii, dictis rugis seu plicis; quæ nihilominus ita disponi poterant, ut circulum membranosum aliquo modo repræsentarent. Hermanno Friderico Teichmeyero *Instit. Medic. leg. cap. 4 p. 23. seq.* rugositas & arctitudo vaginæ, quæ ex eo se fundamento exserit, quoniam a mentula nunquam expansæ fuerint, secundum virginitatis signum est. Quæ tamen arctitudo variat 1) ratione ætatis, 2) ratione temperamenti humidioris, siccioris & libidinosi oris, 3) ratione conformationis, juxta quam etiam hæ inter se magnitudine & amplitudine differunt, 4) ratione fluxus menstrui antecedanei, 5) ratione morborum, v. g. quando fluore laborant albo, vel in statu cachectico & cacochymico constitutæ aut chlorosi afficiuntur. Angustiam hujus orificii etiam confirmat Isbrandus Diemerbroc. *Anat. Lib. 1. cap. 26. fol. m. 147.* Vagina, inquiens, in infantibus notabilem habet capacitatem, quamvis ejus orificium angustissimum sit; quod etiam in adultis, præcipue non vitiatis, singularem habet angustiam, quæ in primo coitu cum hymenis ruptione, mediocriter dilatatur.

Consistere quoque Paulo Ammanno *Irenic. p. 129. seq.* videtur virginitas in clausura vel adstrictione & angustia naturali, quæ per fibras circulares eundem in modum genitalia muliebria constringit, quo podex, quando sese post excretionem fæcum beneficio sphincteris, ab augusto in angustum quasi conum corrugat, talis contextus quoque fibrarum constituit claustrum virginale. Econtra post violationem hoc orificium in puellis dilatatum apparet, qualia exempla recenset Felix Platerus *Observ. medic. Lib. 3. p. m. 599. seq.* nimirum rusticus quidam accusatus a vicina, eum puellam octo annorum compressisse, in carcerem conjectus, cum factum negaret, puella adducta examinataque, primum, uti astuta erat, inficiebatur, donec promissionibus tandem & minis adacta confiteretur, rusticum illum se in horreum, pane mellito allectam, indeque in vicino cubiculo, lecto impositam denudatamque re quadam dura, circa femora adeo pressisse, ut dolorem aliquem inde, qui tamen non diu duravit, senserit. Cæterum cum ab obstetricibus, Platero præsente, insuper inspiceretur, deprehenderunt orificium exterius uteri plus, quam ea ætate deberet, dilatatum hiare & rubere, ex quo vim illic ex congressu eam passam esse, etsi non penitus corrupta devirginataque fuerit, judicarunt. Duæ aliæ puellæ, quarum una septem, altera novem annorum, non semel, sed aliquoties, donis allectæ, passæ sunt se a duobus subagitari, quorum unus septuaginta sex annorum erat, alter virili ætate. In utraque puella introitus orificii uteri dilatatus erat, sicuti in feminis, quæ marito consueverunt, esse solet. Item aliam puellam quinque annorum, præsentibus obstetricibus, cum jussu magistratus Platerus inspiceret, quam a patre suo corruptam aliquæ testabantur, similiter orificium cervicis dilatatum adeo, ut facile illum admittere potuerit, deprehendit, & proin vim quoque illi illatam, præsertim cum circumstantias aliquas enarraret, factum confirmantes, judicavit: paterque fuga sibi consulens, nec amplius reversus, horrendi hujus criminis se reum fecit.

§. 6. Quam-

§. 6.

Quamvis autem talem orificii externi dilatationem cum macula rubicunda seu sugillata aliquoties mihi ipsi in puellis a pueris petulanter vexatis, non diu postactum venereum observare licuerit, vix tamen dicta dilatatio ex variis sequentibus causis pro certo virginitatis læsæ, neque etiam anguſtia naturalis pro illibatæ castitatis signo haberi poterit: Dicta enim anguſtia non modo ratione ætatis differt, quia in parvulis puellis totam fere vaginam occludit, in puellis vero adultioribus atque virginibus maturis paulo laxior atque major est, uti ex figuris a Regnero de Graaf *de Organ. Mulier. cap. 5. Oper. pag. m. 208. seq.* communicatis observare licet. Sed etiam differt ratione instrumenti, seu membri virilis, dictam anguſtiam aperientis; prout enim in hanc coarctationem, seu foramen, majus vel minus membrum intruditur, ex ipsius quoque proportione, atque frequentiore coitu, major vel minor anguſtia vel dilatatio remanet, ex qua de vi externa vel etiam virginum defloratione aliquatenus judicare vel suspicari tantummodo licet, cum talis dilatatio ab aliis quoque causis accidere possit. Interdum etiam virgines natura amplum habent ingressum, ex quo tamen nihil mali suspicandum est; ideo inquit Nicolaus Venette *l. a. p. 42.* il ne faut pas toujours mal juger des filles, qui sont fort-ouvertes, puis qu'il y en a, qui ont naturellement le conduit de la pudeur aussi larges, que les femmes, qui ont eu plusieurs enfantes. Quod confirmant etiam alii medici: quamvis enim obstetrices uteri cervicem ampliorem esse ac multo magis hiare corruptis, virginibus contra anguſtiorem & contractiorem esse judicent, fallacem tamen hanc virginitatis notam esse affirmat Ambrosius Paræus *de Renunciat. fol. 651.* Monet etiam Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib. 1. l. a.* orificii vaginæ uterinæ anguſtiam in primo quidem coitu mediocriter dilatari, sed tamen in mulieribus rariore venere utentibus talem manere, ut virilis penis quasi per laxiusculum aliquem sphincterem musculum versus vaginam interiorem transeat. Interim

Negatur.

coarctationis signum virginitatem non demonstrare, ex eo probat Bravo de Sobremont *l. a. Sect. 5. p. 205.* quod coarctatio sinus pudoris in muliere non est accidens quarto modo proprium virginitatis, nec omni, soli & semper, virgini convenit. Nam sicut datur uteri clausura morbosa præter communem virginum adstrictionem, datur dilatatio in virgine ab errore conformatricis, & in provectiore ætate etiam coarctatio virginitatis dilatatur a natura, vel ob venereum appetitum, vel a menstrua purgatione per aliquos dies laxantur viæ, ita ut virgo appareat femina facta, vel si intemperie gaudeat humidiori, & vel ex superveniente pituitosa purgatione uteri, ut in menstruis albis, vel si humidis balneis humectetur, vel si laboret ex utero, vel aliis modis sine coitu clausstrum aperiat, poterit virgo laxas habere illas partes. Deinde, pergit dictus Autor, coarctatio non convenit soli virgini, quia feminis etiam similis coarctatio a medicamentis adstringentibus accidit, & ex morbis in feminis illæ partes ita coarctari possunt, ut nequeant ulterius congredi cum marito; vidimus post ulcera gallica, callo inducto, hoc feminæ contigisse; & ab ipsa natura solet hæc coarctatio supervenire, si post cruentationem recenter dilaceratæ partes cum sanguine uniantur, & intermisso veneris usu coarctantur. Tertio nec semper colli uteri coarctatio virgini convenit, nam eadem, quæ coarctata fuit, a natura ex propria formatione, potest a morbosa gonorrhœa, & externis humectantibus, vel ab ætate, confricatione aut aliis causis dilatari, etsi virgo permaneat: Ergo coarctatio sinus pudoris non est accidens quarto modo proprium virginitati. Hactenus de Sobremont. Inquit etiam Andreas Ottomarus Gœlicke *Medicin. Forens. Specim. 7. §. 8. p. 126.* uti vaginæ uterinæ angustia non semper virginitatis integritatem probat: ita nec ejusdem laxitas certam & infallibilem defloration*em*, cum coangustatio talis vaginæ artificialibus quoque mediis atque remediis procurari possit. Hanc partium genitalium dilatationem fallax esse defloration*is* argumentum, secundum Joh. Beverovic. *Epistol. Quæst. p. 44.* ex eo patet, quod

sala-

salaciores puellæ sibi eam digito vel aliquo instrumento, formam penis referente, nonnunquam procurent; sed ne amplitudinem semper vitio vertamus, potest quoque in nonnullis naturaliter collum uteri amplum esse. De signis proxime vel diu antecedentis defloration is ex partium harum laxitate desumendis, inquit Julius Cæsar Claudinus *Respons. Medicin. 40 p. 25.* quum forsan dicent medici & obstetrices: recentem defloration em ex partibus colli uteri & pudendi veluti laxis, atque disruptis cognoscemus, progressam ex iisdem veluti induratis distinguemus, atque denique consummatam ex ipsismet, veluti callo obductis deprehendemus? Cum hæc ea sint, quæ aliunde, quam a virili membro provenire possint, disruptio a digitis propriis, seu aliis instrumentis, quibus consuevit utplurimum femina sibi furorem uterinum demulcere, laxatio ab illarum partium humida intemperie, vel ex menstruorum confluxione, durities a siccitate & denique callus a cicatrice, ibidem ulceris occasione nata, ut ex his omnibus totam virginitatem, indubiam defloration em, certum defloration is tempus adstruere, tum medicis, tum mulieribus obstetricibus, nisi divino spiritu suffultis, fuerit denegatum. Juxta verba Caspari a Reies *Quæst. 39. n. 22. p. m. 481.* a causa aliqua externa petulans aliqua ardore coitus irritata partium illarum unionem digitis aut alia re paulatim divellere poterit, ut propterea cum sponso non ita difficilem habeat congressum. Quare tam longe abest, ut indubitatum virginitatis sit signum sanguinis ille fluxus &c.

§. 7.

De hac sinus pudoris anguſtia ita loquitur Johannes Bohn *Aliorum* *Medicin. Forens. Specim. 3. §. 10.* Autopsiæ eandem conformis ma- *sinus* deprehenditur in femellis intemeratæ virginitatis ima sinus muliebris anguſtia, seu arctior hujus parietum per rugositates eminentiores conniventia, laxitas contra atque hiatus latior in venerem expertis, qualem disparitatis notam nonnulli innuunt: Verum hæc quoque phænomena nobis imponere possunt, ut per

ea integram æque pro defloratā, ac corruptam pro integra perperam habeamus. Quatenus primo hæc arctitudo muliebrium pro diversitate ætatis, statura atque constitutionis humidioris & siccioris variat; v. g. in puella duodecim annorum vix digitum minorem, in adolescentulis natu majoribus medium aut indicem admittit; & quæ nunquam aut longius a sui lustratione lunari tributum solvit, præ illa, quæ brevi menstruata fuit, sinu muliebri arctiore gaudet; quemadmodum pariter, quæ siccioris est uteri, præ illa, quæ fluore albo laborat, utpote laxiorum semper genitalium. In specie vero, partium ejusmodi a menstruis brevi antecedaneis relaxationem atque lubricitatem, per quam cum sponsis coeuntes nullam in primo amplexu difficultatem animadverterint, eousque nonnullis impositum esse, ut nuptarum suarum, alioquin castissimarum puellarum, virginitatem in dubium vocarint. Hanc Bohnii & aliorum Medicorum sententiam de partium muliebrium a menstruatione, lubricitate atque dilatatione avtopsia confirmat etiam Adrianus Spigelius *de hum. Corp. fabric. cap. 8.* quo tempore, inquiens, menses instant, uteri os hiare, aliquoties, dum ulcera pudendi ac cervicis uterinæ curavimus, observatum a nobis est, & visum. Vidi etiam tunc madore quodam fœtido relaxari hasce partes, & cervicem ampliorem multo, quam esse solebat alias, comparuisse. Quamobrem mirum nemini videatur, quod a nonnullis nostræ ætatis scriptoribus observatum est, tempore mensium usque adeo laxatas nonnullis fuisse has partes, ut sponsæ, quantumvis virgines revera essent, propterea in jus vocatæ ac pro defloratis habitæ fuerint. Quare si contingat, ut noviter conjugium ingressi de suarum virginitate dubitent, quod vulvam [illegible] laxam invenerint, considerare oportebit, an menses eo tempore institerint. Non autem tantummodo a menstruorum fluxu ordinario dictæ viæ lubricitari atque ampliari solent, sed etiam a continuo fluore albo; ob quam rationem etiam Paulus Zacchias *l. a. Tom. 3. Consil. 34. fol. 62.* juvenem, qui virginem loca ampla ac perpetuo fluxu albo humectata habentem, stu-

prasse

prasse accusabatur, defendit, quod scilicet, ubi mulier loca ampla & humectata habeat, uti prædicta Franciſca, loca appareant per se ipsa ampla & disjuncta, ita ut aliquæ virgines devirginentur absque ulla ampliatione vulvæ. Et hoc contingit maxime, ubi devirginantur post menstruam purgationem immediate, hoc est uno aut altero die. Secundum Joh. Frid. Ortlob. *Histor. Part. Diss. 34. §. 6. p. 267.* differt hæc arctitudo 1) secundum diversam individuorum constitutionem, pro qua, ut reliquæ partes, sic nominatæ etiam, varie inter se magnitudine & amplitudine differunt: 2) in iisdem individuis variat, tum ratione ætatis, qua minores natu & non ita crebro menstruatæ, vix specillum admitterent, dum digitum caperent mediocrem natu grandiores: tum aliorum accidentium, cum fluore muliebri correptæ, aut immediate post mensium fluxum, laxiores, quam instantibus illis & reliquo tempore, esse soleant. Quinimo 3) pro relatione feminarum ad viros varia differt quoque arctitudo, quatenus, quæ cole graciliore instructo laxa, ea magis mentulato arctior videbitur. Et selon Jean Palfyn *descript. des Part. de la Generat. p. 48.* il faut observer, que le *flux menstrual*, les fleurs blanches & les attouchemens, que les filles sont excitées a se faire elles mémes, quand elles commencent à sentir les premiers aiguillons de l' amour, detruisent beaucoup de l'étroitesse, & de l'union des rides membraneuses, & causent un relachement considerable au conduit de la pudeur. On sait de plus, que l'étroitesse de la vulve n'est pas égale dans tous les sujets feminins, & que si une fille, qui a naturellement cette ouverture plus large, ou en qui elle sera élargie par des ecoulemens contre nature, epouse un homme, qui ait la verge fort petite, ou que sa foiblesse naturelle rende incapable d'une forte erection, il se pourra bien faire, que la vulve se dilatera, sans qu' elle souffre aucune douleur, & sans qu' il arrive la moindre hemorrhagie. La méme chose pourra bien arriver, si son epoux l'approche dans le temps de ses purgations, comme il arrive à beaucoup de filles, à qui

la

la joye de leur mariage, & les agitations, qu'elles se donnent en ce tems-la, avancent leur flux menstrual. Notandum etiam, inquit Teichmeyerus *l. 4.* hanc arctitudinem ad maris cujusvis mentulam eadem ratione sese non habere. Mentularum enim crassities, forma & longitudo mirifice differt, luditque hic in specie natura. Unde videre est, hanc arctitudinem 1) non semper destrui evidenter uno alterove congressu, 2) ad pristinum redire posse tonum, fibris nempe per diutinam a venere abstinentiam restitutis, imo id natura non ferente, fieri hoc potest per remedia adstringentia.

§. 8.

Observatio. De dubio virginitatis signo tam ex partium genitalium angustia, quam laxitate desumendo ita scribit Michael Alberti *Jurispr. med. cap. 3. §. 4. p. 63.* Signum virginitatis est etiam ordinaria & naturalis strictura aut anguſtia genitalium muliebrium; quod signum præcipue virginum naturæ magis conforme est; quarum tota compages paulo rigidior & densior existit; hinc laxitas genitalium tam in labiis, quam in intimioribus hisce partibus signum prægressæ distensionis existit. Attamen sequentes casus & circumstantias providus arbiter Medicus annotare debet, quia etiam talis laxitas provenire potest: 1) si unquam feminæ nimio mensium fluxu laborarunt; 2) si corpore laxiori & temperamento valde humido præditæ sunt; 3) si multis morbis antea afflictæ fuerunt: 4) si jam ætate adultiores existunt: 5) si corpore robustiori & rudiori instructæ sunt; 6) si albo fluore laborarunt; 7) si medicamentis emmenagogis usæ sunt; 8) si frequentiora balnea adhibuerunt: 9) si morbos in genitalibus sunt perpessæ: 10) si ipsæmet immodicis & lascivis frictionibus illas offenderunt partes: 11) si alio morbo corporis, cacochymia, cachexia &c. detinentur: 12) si immoderata humectatione post mensium fluxum genitalia abluunt, &c. inungunt: 13) si libidinosæ feminæ frequentiorem madorem genitalium experiuntur: Ita etiam suspecta laxitas vaginæ uteri conciliatur, quando feminæ sine mare cum

cum certo instrumento coitum celebrant. Et §. 5. ita pergit dictus Autor: Quamvis hæc angustia organorum muliebrium signum virginitatis esse possit; tamen iterum circumspecte colligendum est, annon hæc angustia vel artificialis, vel præternaturalis, vel ex aliis causis ab ordinario statu discedentibus originem traxerit: ita enim feminarum genitalia post præviam laxitatem iterum coarctantur 1) mora temporis, quando post prægressum coitum aliquandiu a copula carnali abstinent; vel 2) quando ex fraude per balnea adstringentia aut 3) per suffimigia & emplastra adstringentia talis coarctatio conciliatur, siquidem 4) unus tantum vel alter carnalis congressus haud statim laxam & amplam reddit uteri vaginam; imo 5) multis feminis etiam post partum satis rigide & anguste genitalia contrahuntur, & 6) quædam feminæ interioris corporis & strictioris temperamenti, post perpessam compressionem a mare, talem novam coarctationem experiuntur; imo feminarum quædam illa facultate gaudent, ut mediante musculo sphincter vaginæ, sub clitoride sito, rigidius vaginam constringere possint: 8) quæ defectivo mensium fluxu laborant, ordinario strictiora genitalia habent, ni gravis cachecticus morbus aut fluor albus supervenerit, sicut illæ, quæ hoc fluxu nunc laborant, laxiorem vaginam uteri habent; 9) quando prægressæ fuere genitalium muliebrium læsiones, ut vulnera aut ulcera, quæ sub manu Chirurgi cum adstringentibus & exsiccantibus remediis valde tractata fuere &c.

§. 9.

Quod autem tempore menstruationis clausstrum virginale, secundum hactenus allegatos Autores, ita amplietur, & sponsus novam nuptam facillime atque sine impedimento inire queat, non modo binis exemplis ex Severino Pinæo adductis paulo ante probavimus, sed simile quoque exemplum ex Contei communicatione refert Nicolaus Blegny *Zodiac. medic. Gall. an. 2. Jul. Obs. 21. p. 157.* Observationem hanc acceptam refert Conteus cuidam intimo suo paulo post initum matrimonium, qui in aurem illi dixit, *Dilatatio a menstruatione.*

se scientia morali sat esse instructum, ut norit, quanti momenti sit uxoris sapientia erga maritum: & rerum naturalium satis peritum, ad rectum judicium ferendum, & certum de virginitate illibata vel violata: quamobrem prætulisse se probam educationem, teneram ætatem ac pietatem conjugis suæ futuræ, plurimis aliis fortunæ bonis, sibi alibi obviis. Eo vero nomine se fuisse infelicem, quod mœrori locum concedere necesse habuerit, ob suspiciones fundamento non destitutas, vice oblectationis animo præconceptæ, eo quod nuptiarum nocte eam partium genitalium laxitatem compererit, quæ opinionem amissæ virginitatis faceret, quamobrem ipse postero die meditatus fuerit iter bimestre & longius, quo sibi concederetur sufficiens spatium, ut animo evolveret sortem suam, antequam mentem aperiret. In reditu vero ex itinere abunde sibi satisfactum, quod nemini non perspecta foret uxoris vitæ integritas, quæ gravida facta est ipso discessus die; imo quod priorem constitutionem partium dictarum adeo immutatam nactus esset, ut biduum ipsi impendendum fuerit ad obicis infractionem. Addit autem Conteus 1) potuisse fieri, ut prima coitio acerrima fuerit, adeo ut partium renitentiam percipere generoso illi non licuerit. 2) Præsponsæ pudore forte abductos esse spiritus a partibus genitalibus, in quibus relicta sit eadem debilitas, quæ in virilibus observatur, cum mares præ timiditate non arrigunt, etiam præsente objecto, quo potiri gestiunt. 3) Forte menstrua paulo ante effluxisse: vel humorem oleagineum, a prægressis blanditiis allectum, partibus dictis mollitiem & laxitatem induxisse ejusmodi, quæ facilem introitum concesserit in priori illo congressu. 4) Graviditatem conjunctam libidini in secundo congressu forsan eam soliditatem & crassitiem concessisse carunculis, quam acquirere queunt.

§. 10.

Dilatatio non est signum violationis.

Adductis autem rationibus contra naturalem orificii vaginæ angustiam pro virginitatis signo habitam, annecti possent certæ quibusdam mulierculis & meretricibus, a crebriori coitu,

sat

sat amplo pudoris sinu gaudentibus, familiares fraudes, dum nonnunquam vel gratiores sese amatoribus reddendi, vel etiam amissam virginitatem quasi redintegrandi gratia variis medicamentis & balneis adstringentibus viam antea nimis laxam iterum coarctare tentant; de qua tamen sophisticatione paulo infra pluribus agemus. Interim paucis hoc loco monendum restat, quod, sicuti ex hactenus allegatis Autoribus liquet, non semper in virginibus extraordinariam partium genitalium dilatationem pro infallibili læsæ virginitatis seu defloration is signo habendam esse, ita etiam, si historicorum relationi fidendum, ex labiorum angustia, & coarctatione, absque fraude & sophisticatione, nullum certum illæsæ castitatis indicium peti possit, cum in quibusdam regionibus uxores post puerperium iterum instar virginum coarctari scribantur. Literis enim consignavit Americus Vesputius, in Antarctico solo feminas etiam post plurimos partus integrum virginale corpus præ se ferre, ita ut puerperæ nulla re differant ab ipsis virginibus, quod canibus atque aliis brutis commune est. Quam tamen relationem se vix credere posse dicit Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. 2. cap. 35. fol. 195.* ubi sequentem observationem addit: Cum ex Toupinamboutiorum regione femina annos viginti quinque nata valde impudica, quæ viros ad coitum invitaret, in hanc urbem Parisiorum adducta fuisset, post ejus obitum pudendi orificium admodum angustum deprehendi & ossa pubis valde depressa. Cunnus glaber erat, pilis spoliatus, quos sibi radicitus evellunt ejusmodi regionis mulieres.

CAPUT VI.

De Signis Virginitatis ex Cruentatione in primo Coitu.

§. 1.

REstat adhuc aliud signum, ex quo non modo vulgus & obstetrices, sed quandoque etiam ipsi medici certum virginitatis signum petere solent, nimirum dolorosa in primo coitu cruentatio, *An ex cruentatione in coitu primo.*

tatio, circa quod signum plerique anatomici, sive clausstrum virginale per hymenem, sive per carunculas myrtiformes, sive per corrugationes membranaceas, sive per naturalem coarctationem & orificii externi & sinus pudoris angustiam, uti hactenus relatum, descripserint & explicuerint, in eo consentiunt, quod primus ad virginem ingressus magis laboriosus, ipsique feminæ dolorificus atque sanguinolentus sit; siquidem tam a membrana hymenis transversa disrumpenda, quam a corrugationibus & angustiis impetuoso maris aggressu expandendis & partium coalitu dilacerando, ex ipsorum hypothesi, vasorum sanguiferorum disruptionem sanguinisque effusionem requirebant; unde tale sanguinis in neonymphorum primo congressu matrimoniali profluvium pro infallibili illibatæ virginitatis indicio veteres habebant medici, autoritate imprimis Sacræ Scripturæ ex Devteronam *cap. 22. vers. 13. seq.* impulsi. Quæ verba juxta Sebastiani Schmidii versionem sic sonant: Quando ducet vir uxorem intraveritque ad eam, sed mox oderit eam, ita ut imponat ei facinora verborum, & evulget contra eam nomen malum dicatque: mulierem hanc ego quidem duxi & accessi ad eam, sed non inveni ei virginitates: *Accipiet pater puellæ* & mater ejus & producent virginitates puellæ ad seniores civitatis ad portam, dicetque pater puellæ ad seniores: filiam meam dedi viro huic in uxorem & odit eam. Unde, ecce, ipse imposuit facinora verborum dicendo: non inveni filiæ tuæ virginitates; atqui hæ sunt virginitates filiæ meæ, expandetque simul vestem coram senioribus urbis &c. Scilicet apud Judæos prima nuptiarum nocte lintea sanguine sponsæ tincta esse debebant, quæ deinde parentes contra accusationem mariti pro defensione virginitatis filiæ suæ producere poterant. De hac cruentatione ita scribit Joannes Wierus *de Lamiis cap. 20. Oper. Lib. 3. p. 231.* in virgineis locellis vel κόλπῳ γυναικείῳ inhæret latetque tunica, castitatis conservatrix, qua primo insultu disrupta, venarum uteri orificia hic intexta desinentiaque sanguinem fundunt. menstruum vulgo, licet impro-

prie

prie appellatum. Unde nuptis virginibus, prima concubitus nocte, ex hujus membranæ violenter ruptæ venulis sanguis promanat: cujus lituris, ut virginitatis vel virginalium notis testibusque tincta, quibus teguntur vel incumbunt, linteamina coram magistratu, suspicacibus, conjugesque violatæ antea pudoris zonæ falso insimulantibus maritis expandi ostendique jubet Moses. Ad locum scripturæ allegatum ita scribit Lyranus: dicunt expositores catholici communiter, quod pater & mater asservabant linteum, in quo eorum filia a viro fuerat defiorata, sub sigillo avthentico, ut per hoc ostenderent signa virginitatis, si vir ejus postea velit objicere malitiose, quod eam virginem non invenerit. vid. Joh. Beverov. *Quæst. epistol. p. 48.* De hoc S. Scripturæ loco plura vide §. 15. seq.

§. 2.

Hunc morem etiam gentiles & specialiter Fezzani in Mauritania adhuc observant; dum ingreditur sponsus cum virgine cubiculum, interea præparatur convivium & femina quædam annosa præ foribus expectat, donec devirginata sponsa hæc linteolum sanguine tinctum illi porrigat, quod manu gestans hospitibus ostendit, alta voce clamans: virginem hucusque incorruptam fuisse, uti ex Leone Afro refert Paulus Ammannus *Irenic. pag. 129.* Secundum ipsius Leonis Afri verba, sponsus, jam maritus vetulæ cruentum linteolum porrigit, quæ illam in mediam invitatorum turbam ovans refert, tanquam optimum virginitatis spolium; hacque lege licet convivari. Quodsi in solenni illo coitu nihil cruoris sponsa per genitalia stillarit, redditur illa parentibus cum magna ignominia, tum etiam cum tristitia totius turbæ invitatæ, quæ impransa domum redit. vid. J. Beverov. *l. a.* Ambros. Paræi *Oper. Lib. 23. cap. 42. fol. 528.* item Melch. Sebiz. *de Not. Virgin. p. 383.* Talem morem hodierno adhuc tempore Africanis in usu esse, testatur Joan Mooquet *Itinerar. Lib. 3. Editionis Germanicæ pag. 149.* Es halten, inquiens, die Africaner bey ihren *Apud gentiles.*

Hochzeiten diesen Gebrauch, daß, wenn der Bräutigam seine Braut nicht als Jungfer funden, verstößt er sie von Stund an, und sendet sie mit grossem Gepränge und gantzem Hochzeit-Gute, wie sie angekommen, wiederum nach ihren Eltern. Ist sie aber rein und unbefleckt, werden ihre Kleider und Gewand des andern Tages zu einem gewissen Beweiß und öffentlichen Zeichen ihrer Jungferschafft, mit einem grossen Jubel-Geschrey, durch alle Gassen durchgetragen, auch iederman (so dann der neuen Frau zu sonderbahrem Ruhm gereichet) öffentlich und ohne Scheu gezeiget. Und diese Gewohnheit haben die Juden mit denen Mohren selbiger Lande gemein. Apud Hispanos quoque admodum vulgare esse sponsis, eas solutæ virginitatis lituras sanguineas in linteo a primo concubitu observare, refert Johannes Wierus *l. a.* Huc pertinet etiam illud Claudiani:

Et vestes Tyrio sanguine fulgidas
Alter virgineus nobilitet cruor:
Tum victor madido prosiliat thoro
Nocturni referens vulnera prælii.

Neapoli quoque nupta non aliter existimabatur eximium virginitatis donum marito reservasse, nisi prima nuptiarum nocte sanguinolenta fierent ea lintea, in quibus conjuges primum veneris suæ tyrocinium exercuerant. Itaque nuptæ, cum geniali lecto applicabatur, donare solebat maritus candidum indusium: & id quidem, si maculis sanguineis maculis notatum exhiberetur, virginitas plene probata credebatur, nullo signo suspicionis inserto, uti ex Arnoldo Villanova Medico Friderici Imperatoris & Regis Neapolitani refert Johannes Beverovicius *Quæst. epistol. p. 50.*

§. 3.

Præsentia cruentationis an signum?

Ex hac itaque cruentationis præsentia in primo virginum coitu infallibile illibatæ virginitatis, ex defectu autem defloratio nis signum multi Autores desumunt; quanquam alii etiam ex linteorum cruentatione tantummodo affirmative, minime tamen ex ejusdem defectu negative argumententur. Illam sententiam

tentiam plerique eorum amplectuntur, qui hymenem revera in omnibus puellis atque virginibus secundum statum naturalem reperiri, instarque membranæ virginitatis claustrum existere, atque ex ipsius dolorosa dilaceratione & comitata cruentatione virginitatis læsionem cognosci defendunt. Inquit enim Franciscus Plazzonus *de Part. Generat. Lib. 2. cap. 5. p. 116.* Hymenis membrana in primo coitu abrumpitur, unde dolor & sanguinis profusio paucior vel copiosior; idque evidens argumentum corruptæ virginitatis habetur, nam si secus fiat, & sanguis non profluat, maritis suspecta redditur sponsæ defloratio. Et Thomas Bartholinus *Anat. Lib. 2. cap. 31. p. m. 282.* scribit: an detur aliqua virginitatis nota, dubium esse non debet, experiuntur enim omnes, qui virgines uxores ducunt, obstare aliquid, quo minus absque magna vi & impetu virga intrudatur; Et cum coitio prima fit, utplurimum cum magno dolore sanguis egreditur, paucior vel copiosior; quem etiam sanguinem signum virginitatis vocant. Nam ob dilatationes angustioris colli & laceratione*m* hymenis omnes *virgines primo coitu dolorem & sangvinis profluxum habent.* Statuit etiam Soranus, *virginale claustrum esse ipsius sinus muliebris angustias, factas ex quibusdam rugis collectis, quæ a vasis ex utero illuc prodeuntibus contrahuntur*: dumque hæ dictæ rugæ extenduntur in stupratis virginibus, atque dum vasa dicta disrumpuntur, dolorem pariunt & sanguinem, veluti mactata esset victima, effundunt. vid. Phil. Verheyen *Anat. Tr. 2. cap. 30. p. m. 209.* Hanc cruentationem pro signo virginitatis agnoscit etiam Facultas medica Lipsiensis in responso quodam ad quæstionem: An profluvium sanguinis sit legitimum & adæquatum signum stupri violenti? quod sic sonat, ad casum 100. in Paul. Ammann. *Medicin. Crit. p. m. 611.* scilicet quod profluvium sanguinis per loca muliebria in vel statim post coitum in nonnullis, potissimum tamen in virginibus, contingens, oriatur quidem a causa violenta, nempe ab impetuosa rigidi penis in loca angustiora intrusione, minime tamen pro stupri violenti, sed potius pro læsæ virginitatis signo

gno habendum sit: Experientia siquidem luculenter testatur, quod in juvenum, corporis autem proportione, inæqualium conjugum congressu, post primam statim noctem insignis & periculosa hæmorrhagia uteri subsecuta fuerit &c. Inter Jurisconsultos Farinaceus voluit virginis defloration em probari, si illius camisia tempore stupri fuerit reperta sanguine respersa, vel linteamina, in quibus cum stupratore cubuit sanguinolenta: v. Paul. Zacch. *Quæst. Lib. 4. Tit. 2. Qu. 1. n. 12. f. 375.* Et ipse Zacchias *fol. 376.* inquit: quotiescunque sanguis in primo coitu effunditur, faciet testimonium virginitatis, non tamen effundi semper in omnibus necesse est.

§. 4.

Cruentationis absentia an signum defloration is?

Sicuti vero secundum allegata ex dictæ cruentationis præsentia veteres & Hebræi certam virginitatis notam petebant, ita etiam in contrarium argumentari solebant, si nimirum hæc sanguinis in primo coitu effusio non apparebat, tales sponsas floris virginei corrupti aut virginitatis defloratæ incusandas judicabant: & quidem secundum legem divinam *Devteron. cap. 22. v. 20. seq.* Uxor, in qua non fuerunt inventæ dictæ virginitates puellæ, seu quæ in primo actu conjugali sanguinem per genitalia non fundebat, pro corrupta mortisque supplicio afficienda æstimabatur; ideoque ipsam tanquam ream educebant ad ostium patris ejus, atque lapidabant eam viri urbis ejus lapidibus, ut moreretur, quia fecerat stultitiam in Israele scortando in domo patris sui.

§. 5.

Negatur.

Quamvis autem ultima hæc virginitatis nota videlicet cruentatio in primo coitu, uti demonstratum, autoritate sacræ scripturæ fundata, ideoque infallibilis videatur, alioquin enim seniores populi Judaici, juxta Regner. de Graaf *l. a. p. 199.* an virgo viro desponsata fuisset, judicare non potuissent; nihilominus tamen ejusdem signi veritatem alii Autores dubiam reddere nituntur, quorum aliqui ex apparente in coitu sanguine virginitatis equidem innocentiam defendunt, ex ejusdem vero absentia non semper

semper ad defloratiónem concludunt; & quidem primario exinde, cum talis cruentatio non in omnium illibatarum virginum coitu primo contingat. Imo quamvis etiam talis sanguinis effluxus in aut proxime post coitum primum observetur, minus tamen securum hoc virginitatis signum quibusdam habetur, cum etiam uxores aliæque feminæ defloratæ in aliis coitibus, quandoque etiam a variis causis, sanguinem ex pudendis fundant: uti ex variorum Autorum verbis constat. Inquit enim Daniel Sennertus *Pract. Lib. 4. Part. 2. Sect. 3. cap. 1. p. 210.* quidam Autores contra cruentationem ad experientiam provocant, qua constet, sæpe virgines bonæ famæ, & de quarum virginitate nullum dubium sit, nihilominus in primo coitu nihil sanguinis emisisse. Ideoque statuunt, si sanguinis aliquid in primo coitu effluat, id certum virginitatis signum esse: si vero id non accidat, non mox virginem pro corrupta habendam. Et omnino posterior hæc sententia vera est. Etsi enim plerumque accidat, ut a divulsione hymenis & caruncularum quatuor, vel etiam a ruptione ligamentorum venarumque, quibus in virginibus rugæ internæ uteri cohærent, sanguinis aliquid in primo coitu effundatur, præsertim in tenellis & junioribus puellis, & si membrum virile crassius sit; tamen si virgines adultiores jam sunt, & ob longum jam menstruorum fluxum partes hæ duriores sunt & ampliores, & membrum virile parvum sit, non necessario sanguis effunditur. Aut si puellæ lascivæ digitorum immissione vel alio modo partes has, antequam cum viris coeunt, dilaceraverint & ruperint, nulla sequitur sanguinis eruptio. Secundum Joh. Riolan. *Anthropogr. Lib. 2. cap. 35. fol. 194.* non semper necessum est sanguinem stillare in primo congressu ad virginitatem cognoscendam. Nam si virgo paulo annosior, utpote annum vigesimum supergressa, tenuiori & minuto peni subjiciatur, nullus inde cruor emanabit; at si virguncula admodum tenella viro maturo & præpotenti ac bene mentulato congrediatur, ex ista violenta secretione & diremptu quatuor carnositatum, sanguinem subsequi videmus: Michael Ettmülle-

rus *Oper. Part. 2. fol. m. 1040.* inquit: sive effundatur sanguis in primo congressu, quod fit interdum, sive non fundatur, perinde est: hæc enim cruentatio tanquam essentiale ad virgines non pertinet. vid. etiam Casp. a Reies *Quæst. 39. p. 481.* Thomæ Bartholini *Anatom. Lib. 1. cap. 1. p. 285.* Cruentatio ob sequentes rationes impediri potest 1) si ex petulantia ruperint virgines digito vel alio instrumento. 2) Si tempus sit menstruorum, aut paulo ante præcesserit; 3) si rima oblonga sit in hymene, tum enim dilatatio fit, non ruptio. 4) Si collum uteri amplum sit admodum & penis angustior, nec satis crassus. 5) Si dextre mas intrudat penem. 6) Si passa est virgo procidentiam uteri, unde ruptio hymenis. 7) Si tardius virgines elocentur. 8) Si humorum acrium defluxu perpetuo vel irrigetur hymen, vel erodatur, quod in morbosis frequens, temperamenti & cœli vitio.

§. 6.

Aliorum sententia. De hac virginitatis explorandæ ratione ita scribit Franciscus Valesius *de Sacr. Philosoph. cap. 25. pag. 153.* Ex his Mosis verbis constat, apud Hebræos fuisse in more positum, ut mulieres viris desponsatæ abstinerent ab eorum congressu, usque dum ab eis ducerentur, tuncque substituto linteo coirent, quo virginitatis signum, hoc est virginis corruptione profluens sanguis in illo colligeretur, atque id linteum daretur puellæ parentibus, quod illi acceptum (non arbitror sine multis testibus) asservarent, ut virginitatis filiæ usque in nuptialem diem asservatæ testimonium. Sed evenit hoc loco dubitare, quid interfit inter virginem & corruptam, quæ sint illa claustra virginitatis, quorum dilaceratione sanguis effluat. Si enim nulla sunt, haud quaquam videtur necessarium, ut corrumpenda virgine sanguis effluat: sin autem necessarium non est, fallax & periculosa erat ea ratio dijudicandi, qua explicato vestimento seu linteo, in quo primum coierant, uti jubebant senes. Certe nulla pars est in uteri ore aut cervice, quæ virginitatis custodia sit & in corruptione pereat. Item scribit Ambrosius Pareus *Oper. Lib. 23. cap.*

42.

42. fol. 528. Qui sanguis primo concubitu effunditur, non semper est ab hymene seu membrana rupta, sed a venulis ruptis & violatis, quæ secundum internam uteri superficiem in cervicem ejus descendentes ipsis rugis, quæ venerem nondum expertis quasi conglutinatæ connivent, implicantur & attexuntur. Quanquam quæ maturæ viro sunt & plenis annis nubiles, nullum neque dolorem, neque sanguinis fluorem ullamve continui solutionem patiuntur, si præsertim virum sortitæ sint, cui penis sit uteri cervici magnitudine respondens. Et Vopiscus Fortunatus Plempius *Fundam. medic. Lib. 2. c. 9. fol. 139.* inquit: Si prima conjunctione maritus omnia patula inveniat, nihilque sanguinis exprimatur, non continuo suspicari debet, suam ab alio quopiam ante fuisse initam: Nam potuit ipsa sibi præ salacitate perrupisse claustrum illud; potuit fuisse erosum ab acribus humoribus simul cum mensibus vel alias transeuntibus; potuit laborasse uteri prolapsu; potest quoque foramen in medio hymenis nimis amplum habere & vir penem nimis exilem, ita ut citra vim in cervicem uteri admittatur; sed & variolæ vulvam occupantes florem hunc corrumpunt aliquando. Sunt etiam obstetrices aliquæ, quæ manu obicem illum divellunt in recens natis: & sciscitantibus, cur id faciant, respondent, ne adultæ prima nocte nuptiarum ex coitu dolores percipiant; cum matrimonium debeat esse initium gaudii, non doloris. Potest denique albo uteri fluore laborare femina, ratione cujus valde humectetur dicta membrana & laxa fiat, adeo ut valde citra ruptionem distendi queat. Qui casus bene notandi sunt, non medicis duntaxat, verum etiam fere aliis, qui se ad matrimonia comparant, ne, dum illi occurrunt, impudicitiæ & violatæ castitatis uxores accusent, indeque jurgia gravia litesque exsurgant. Hæc Plempius.

§. 7.

Sic Daniel Tauvry *Anatom. cap. 12. p. 212. seq.* causam, cur apud Judæos prima nuptiarum nocte lintea sanguine sponsæ tincta esse debuerint, hanc reddit: Judæorum filii in consistente jam ætate, *Item.*

filiæ vero in prima adoleſcentia elocabantur: neque permiſſum erat viro cum femina coire, niſi tempore a menſium fluxu admodum remoto. Dum igitur virorum genitalia craſſa admodum, virginum vero anguſta valde ac vaſis ſanguine turgentibus inſtructa erant, impoſſibile quaſi erat, quin in illa colliſione venæ & arteriæ dilacerarentur. Quibus addendum, quod in regione admodum ſicca puellarum genitalia magis arcta, quam alibi extiterint: E contrario in Gallia puellæ paulo adultiores elocantur, nec inſtans aut modo præterlapſum fluxus menſium tempus adeo frequenter obſervatur, ideoque non in omnibus puellis, licet illibatæ ſint virgines, hæmorrhagia illa contingit.

§. 8.

Obſervatio. Petrus Dionis, qui virginitatis notam non in hymene, ſed carunculis myrtiformibus quærit, *Anatom. p. 242.* equidem concedit in prima carnali copulatione ſanguinis aliquas guttulas interdum effundi, feminasque illibatas doloris tantillum primis acceſſibus viri perſentiſcere, attamen non ſemper evenire addit, ut omnes virgines virtutis ſuæ infirma hæc indicia præbeant, cum earum plures exiſtant, quibus levem hunc dolorem non ſentire natura conceſſit, illis nimirum carunculis ita diſpoſitis, ut penis absque conatu intromitti poſſit, licet intemeratæ probitatis ſemper extiterint. Sic proinde nemo temere de feminarum honore judicium ferre debet; cum etiam orificii vaginæ anguſtia, nec linteamen ſanguine maculatum ſigna certa non ſint, quod feminarum defloratio non proceſſerit.

§. 9.

Ex hymene. Hymenem, ex cujus ruptione plerique veterum ſanguinis in primo coitu effluxum derivabant, virginibus equidem eſſe peculiarem, tamen omnibus virginibus ineſſe, haud neceſſarium eſſe, non ſolum probat Marcellus Donatus *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. 4. cap. 15. pag. 387.* ſed etiam defloratione ſine ſanguine frequentem eſſe ibidem defendit, vulgatum, inquiens, omnibusque receptum eſt, virgines, quæ in primo veneris congreſſu diſ-

ruptis

ruptis virginitatis clauſtris ſanguinem non fuderint, pudicas haud cenſendas eſſe. Vidimus tamen nos binas urbis noſtræ puellas in prima defloratione nullam ſanguinis notam dereliquiſſe, cum tamen indubiæ honeſtatis vitam antea transegiſſent, quarum prior mihi jurejurando affirmavit, ſe nullum paſſam antea viri congreſſum fuiſſe. Recordatur etiam Donatus, mulierem nobiliſſimam, dum puellulæ, ejus filiæ ſuppoſitorium ex melle duriuſculum in anum indere vellet, renueretque puella lacrymans atque hinc inde ſe jactitans, caſu illud in vulvam injeciſſe, itaque valide, ut multus ſanguis disrupta hymene profluereret. Ex his itaque concludit dictus Autor, (ſive ſanguis in primo cum viro congreſſu ab hymene, ſive a nymphis prodeat mulieribus) ſi quando id minime fieri conſpicati fuerimus, non tamen impudicitiæ notam ac amiſſæ virginitatis ſignum cenſendum omnino eſſe, nec minori ob id in pretio marito recenter deſponſatam mulierem habendam eſſe.

§. 10.

De congerie venarum, ex quarum ruptione fieri creditur cruentatio, ita ſcribit Hieronymus Capivaccius *Pract. Medic. Lib. 4. cap. 11. p. 859.* Quod venarum congeriem attinet, non negamus fieri poſſe, ut circa os cervicis venulæ nonnihil extendantur. Cum enim hoc fiat in vitio, quod Arabes Sebel vocant, non mirandum, ſi in generatione fœtus facultas generatrix luxurians e venulis ad os cervicis attinentibus formet contextum quendam venarum, quibus disruptis ſanguis effluat. Sed neque harum venarum generatio eſt perpetua: unde nec latentibus his venulis, neceſſario violata eſt virginitas; nec apparentibus neceſſario eſt integra. Poteſt enim evenire, ut hæ venulæ in congreſſu ſanguinem non emittant, ſi ſcilicet venarum cumulus ſit exiguus, pudendum feminæ vaſtum, virile parvulum. Admittit etiam Horatius Augenius, vere virgines utplurimum primo in congreſſu profundere ſanguinem & dolorem potius, quam voluptatem aliquam percipere, & quidem ob anguſtam, conniventem

Ex congerie venarum.

& rugosam uteri cervicem, venulis atque arteriolis intertextam, quam primus coitus violenter dilatet & vasa ejus atterat, eaque vel aperiat vel rumpat, unde sanguinis profusio. Profitetur tamen Augenius, sanguinem non necessario profundi in omnibus; neque omnes, quæ illum profundunt, virgines esse. vid. Melch. Sebiz. *de Not. Virginit. in Severin. Pinæo p. 381.* Scribit etiam Johannes Fridericus Ortlob *Histor. Part. Dissert. 34. §. 7. pag. 268.* maximum a cruentatione in congressu facta argumentum videtur, quod etiam autoritate sacri Codicis nitatur. Ast ut mittam, causam cruentationis ejusmodi sæpe falsam supponi, eamque non omnimode rejiciendam existimem, tam absolutum tamen castitatis illæsæ indicium non est, ubi invenitur, neque læsæ, ubi non reperitur. Partim enim ob differentem arctitudinem & relationem ad diversam viri conditionem, partim quod non omnes, robustioris scilicet & firmioris texturæ, primo ex congressu, imo etiam annosiores, sanguinem fundant, partim quod quædam, pluries licet compressæ, si adhuc in initio, aut post longiorem a priore concubitu moram, aut instantibus mensibus contingat, sanguine polluantur; cruentatio vix certum & indubitatum non prius solutæ zonæ indicium salutari meretur, prout observationes testantur. Ut taceam, id ex relatione cognosci, in qua, si cruentationem negent in dissimulata defloratione, aut affirment in simulata, aut fraudibus confirment, quis Oedipus veritatem eliciat? Et Fortunatus Fidelis *de Relat. Medic. Lib. 3. Sect. 3. cap. 4. p. 343. seq.* inquit: Effundi sanguinem in primo congressu sæpissime, nec nego, observatum fuit: hoc evenit, dum rugosæ illæ anguſtiæ, quæ collum uteri in virgine constipant, ac coarctant, tunc vi quadam dilatantur, explicanturque. In his enim cum multæ venulæ arteriæque sint disseminatæ: nihil mirum disruptas sanguinem fundere. Hoc igitur indicium si unquam ostendatur, hactenus ego incorruptæ virginitatis argumentum putabo, modo nec annosa sit sponsa, nec vir nimis exiguo sit pene; nam si fiat, ut hic minor assueta magnitudine sit, femina vero amplis jam ductibus præ ætate aut

certa

certa corporis structura donata, ut facilem jam præbeat ingressum, nihil arbitror in coitu disrumpi a viro posse: ac propterea ne sanguinem quidem effundi, quamvis nullum antea experta sit virum. At vero sunt etiam salaces nonnullæ, quæ a prurienti libidine excitatæ, cum nulla viri facultas detur, sese aut digito aut aliter atterendo petulanter perfricant, ut jam, quicquid intus obicem facit, dilacerent ac sanguinem proliciant. Istæ ergo, si quando viro congrediuntur, nihil emissuras esse cruoris puto; quanquam nunquam antea compressæ sint. Nec tamen si tale quidpiam effundatur, virginem propterea puellam putabo: satis enim compertum habeo, lotiones nonnullas parari, ac pulveres, quibus adeo adstringatur muliebre pudendum, ut angustissimum iter etiam exiguo præbeat peni: quod si validius urgeas, nonnihil etiam sanguinis elicias.

§. 11.

Hanc sententiam confirmant adhuc plures Autores, e. g. Ambrosius Pareus *Lib. 2. cap. 34. fol. 76.* inquit: verisimilius est, sanguinis primo coitu eruptionem contingere ex vasorum quorundam, per internam cervicis uteri superficiem descendentium, violento attritu, nequeuntium tam validam extensionem sustinere, quem nervosa illa cervix primo congressu suscipit, citra ruptionem: neque enim virgo nubilis, quæ partes suas genitales, viri genitalibus proportionatas, mole & amplitudine habuerit, ejusmodi sanguinis fluxum expertura est. Et *Lib. 23. cap. 42. f. 528.* idem repetit: qui sanguis, inquiens, primo concubitu effunditur, non semper est ab hymenis membrana rupta, sed a venulis ruptis & violatis, quæ secundum internam uteri superficiem in cervicem ejus descendentes ipsis rugis, quæ venerem nondum expertis quasi conglutinatæ connivent, implicantur & attexuntur. Quanquam quæ maturæ viro sunt, & plenis annis nubiles, nullum neque dolorem neque sanguinis fluorem, ullamve continui solutionem patiuntur, si præsertim virum fortitæ sunt, cui penis sit uteri cervici magnitudine respondens. Secundum Paul. Ammann.

Item ab aliis Autoribus.

mann. *Medicin. Crit. diff. 75. p. 501.* ſanguinis effuſio in coitu non atteſtatur præciſe virginitatem. Nam corruptæ etiam ſanguinem in coitu effundere poſſunt; & contra ſunt virgines illibatæ, quæ in coitu camiſias ſanguine non deturpant; imo meretrices, vel ſuſpectæ virginitatis perſonæ ſanguinis profuſionem fraude ſimulare poſſunt. Circa virginitatem cognoſcendam, inquit Regnerus de Graaf *l. a. p. 199. ſeqq.* ſigna alia propria eſſe, alia inſeparabilia: alia propria & inſeparabilia ſimul. Propria convenire uni duntaxat ſoli; inſeparabilia omnibus; utraque ſimul omnibus & ſolis: Hiſce poſitis, dicit, linteum illud primo coitu cruentatum, ſignum quidem virginitatis eſſe, ſed neque proprium neque inſeparabile, adeoque neque certum cenſeri poſſe. Probatur primum, quia non ſolum virgines cruentum reddunt linteum; etenim jam corruptæ dolo malo ſanguinem coeuntes emittunt, & rerum venerearum tyronibus imponentes, eos ſeſe defloraſſe falſo affirmant. Inſuper ſine penis in vaginam immiſſione, illæſa omnino vaginæ orificii coarctatione quandoque concipiunt. Secundum probatur, quia non omnes virgines primo coitu ſanguinem emittunt: nam præterquam quod vaginæ oſculum præ avido coeundi concipiendique deſiderio in grandioribus ſucceſſu temporis dehiſcat, ac in junioribus petulco digito vel ſimulato priapo dilatetur; fieri etiam poteſt primo, ut menſes fluant, vel paucis ante diebus fluxerint, ex quo genitales partes humectari & relaxari contingit, ſic ut minimo negotio & nullo fere dolore dilatentur, cedantque ſubeunti mentulæ potius, quam dilacerentur. Secundo fieri etiam poteſt, ut naturalis vaginæ orificii coarctatio ob defluentium humorum copiam ita relaxetur, ut in defloratis laxior eſſe non poſſit: quemadmodum nobiſcum experti ſunt ii, qui ad puellarum uteri prolapſum, in noſtris regionibus nimis familiarem, curandum quandoque accerſiti fuerunt. Hinc mirum nemini videbitur, ſi tales virgines ex primo coitu ſanguinem non emittant. Tertio non ex ea partium laxitate tantum, enimvero ſi annoſa & vegeta virgo tenello ſponſo

so committatur, utique sanguinem non emittet. Iisdem rationibus etiam Bravo de Sobremonte *l. a. p. 205. seq.* contra cruentationem utitur, quia scilicet non omni virgini, nec soli, nec semper accidat, quod hactenus adductis & aliis exemplis confirmat.

§. 12.

Nullam cruentationi in coitu subesse fidem judicat Johannes Bohn. *Medicin. Forens. Specim. 3. §. 13.* quatenus nec sanguinis per genitalia eruptio in illibatarum compressione prima semper contingit, quibus nempe illa, sive per conformationem naturalem, sive affectum quendam præternaturalem, sunt laxiora magisque lubrica, & quæ congressorem non adeo mentulatum sustinent, aut annosæ magis existunt. Nec si cruententur a concubitu genitalia, hoc zonæ virginalis integritatem hucusque infallibiliter evincit, dum femellarum quædam non in primo tantum, sed secundo quoque, tertio aliisque coitibus sanguinem profundunt; illæ scilicet, quæ arctiores existunt, aut imminentibus menstruis nuptias celebrant; ut illarum taceam, quæ fraudibus ejusmodi cruentationem simulant. Sanguinem non esse signum virginitatis, quia sine sanguinis emissione virgo cognosci potest a viro, eleganter agnovit Fragosus, vid. Francisc. Torrebl. *de Magia Lib. 2. cap. 19. p. 220.* ubi Fragosi verba allegat: Asi que la sangre, que suale salir en el primer coito, no siempre es de la tela corrompida que imaginan, sino de las venillas que alli se hallan apretadas: por lo qual las mugeres, que tienen ya edad madura, no sienten dolor en aquel acto, ni les va sangre, especialmente si el hombre tiene el miembro genital proportionado con la grandeza del cuello de la madre. *Bohnii sententia.*

§. 13.

Scribit etiam Caspar a Reies *l. a. p. 481.* Si ita non esset, ut sanguis in primo concubitu necessario effluueret, non utique illud signum pro virginitatis defensione tam certum, & sine aliqua probatione statueretur. Sed tamen hoc non obstante ex communi fere omnium sententia ut certissimum habetur, in primo coitu & *Reiesii.*

virginitatis defloratione neceſſario non requiri, ut ſanguis profluat; cum contrarium non raro accidat, & ſine ulla ſanguinis excretione honeſtiſſimas quasdam virgines, nulla turpitudinis labe infectas, in connubiali thoro poſitas nil tale habuiſſe ſæpius animadverſum ſit. Nec propterea, quod ſanguis deficiat, ſuſpicio aliqua adverſus mulieris integritatem oriri ſtatim debet, cum multis de cauſis evenire poſſit, ut deſideratus ille ſanguinis fluxus non appareat; ut ſunt præcipue ætas, quæ & partes illas laxiores reddit & duriores; ſecundo menſtruorum aſſidua evacuatio, quæ partium ſymphyſin & coalitum paulatim corrumpit; tertio penis modica magnitudo & rigiditas, quæ cauſa eſt, ut magna non fiat laceratio & divulſio, nec caruncularum tunicas & venas, licet exiles, disrumpat; quod multoties etiam in tenerioribus obſervatum eſt, cum de quadam narret Augenius, quæ a nono ætatis anno cum futuro ſponſo cohabitavit & tandem anno decimo tertio gravida facta eſt, cum nunquam cruoris aliquid obtinuerit: Tandem a cauſa aliqua externa petulans ardore coitus irritata partium illarum unionem digitis aut alia re paulatim divellere poterit, ut propterea cum ſponſo non ita difficilem habeat congreſſum. Quare tam longe abeſt, ut indubitatum virginitatis ſit ſignum ſanguinis ille fluxus, ut econtrario corruptas non raro ſanguinem ſtillaſſe compertum ſit, non ſolum menſibus vel extra tempus in actu coitus proſilientibus, ſed venula aliqua nimio calore reſerata, cum multarum orificia ad totum matricis corpus attingant; imo vafricie hoc multæ machinantur, ut virginalem adſtrictionem non ſolum comparent, ſed adhuc ſanguinis quoque fluxum aliquibus fallaciis procurent, atque in virginitatem, quam aliis tradiderunt, factis & geſtis mentiantur &c. Et *pag. 485.* inquit idem, ſanguinis exitus, cum menſium aliqua ſtilla in actu effluere, aut ſine illis ex vena aliqua calore ex motu reſerata, vel a grumo aliquo derelicto & coitus calore liquato: quin & technis & impudicarum mulierum fraudibus & doloſis artibus procurari poteſt.

§. 14. Ni-

§. 14.

Nicolaus Venette *Tabl. de l'Amour conjugal Part. 2. cap. 1. Art. 3. p. 89.* inquit: l'on croit, que le sang, qui s'epanche la premiere nuit des noces, est une marque manifeste de la perte de la virginité. C' est pourquoy Moyse commanda au Juifs de garder soigneusement les linges, qui avoient servi la premiere nuit aux mariez, à fin de disculper un jour la femme à l'egard de son mari. Mais l'on me permetira de dire, que le sang & le lait ne sont pas toujours des marques d'une fille prostituée, car une grande & grosse fille, qu'on marie avec un petit homme, n'est pas moins pucelle, pour ne repandre point de sang la premiere nuit de ses noces, & le sang, qui coule des parties naturelles d'une autre fille, n'est pas non plus un signe de sa vertu, l'artifice faisant quelque fois paroitre un sang étranger, qui auroit esté auparavant mis dans une petite vessie de mouton, & renfermée ensuite adroitement dans le conduit de la pudeur. Nicol. Venette. Scribit etiam Julius Cæsar Claudinus *Responsa medicin. n. 40. p. 258.* Virginitatem ex venarum congerie collo uteri inhærentium deprehendi posse, sentiunt aliqui, hocque illud erat adeo celebre, quod apud Hebræos & in sacris scripturis habetur, defloratonis argumentum, sed mea sententia fallax adeo; nam illis venis etiam apparentibus adhuc esse potest culpata virginitas; contingit enim aliquando, ut hæ venæ in primo coitu non discindantur, sanguinemque non emittant, ubi scilicet earum cumulus fuerit exiguus, pudendum feminæ amplum satis, & virile parvum. Quoad sanguinis effusionem in defloratione juxta Paul. Zacch. *Quæst. Lib. 4. Tit. 2. Qu. 1. n. 20. f. 376.* patet, quod ea minime potest apparere, si viæ fuerint vel naturaliter, vel accidentaliter, maxime patentes, præcipue si congressor non valde mentulatus existat, aut sponsa annosior sit. Et *n. 23.* pergit idem Autor, hoc signum per se dicendum esse fallacissimum, quia non modo, si non adsit, non potest probare corruptionem, sed, etiamsi adsit, non attestatur virginitatem. Item *n. 26.* de sanguine in aliis & post viduitatem quoque exercitis coitibus apparente, addit:

multis non in primo solum concubitu, sed etiam in secundo & tertio & ulteriori, sanguis effunditur, iis nimirum, quæ angustiora vasa habent. Vidi ego, quæ ob mariti absentiam vel infirmitatem a coitu diu abstinens, cum de novo concumberet, sanguinem effunderet. Et pudicissimam viduam novi secundo nubentem sanguinem effudisse, cum primum secundo viro conjungeretur: Biennio autem viduitatem & cœlibem vitam servaverat; erat tamen adhuc juvenis, non major viginti annis: hic autem dolus nonnullus subesse potuit. Itaque quemadmodum potest mulier esse incorrupta, & sanguinem in primo concubitu non effundere, sic potest alia ex parte esse corrupta, & sanguinem concumbens effundere. Nonnulli etiam Autores inter sanguinem menstruum, & illum, qui in primo coitu violento prorumpere solet, in colore differentiam quærunt, virginitatis enim nodo nexuque dilaniato cruentus (a menstruo sanguine eo diffidens, quod vividi hic coccini coloris est, ac eo duntaxat, quo penis uteri cervicem asperiuscule violentiusque subit, momento parce prorumpens, e diverso mensibus decoloratioribus turbulentioribusque uberius ac longiore temporis tractu delabentibus) succus integræ virginitatis indicium interstillat, juxta Lud. Bonaciol. *de Format. Fœt. cap. 2. p. 188.*

§. 15.

Cruentatio ex scriptura.

Cum autem paulo ante ex sacra scriptura allegati loci, de signo virginitatis, a linteorum seu vestium in primo coitu cruentatione, eorumque demonstrandæ virginitatis gratia, coram senioribus populi Judaici expansione, desumpto, veritas ob hactenus recensitorum Autorum sententiam negativam, vacillare videatur, diversas adhuc de hac materia Autorum opiniones adducere liceat. Nonnulli scilicet, imprimis Horatius Augenius, juxta sententiam Rabbi Salomonis, hunc scripturæ locum metaphorice accipiunt, ita ut expandere vestimenta idem designet, quod per verba testium declarare & diligenter inquirere in sponsæ castitatem. v. Thom. Bartholin. *Anat. Lib. 1. cap. 31. p. 285.* Et Bravo

de

de Sobremont *l.a. p.206.* inquit: Augenius ex Rabbi Salomone tenet hæc verba: expandere vestimenta coram senioribus civitatis, metaphorice intelligenda sunt: id est, fiant probationes, quæ apud seniores manifestent castitatem mulieris, ut ex eis expandatur veritas. Quam interpretationem Francus comprobat ex Lyra dicente: Valde turpe videtur, quod talis pannus expanderetur coram judicibus: nec est verisimile, quod ejus vir auderet uxorem falso accusare, cujus sciret parentes testimonium, nempe linteum sanguinolentum, tanquam virginitatis signum servare. Ex quo infert: quod illa locutio fuit parabolica. De hoc probandæ virginitatis modo quoque scribit Lutherus in Deuteronomium, incertum esse, quis fuerit modus explorandæ aut probandæ virginitatis publice. Nam privatim in primo concubitu experiri posse, an sit corrupta, vel incorrupta, videre se fere omnes consentire, quod primus concubitus sit amarus & asper, dum virginale claustrum violatur, & vestigium relinqui ex sanguine læsi claustri in panno. Sed Augustinum hoc incertum facere, qui illud ipsum claustrum aliquando violari dicit a matronis, vel ipsis puellis, digito explorantibus. Quod si donetur esse certum, quomodo (inquit) publice probabitur? An vir allegabit, nec asperum nec durum fuisse primum concubitum? Quid si mulier neget? An sanguinem reliquum in veste ostendet? quis ista pudenda ferat in judicio publico ostendi? Potius dicam me nescire modum hunc. Vel illis consentiam, qui dicunt, quod pater & mater puellæ, dum filiam tradunt, prius per honestas matronas virginitatem illius explorant, quæ postea testes sunt in judicio, fuisse illam virginem, & hoc sit, quod Moyses dicit patrem expandere vestimentum, ubi dixerit: Ecce hæc est virginitas filiæ meæ, id est, per has matronas ostendo illam fuisse virginem, & in signum ejus expando vestimentum; cujus expansio significet, rem esse apertam & probatam, sicut mos fuit isti genti excutere vestimentum, dum minantur, ut Nehemias fecit *cap.7.* & scindere vestimentum, dum indignantur, ita expandere vesti-

mentum, dum rem claram, explicatam & perſpicuam faciunt. Quamvis & hic mos prætentandæ ſponſæ ante nuptias per matronas, ſatis pudendus ſit. Sed cum aliud non habeamus, interim hoc admittamus. vid. Joh. Beverovic. *Qu. Epiſtol. p. 60.* ubi plura.

§. 16.

Alia explicatio. Alii vero hujus textus ſenſum literalem retinent, ejusque veritatem defendunt, v. g. ſecundum Theologi Dordraceni, Balthaſaris Lydii verba, hypotheſis hæc certa eſt: Signum, inquientis, a Moyſe narratum cum profectum ſit a naturæ Autore & Domino, infallibili ad hæc judice, tale eſſe oportere, quod in Judæis non fefellerit unquam., nam alias multis ſæpe facta eſſet injuria, quæ pronunciatæ fuiſſent ex hac lege corruptæ, ſigno hoc non apparente, cum tamen fuiſſent virgines. Ego ſignum illud cruentati lintei judico eſſe παθογνωμονικὸν, & nunquam in ullis fefelliſſe, fluctuaſſet enim perpetuo animus judicis, ſi hoc ſignum, ex quo judicandum erat, fuiſſet inſtar Lesbiæ regulæ & quandoque fefelliſſet. Dubitans autem ignoranti æquiparatur *L. ult. §. ſin autem neſcius Cod. de furtis.* Et judicium in pendenti eſſe non poteſt *L. non quemadmodum 35. D. de judiciis.* Judex curare debet, ut certam ſententiam ferat §. *curare 32. Inſt. de Actionibus.* Si hoc obſervant leges humanæ, multo magis divinæ id non neglexerunt. vid. Joh. Beverov. *l. a. p. 58. ſeq.* Inquit etiam Regnerus de Graaf *l. a. p. 199.* Hæc ſacræ ſcripturæ verba, dari certum virginitatis ſignum, luculenter demonſtrare videntur, alioquin ſeniores populi, an virgo illi deſponſata fuiſſet, judicare non potuiſſent. Et juxta Thom. Bartholin. *Anat. Lib. 1. cap. 31. p. 285.* verum ſcripturæ ſenſum, ut verba ſonant, retinent meliores interpretes. Imo Lutheri ſententiæ de expanſione veſtium contradicit jamjam allegatus Lydius; Lutherus, inquiens, ſententiam ſuam hauſit a ſuo Nicolao Lyra & Cajetano, quos fere in enarrando Moyſe ſequitur; neque me movet, quod de pudendo ſigno in judicio ingeminat: Nam ſi ſummus Sacerdos judicabat de lepra, eamque inſpiciebat, ubi erat, cur non judices in judicio inſpe-

inspexissent linteum cruentatum? Ritum excussionis vestium & lacerationis norunt omnes, sed ritus explicandi sinum seu vestem in signum manifestæ, probandus esset claris scripturæ testimoniis. His accedit, quod lintei (non sinus aut vestis) explicandi in Moyse fit mentio, ideo Ebræam vocem (HASHIMLAH) quæ vestem significat, Chaldæus interpres vocabulo (SHOSHIPHA) explicat, quod linteum significat. Non inquiram in causam hujus sanguinis effluentis, an sit ex rupto hymene, an ex labiorum uteri constrictione ac symphysi dilatata? an ex venarum congerie collo uteri inhærentium dilatatione & disruptione? quas lites non faciam meas. Quacunque ex causa extiterit, dico agi de linteo cruentato, a prima cum sponso consuetudine, hoc judici inspiciendum, & ex hoc signo infallibiliter judicandum fuisse. Pro hac sententia facit ritus Judæorum, cujus meminit Moyses Nachmannus, qui ait, ante thalamum nuptialem adstitisse duos sodales, qui præeuntes cubiculum explorarunt, ne quid, quod ad judicium virginitatis pertinet, insidiarum alter alteri imponeret, totamque noctem adstantes, summo cum gaudio animique hilaritate, excubias, ceu custodes Regis & Reginæ agebant. Illorum erat, egredientibus sponso & sponsa, protinus irrumpere, explorare omnia denuo & agnita priora lintea, in quibus concubuerant, acceperunt & tradiderunt matri. Hucusque Lydius.

§. 17.

Cum vero juxta superius adductas rationes talis cruentatio non semper in primo coitu observetur, nonnulli, v. g. Johannes Beverovicius *l. a. p. 51. seq.* de hac a Mose lata lege sentiunt, legislatorem habuisse rationem eventus magis universalis, & frequenti consuetudini se accommodasse, cum virgines utplurimum effundere soleant sanguinem in primo congressu. Deinde virgines tunc temporis, rigore legis perterritas, fideliter sese continuisse, & parentes eas diligenter servasse. Publicum enim ignorabant, manebant domi ignotæ: unde Hebræi adhuc virginitatem eripere honesto vocabulo dicunt cognoscere. Et juxta Paul. Zacch. *Adhuc alia.*

l. a.

l. a. f. 376. Augenius statuit, Mosen ibi noluisse, quod in omni casu panni sanguinolenti facerent testimonium virginitatis, sed in eo tantum, de quo ibi, nimirum quando vir falso accusaret uxorem, imponens ei nomen pessimum, quod non reperisset eam virginem, tunc enim pannos illos sanguinolentos attestari voluit lex, eam virginem fuisse, unde vir falsitatis arguebatur: non quod universaliter & generaliter panni illi sanguinolenti facerent, aut facere deberent in omnibus testimonium virginitatis. Miratur etiam Balthasar Lydius apud Beverovic. *l. a. p. 57.* Mercurialem sequentia scribere ausum: Quare, cum nullum virginitatis certum & irrefutabile signum haberi queat, dicendum est: omnibus aliis minus incertum haberi, quod a cruentatis indumentis capitur, ac propterea istud, licet non ita firmum, Moysen recipere voluisse, ne penitus hominum pravitati licentia in innocentes peccandi concederetur. Et Julius Cæsar Claudinus *Respons. medic. 40. pag. 258.* hoc apud Hebræos adeo celebre, inque sacris scripturis sancitum defiorationis & virginitatis argumentum fallax judicat.

§. 18.

Lydii & aliorum sententia.

Scripturæ autem veritatem rationibus Theologicis defendit allegatus Lydius *p. 62. seq.* inquiens, Autorem hujus legis DEVM aliquid peculiare quoad hanc rem operatum esse in populo suo, atque effecisse, ut semper ille sanguis in primo concubitu flueret, quemadmodum Numer. *cap. 5. vers. 18.* semper intumescebant & computrescebant viscera & femora illarum, quæ aquam maledictam bibebant, & violati thori reæ erant. Deinde aliam fuisse rationem Judaicarum, quam nostrarum puellarum. Judæorum sanguis valde fuit calidus, & corruptioni, si ullus, facillime obnoxius, quod ex lepra, a qua gens illa præ aliis valde infestabatur, manifestum est: nam ea longe alterius erat generis, quam vitiligo harum regionum, aut vulgaris elephantiasis. Quæ causa quoque fuit, præter ceremonialem, cur velarent faciem, ne inficerent aerem, cur a cœtibus hominum excluderentur; cur carnes suillas illis vesci non liceret, cur menstruatæ haberentur pro immundis,

mundis, & visu solo sæpe læderent res objectas, quorum longe variat ratio apud nos, cœli solique mutatione. Nemo ergo mirabitur, αἱμορῤῥαγίας hujus femineæ aliam apud Judæos, quam nostrates rationem. Quibus Lydii rationibus adhuc alia ratio physica addi potest, videlicet Judæorum filii in consistente jam ætate, filiæ vero in prima adolescentia & pubertate, circa annum ætatis duodecimum, elocabantur, circa quod tempus in puellis claustrum virginale, secundum quosdam vel in hymene, vel secundum alios in carunculis myrtiformibus, vel in angustia naturali &c. consistens, adhuc est obstructum vel coarctatum, atque a crebriori mensium fluxu, uti in adultioribus apud nos virginibus, & quidem, quæ non adeo mature nubunt, observari solet, nondum dilatatum; unde impossibile fere videtur, quod viri membrum genitale, si legitime vel extraordinarie crassum, virginis adeo tenellæ vaginam uterinam adhuc angustam, vasisque, imprimis œstri venerei tempore, sanguine turgescentibus instructam, in violenta illa actus venerei collisione, sine venularum apertura aut dilaceratione indeque subsequente cruentatione aperire possit; quatenus Judæis circa menstruationis tempus, quo partes mulierum genitales per humorum affluxum lubricitari atque distendi hactenus ex Autoribus monstravimus, nec coitum cum sponsis, nec uxoribus cum maritis celebrare permissum erat. In nostris econtra regionibus virgines utplurimum adultiores, quam apud Judæos, annosque pubertatis diu transgressæ, menstruasque purgationes, quæ vias illas paulo ampliores reddere atque dilatare possunt, interdum jamdudum perpessæ, elocari solent. Quare de nostratibus virginibus non statim, uti de Judæorum puellis, ita erit concludendum: primus hujus sponsæ congressus non fuit cruentus, ergo fuit virgo vitiata, siquidem apud nos quandoque sponsus sponsam non diu post tributum lunare (quod Judæis lege divina prohibitum erat) amplecti atque inire solet, quo tempore, uti dictum, viæ magis patulæ sunt, atque fibræ sinus uterini ratione laxitatis facillime & absque vaso-

rum ſanguiferorum disruptione & ſine ſubſequente cruentatione, ulterius expanduntur. Præterea quoque, licet nulla proxime præceſſerit menſtruatio, fieri poteſt, ut virgo ſine cruentatione a viro agnoſcatur, quando nimirum ſponſus haſtam virilem gerat nimis gracilem vel parvam, virgo econtra vel ob ætatem provectam, vel natura vel ob ſtaturam, vaginam bene largam habeat & amplam, ut facilem & incruentum præbeat ingreſſum, quamvis nullum antea virum fuerit experta, vel etiam quando tenuiſſima, quandoque reperibilis membranula a menſibus transeuntibus aut humoribus acribus & corroſivis, juxta Theod. Craan *de Homin. cap. 164. p. 724.* exeditur; vel quando puellæ vel virgines laſcivæ a prurienti libidine excitatæ, cum nulla viri facultas detur, ſeſe aut digito, aut farcimine, aut phallo artificiali vel alio quodam inſtrumento peniformi atterendo petulanter perfricant, ut illud, quod intus obicem ponit, ſive ſit hymen, ſive coarctatio, dilacerent vel dilatent, ac ſanguinem ante primum congreſſum matrimonialem proliciant; ut itaque mirum non ſit, tales virgines deinceps primum coitum cum ſponſo absque cruentatione celebrare, quanquam nunquam antea compreſſæ fuerint. Inquit etiam Daniel Tauvry *Anat. cap. 12. p. 213.* in Gallia, puellæ paulo adultiores elocantur, nec inſtans aut modo præterlapſum fluxus menſium tempus obſervatur, ideoque non in omnibus puellis, licet illibatæ ſint virgines, hæmorrhagia illa contingit.

§. 19.

Cruentatio nullum ſignum.

Vidimus proinde, ab hactenus deſcriptæ, primi congreſſus matrimonialis, cruentationis præſentia plerosque Autores equidem infallibile hucusque conſervatæ atque illibatæ virginitatis ſignum deſumere; quoad defectum autem dictæ cruentationis eosdem diſſentire, dum alii exinde prægreſſam defloration em defendunt, alii autem huic ſententiæ, ob varias, cruentationem impedientes, cauſas, contradicunt, nihilque certi exinde probari aut concludi poſſe ſtatuant. Attamen neque etiam prima ſententia

tentia de cruentationis præsentia, indeque sumenda virginitatis nota, adeo firmo stat talo, cum secundum supra allegatos Autores ejusmodi cruentatio non solum in primo coitu, sed post multos etiam repetitos congressus atque in viduarum nuptiis secundis fuerit observata. Deinde etiam ipsius primi nuptiarum congressus cruentatio suspecta nonnullis esse solet, & quidem ob varias meretricum aut virginum jamdudum defloratarum fraudes & sophisticationes, quibus non modo vias naturales, frequentiori cohabitatione jam satis ampliatas, iterum constringunt adeoque coarctant, ut cum sponso congredientes æque angustæ ac virgines illibatæ sentiantur & deprehendantur, quandoque etiam in valido conflictu, imprimis cum onobelo seu bene mentulato, sanguinem fundant, pro quo scopo aliæ alias quoque artes adhibere solent; de quibus paulo post circa sophisticationem pluribus agemus.

§. 20.

De hoc cruentationis signo ita judicat Michael Alberti *Jurispr. Medic. cap. 2. §. 9. seq. p. 66. seq.* E solennioribus magisque speciosis signis, quæ virginitatem integram testari debent, allegatur etiam cruentatio genitalium in feminis sub primo congressu contingens, siquidem ex Sacri Codicis loco *Deuter. 22. v. 13. 19.* Virginitas accusatæ feminæ in casu necessitatis, ubi illius integritas in dubium vocatur, demonstrari solet: ubi quidem hoc signum pro virginitatis teste, si ab omni fuco & fraude alienum est, admitti potest, licet ob sequentes circumstantias illud non in omnibus puellis, quæ tamen adhuc integræ esse possunt, reperiatur 1) quando in illis partes genitales non valde angustæ sunt; 2) quando masculus exiliori membro virili præditus est, 3) femina vero proxime ante hunc congressum mensibus laboravit; 4) quando alias procerioris staturæ est, adeoque patentiora genitalia habet; 5) quando frequentius largiori mensium fluxu laboravit; 6) aut aliquando fluorem album experitur; 7) quando sponsa ætate adultior, sponsus vero junior est; 8) quando præcesserunt violentæ *Observatio.*

genitalium contusiones; 9) quando petulantes feminæ partes suas genitales frequenti frictione & titillatione atterunt; 10) quando repetitis balneis ante congressum usæ sunt; 11) quando a naturali conformatione hymen adest, & reliquæ partes laxius structæ sunt; 12) quando totum temperamentum feminæ laxius existit; 13) quando in masculo insufficiens membri rigiditas, quin potius laxitas adest. De hoc signo cruentationis passim varia prostant testimonia, dum aliquando pro indice læsæ virginitatis admittitur, aliquando infirmum esse declaratur, interdum variis fraudibus obnoxium esse significatur; imo defectus illius haud corruptionem perpessam esse denotat, licet cæteroquin testimonia prostent, ubi feminæ aliquoties sub repetitis congressibus carnalibus talem cruentationem subierunt, quæ tanto certius contingit ex maris cohabitantis nimia proceritate & feminæ teneritudine. Ibidem etiam dictus Autor *pag. 74. seq.* aliquot casus suspectæ virginitatis a cruentationis tam absentia, quam præsentia desumptæ, cum epicrisi annectit.

§. 21.

Signum an ex uteri orificio?

Denique etiam ex interno uteri orificio virginitatis signum peti posse videtur, siquidem, secundum Isbrand. de Diemerbr. *Anat. Lib. 1. cap. 26. fol. m. 146.* in virginibus dictum orificium angustum & æquale, in iis vero, quæ aliquoties pepererant, majus & quasi duobus labiis subduriusculis, veluti carunculis nonnihil tumidis, præditum, quæ labia in virginibus vix, aut non inveniuntur. Quod tamen signum æque fallax ipsi Isbrando de Diemerbroc videtur.

§. 22.

Virginitatis nullum certum signum.

Ex tanta igitur adductorum virginitatis signorum fallibilitate atque incertitudine sufficienter constat, quam difficulter Medico de virginitate judicare atque deponere liceat, ideoque non mirandum, quod plurimi Medici nullum certum atque infallibile dari virginitatis signum, neque simulatam virginitatem certe dignosci posse, imo inspectionem quoque partium genitalium infidam

infidam esse, statuant atque defendant, v. g. Johannes Bohnius *de Offic. Medic. dupl. Part. 2. cap. 5. p. 625. seq.* inquit: Medicorum renunciationes (olim frequentius ac hodie) aliquando sollicitantur, & horum quidam in deponendo plus faciles justo se præstant, ubi de juvenculæ virginitate integra corruptave controversia emergit, hujus castitatem theoriis ac conjecturis meris seu signis fallacibus maxime ac omnem avtopsiam nonnunquam superantibus, dimetientes, i.e. utut de certo & infallibili virginitatis signo nondum constet, & quæ hujus generis communiter enarrantur, vel avtopsia haud observentur congrua vel fallant, vid. etiam *cap. 6. p. 636.* Johannes Fridericus Ortlob *Histor. Part. dissert. 34. pag. 268.* scribit: Quamvis inter virgines & defloratas, imo maritatas diutius, discrimen intercedere non inficier, imo etiam in concubitu utplurimum signa sese ex nominatis exerere possint, quæ virgines distinguunt a reliquis: ab inspectione tamen & contactu minus fidum judicium depromi exin auguror, quod signa ejusmodi sint, quæ partim & in virginibus, & in non virginibus inveniantur, partim vero sua absentia aut præsentia nihil indubitati concludant, imprimis quia non mox a compressione inspectio adornatur. Post recensionem atque examen omnium fere virginitatis signorum demum Casparus a Reies *Elys. jucund. Quæst. Camp. Qu. 39. n. 30. p. 484.* ita loquitur: Ex prædictis omnibus patet conclusio, omnium Medicorum votis confirmata, signum scilicet virginitatis nullum certum & proprium dari, quod in omnibus aut semper inveniri debeat; quibus & nos quoque assentimur. Scribit etiam Balthasar Lydius ad Johannem Beverovicium: nulla, ut video, dari possunt infallibilia virginitatis signa: Eradant ergo Jurisconsulti legem primam Dig. de inspiciendo ventre, cum Cujacius *Observ. Lib. 17. cap. 27.* fateatur, an sit virgo, esse in difficili, ac pene impossibili, v. Joh. Beverov. *Epistol. Quæst. p. 54.* Secundum Hieron. Capivacc. *Pract. Medicin. Lib. 4 cap. 2. p. 859.* defloratio vel natura tegi vel arte ita occultari potest, ut interdum etiam periti medici & obstetrices fallantur, quam sententiam etiam tenet

Hieronymus Mercurialis, qui de ea re aliquando consultus: usque adeo, inquit, incerta virginitatis indicia habentur, ut tum vir, tum femina vitiati, virgines apparere concumbentibus, tam Medicis atque obstetricibus possint: unde neque inferre licet, puellam aliquam esse defloratam, quod velamine careat, locosque latos habeat: neque esse virginem, quod membrana illa integra in ipsa reperiatur. Idem quoque statuit Augenius, qui nullo certo signo affirmat virgines a mulieribus distingui posse, v. Fortun. Fidel. *de Relat Medic. Lib. 3. Sect. 1. cap. 4. p 352.* Prolixe etiam de hac materia, quod scilicet virginitas, defloratio, defloration isque tempus certis notis haberi nequeat, agit Julius Cæsar Claudinus *Responsa Medic. 40. p. 257. seq.* Eo, inquiens, quarundam feminarum malitia devenit interdum, ut, quemadmodum jam defloratæ omnem curam exercent, qua virgines appareant, sicque nondum expertum virum decipiant; ita quandoque omnes nervos intendunt, ut adhuc vel virgines existentes virgineo flore destitutæ possint apparere, vel si revera violatæ existant, mox violatæ censeri velint, cum tamen a defloratione majus longe spatium temporis, quam referant, interceserint. Et porro: Sicuti a sacro Medicinæ fonte non religiose forsan multa sibi parant ad ementiendam virginitatem, ita & ad eandem a suis limitibus minime recedentem medicis indiciis obscurandam, aliquo sibi proposito fine, iis circa muliebres partes uti possunt, quæ sæpissime sunt in causa, ut undequaque periti medici, ne dicam imperitæ obstetrices, nullis nisi nugis innixæ, ea ratione decipiantur, ut & eas, quas non deberent, defloratas affirment, & eas, quæ defloration em multis abhinc mensibus (annis dici poterat) passæ fuerunt, hanc non subiisse, vel paulo ante subiisse deponant, atque hoc eo magis, quoniam malitiosis mulierum artibus natura ipsa favere potest, ut totam virginitatem, indubiam defloration em, certum defloration is tempus astruere tum medicis, tum mulieribus obstetricibus, nisi divino spiritu suffultis, fuerit denegatum. Signa virginitatis tribus conclusionibus negat Paulus

Zac-

Zacchias *Quæst. Med. leg. Lib. 4. Tit. 2. Quæst. 1. n. 14. fol. 375.* inquiens, virginitatis nullæ dantur certæ & infallibiles notæ, accepta virginitate, prout est quædam muliebrium vasorum integritas, ex conjunctione viri non maculata. Acceptissima est hæc conclusio recentioribus omnibus tam medicis, quam Jurisconsultis. Ratio autem hujus conclusionis est, quia ea potissimum signa, quibus maxime in ejus rei attestatione fidendum esset, vel fallacia sunt, & nihil certi promittunt, vel realiter nulla sunt. Secunda Zacchiæ conclusio est: Virginem esse corruptam per viri conjunctionem, per quantacunque signa corruptionem attestantia, firmari non potest. Tertia conclusio est: Quibuscunque signis, quæ virginitatem incorruptam testari possunt, præsentibus, virginem esse incorruptam, certo firmari non potest. Hasque conclusiones dictus Autor ibidem explicat. De præsentis virginitatis signis scribit Nicolaus Venette *de la Generat. Part. 2. cap. 1. Art. 2. p. 85.* il est vray, ainsi que nous l'assurent Riolan & Pinay, qu'il n'y a rien dans toute la Medecine de plus difficile, à connoître, que la virginité, & que mesme selon la pensée de Cujas, il est presque imposible d'en avoir des marques assurées. Il n'est point d'industrie ny de rémedes, que les filles n'inventent pour disimuler la perte, qu'elles en ont une fois faite. Et *cap. seq.* de signis absentis virginitatis *pag. 92.* inquit idem: Aprés tout ce que nous venons de dire, nous devons croire, qu'il n'y a point de marque assurée de la virginité, ny du violement d'une fille. Que tous les signes, dont nous avons parlé, sont presque toûjours équivoques & incertaines, à moins qu'on n'usast de conjectures evidentes &c. Et Jean Palfyn *l. a. p. 45.* inquit: Il y a peu de dispositions au corps humain, dont les medecins & les naturalistes ayent donné autant de signes, qu'ils ont fait de la virginité dans le sexe feminin. Cependant l'on peut assurer, que cet état est difficile à connoître, que parmi toutes les marques, que les Auteurs en ont données, il n'y en a pas une seule, qui soit absolument sûre & indoutable. Juxta Mich. Bernh. Valentin. *Novell. Med. legal.*

legal. Caſ. 8. pag. 230. in quodam caſu reſpondet facultas medica Lipſienſis: quod nonnulla quidem aut læſæ aut integræ virginitatis ſigna a medicis allegentur, attamen cum eadem in adultis valde dubia & incerta ſint; hinc ad quæſtionem, an per inſpectionem infallibilia, vel ad minimum valde probabilia indicia inveniri poſſint? nil certi determinari & decidi poſſit. vid. etiam Joh. Frid. Zittmann. *Medicin. Forenſ. Cent. 3. Caſ. 65. pag. 747. ſeq. & Caſ. 77. pag. 797.*

CAPUT VII.

De Virginum Inſpectione.

§. 1.

Inſpectio. SCilicet præter adducta virginitatis ſigna alius adhuc virginitatem cognoſcendi modus veteribus ſupereſſe videbatur, virginum ſcilicet inſpectio, earumque partium genitalium contrectatio. Cum autem pleraque hactenus recenſita virginitatis ſigna, a pudendi pilis, labiis, nymphis, hymene, vagina &c. deſumenda, pariter viſitatione & attrectatione indagentur, & nihilominus fallacia fuerint judicata, ab ejusmodi etiam inſpectione, imprimis ab obſtetricibus inſtituta, rariſſime vel nunquam certum & infallibile virginitatis ſignum peti poterit; cum præſertim etiam atretæ ſeu imperforatæ, uti tractatu de conceptione monſtrabimus, absque membri virilis immiſſione concipere atque virginitatem amittere queant.

§. 2.

Suſpecta. Non enim tantummodo hactenus adducta virginitatis ſigna, contra veterum opinionem, plerisque recentioribus videntur fallacia, ſed ipſa quoque, pro hoc ſcopo tam a medicis, quam obſtetricibus inſtituta inſpectio, uti modo *dictum*, ſuſpecta eſſe ſolet; Quapropter Caſpar a Reies *l. a. p. 485. n. 31.* poſt ſignorum virginitatis refutationem ſequentia annectit: ex his omnibus inferendum, inſpectionem illam de jure pontificio poſtulatam nil certitudinis obtinere poſſe, cum fallax omnino ſit, & evidentiæ perquam

quam minimum importet, imperitarum præsertim mulierum nixa testimoniis, quibus facile est decipi: ut merito *in cap. nec aliqua 27. Quæst. 1. & Lib. 4. decretalium Tit. 15. de frigidis cap. 5.* hoc advertatur per hæc verba: sæpe fallitur oculus & manus obstetricum. Nec illa inspectio sola aliquid probabile apud judices convincit, tantumque in re dubia & magnis negotiis, qualis matrimonii est separatio, expostulatur, ut aliis probationibus faveat, probabilioremque partem roboret; ut docet Abbas Panormitanus *in cap. ultim. de frigidis & maleficiatis & in glossa verbo septima n. 10.* qui ait, licet præcesserit puellæ inspectio, juramentum propinquorum semper fere necessarium, quia virginitatis probatio argumentum est fallax, & illam explorare non solum in difficili esse, sed pæne impossibile scribit Cujacius *Lib. 17. Observat. cap. 20.* Cui sententiæ quoque adstipulatur Johannes Bohnius *de Offic. Medic. duplic. Part. 2. cap. 6. p. 635. seq.* non raro, inquiens, simulatam seu ementitam virginitatem a genuina seu illibata discernere, & quidem in variis casibus, postulantur medici; quod nihilominus jurisperitorum postulatum reprimere videntur ex horum Doctoribus diversi haud *infimæ notæ*, v. g. Cujacius *Lib. 17. Obs. 20.* ubi virginem dignoscere rem admodum difficilem ac pæne impossibilem asserit: & Sanchez *7. de Matrimon. Disp. 113. n. 10. 11. &c.* certa atque infallibilia virginitatis signa dari prudenter negat. Præterea etsi temerarios satis quosdam observemus medicos in virginitate adstruenda ac diffitenda, ejus characteribus determinandis, cum ipsa arte opprobrio ac risui publico se exponentes, v. g. dum pelliculam, hymenem dictam, oculis suis usurpasse sub juramenti fide deponunt, quod vitrico illi, de incestu suspecto, ac judici persuadere satagebat Medicus postulatus (de hoc casu vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. Med. Legal. Cas. 8. pag. 226. usque 234.*) Sunt nihilominus nec illorum pauci, qui arduum hoc deponendi munus ingenue ac modeste detrectant, nullumque signum proprium & univocum virginitatis dari affirmant, inter quos non sine ratione numero Pinæum, qui etsi signa integræ ac solutæ

zonæ virginalis innuere prolixius allaborarit, incerta tamen illa hinc inde pronunciat. Quorum vestigia ego quoque legens defendere haud ambigo, artem medicam & per hanc factas genitalium muliebrium visitationes atque contrectationes vix forsan adæquatum existere modum ad virginem a defloratæ discernendam, prout quemlibet, negotium hoc pensitantem, sana ratio docebit. Et prout inspectio muliebrium, quod fallax admodum sit, non jure civili, sed pontificio tantum postulatur, imo nonnulli etiam hujus canones eandem remedium minus fidum ajunt, v.g. *in Cap. Causam matrimonii, de probationibus*, ubi, non obstante matronarum inspectione, permittitur secunda; sic a circumspectis jurisperitis in re dubia & magni momenti tantum, qualis matrimonii solutio, eadem commendatur, ut reliquis nempe probationibus seu præsumptionibus faveat, probabilioremque partem roboret. Quis proin cum Riolano nihil unquam in arte medica difficilius judicaret, quam puellæ virginitatem detegere, seu inspectionem hujus gratia adornatam non anceps credere testimonium? quod scilicet meram conjecturam, minime exactam notitiam præstat. Hæc Bohnius. vid. ejusdem *Medicin. forens. Specim. 3. §. 7. seq.* Ob talem signorum virginitatis incertitudinem admonet etiam Ambrosius Paræus *Tractat. de Renuntiat. Oper. fol. 657.* Medicos & magistratus, ut caute hac in re agant; videant, inquiens, magistratus, ne moniti nimium temere muliercularum renuntiationibus assentiantur. Videant Medici & Chirurgi, ne magistratum nimium impudenter in errorem non tam judicibus, quam sibi infamem futurum, præcipitant.

§. 3.

Imprimis obstetricum. Imprimis autem obstetricum aliarumque matronarum inspectio, atque testimonium de virginitatis præsentia vel absentia non immerito hodierno tempore suspectum esse solet, quamvis olim ex incertis signis tanquam e tripode de virginitate vaticinarentur. Inquit enim Johannes Bohnius *loc. all. cap. 3. pag. 565.* obstetricibus non favet vulgi hypothesis, quod nihilominus muliebria

liebria quotidie tractent: tractant gravidarum & parturientium tantum, & quidem negligenter satis, nec ideo in causis arduis admittendæ. Qua ratione siquidem fatuæ ejusmodi majæ de virginitate judicabunt, nunquam per anatomen virginitatis notas edoctæ? quo fundamento testabuntur de eo, quod ignorant? nonne defloratam æque virginem renunciabunt ac virginem corruptam, illud in præjudicium tertiæ, hoc non sine famæ & pudicitiæ ipsius visitatæ enormiore violentia &c. Et juxta Johann. Beverovic. *Quæst. epist. pag. m. 43.* refert Lucius Marineus *de Reb. Hispan. Lib. 12.* Joannem Aragonum & Siciliæ Regem, jam octuagenarium, puellam forma præstantem adamasse. Verum cum hac, inquit, osculis duntaxat contentus amoris opus non perfecit. Igitur nec virginitas ejus libata, sed illud modo,

Quod poterat salva virginitate rapi.

Nam postea, quum puella nupsisset sponso, a quo die nuptiarum virginitatis munera poscebat, se quidem non violatam esse, multarum mulierum testimonio probavit. Hebræos etiam solitos virginitatem explorare per obstetrices, ex narratione Suidæ patet in explicatione nominis Jesu, ubi ablegatas scribit mulieres ad inspiciendam B. Mariam, utrum sine congressu viri & illæsa virginitate concepisset. vid. Joh. Beverov. *Quæst. epistol. p. 42. seq.* Verum ubi nihil est, quod inspicere possint, nec ipsæ, quid inspici oporteat, intelligant, frustra earum opera hic utimur. Quamobrem hac in re, etsi obstetricum diligentia de more consulitur, solent tamen juxta Fortun. Fidel. *de Relation. Medic. Lib. 3. cap. 1. p. 337.* incertæ fallacesque esse feminarum observationes: ut graviore opus sit artifice, qui diligentius omnia perquirens, rem ipsam quoad licet, deprehendat. Ad quæstionem, an circa virginitatem obstetricibus solis inspectio ventris sit committenda, an vero medici ad ejusmodi investigationem præcipue sint admittendi? ita respondet Hermannus Fridericus Teichmeyerus *Institut. Medicin. legal. cap. 4. p. 29. seq.* Romani negotium ventrem inspiciendi obstetricibus committebant, juxta *Tit. ff.* de ventre

inſpiciendo, item conſtitutio criminalis Caroli V. *Art. 5.* & juxta hunc plures etiam JCti & LL. obſtetrices quoque vel matronas requirunt prudentes & expertas. At hæ vix idoneæ ſunt, noſtrates imprimis. Nihil enim amplius ſciunt, quam puerum naſcentem gremio recipere, umbilicum reſcindere, obligare, in balneo a ſordibus abſtergere ac faſciis tandem involvere. Cum vero de ſtructura genitalium anatomica, earumque conſtitutione, vel naturali, vel præternaturali, judicium ferre debent, enormiter hallucinantur. Juxta Cujacium virginitatem cognoſcere res eſt difficilis ac pæne impoſſibilis, nec hujus rei unquam obſtetricibus delatum fuit arbitrium, vid. Joh. Riolan. *Anthropogr. Lib. 2. cap. 35. fol. 193.* De his Cujacii verbis inquit Caſpar a Reies *l. a. Qu. 39. p. m. 486.* Concedit equidem Cujacius obſtetricibus inſpectionem ventris, ut ſciatur, an mulier uterum gerat aut geſtaverit; ſed iisdem virginitatis declarationem aut judicium demandari non legitur. Longe altioris indaginis res eſt inſpectio ſeu exploratio virginitatis integræ pariter atque læſæ, obſtetricibus imprimis vel aliis mulieribus, pari cum prioribus ignorantia laborantibus, committenda. Ut veterum ſimplicitas deridenda potius, quam imitanda ſit, quando indignum & indecorum eſſe judicarunt, imo publica plane lege prohibuerunt, ne ad explorandam puellæ cujusdam virginitatem ſive integram ſive violatam Medici vel Chirurgi admitterentur. v. Andr. Ottomar. Gœlicke *Medicin. forenſ. Specim. 5. §. 11. p. 90.*

§. 4.

Autoritas. Secundum Ambroſ. Paræum *Lib. 23. cap. 42. fol. 528.* affirmant obſtetrices, poſſe ſe certo virginem a corrupta diſcernere membranulæ hymenis integræ vel ruptæ argumento. Harum obnunciationibus dum nimium creduli judices fidem adhibent, ſæpe in errorem impelluntur: nihil enim de illa membrana certum habent obſtetrices. Quod etiam idem Paræus *fol. 657.* repetit, ſcilicet matronas atque obſtetrices certis notis ſe feminarum virginitatem conſequi jactitare, quas tamen notas admodum fallaces

eſſe

esse ibidem monstrat Henricus Salmuth *Annot. in Guid. Pancir Rer. memor. Part. 2. Tit. 10. p. m. 173.* inquit: non putet aliqua, ita se posse hac excusatione defendi, quod inspici & probari possit, an virgo sit: cum & manus obstetricum & oculi sæpe fallantur. *Can. nec aliqua 27. qu. 1.* Scribit etiam Nicolaus Venette *l. a. Part. 2. cap. 1. Art. 2. p. m. 83.* Les matrones, que l'usage à rendues arbitres de la virginité de filles & de la chasteté des femmes, ont des lumieres trop foibles sur cette matiere, pour être les seules personnes, en qui on puisse se fier pour en decider. On doit estre éclairé dans l'anatomie plus qu'elles ne sont, pour faire des rapports ausi justes & ausi veritables, que ceux qui sont la cause du credit & de la reputation des juges, de l'honneur des filles & des femmes, de la justification d'un mari, & du repos de la societé humaine. Ipsissima hæc verba leguntur quoque apud Palfyn *l. a. p. 44.* Refert etiam Andreas Ottomarus Gœlicke *Introduct. in Histor. liter. de Medicin. Forens. §. 60. p. 45.* Thomam Tigeonem, Andegavensem in suo Antimæologico, contra sententiam vulgarem demonstrare conari, obstetricibus, de virginitate aut defloratione mulieris adulteræ testimonium ferentibus, tantum fidendum non esse. Et Michael Alberti *Jurisprud. Med. cap. 3. §. 10. p. 67.* scribit: Quo signa virginitatis providæ explorentur, ita aliquando licet ocularem inspectionem in subsidium ducere, siquidem ex nudo adspectu corporis paulo facilius virgo cognosci potest, & propterea non modo aliqui hanc inspectionem admittunt, sed ultro concedunt necessarium contactum partium explorandarum. Hanc inspectionem aliqui obstetricibus juratis concedunt, sed quoniam obstetrices cum suis divinationibus de virginitate non satis peritæ sunt, ita etiam medicis eadem inspectio committitur; etsi de virginitate testanda medici & obstetrices dissentiunt, tunc prioribus credendum esse, varii præcipiunt. Quantum depositionibus obstetricum pro virginitate attestanda fidendum sit, docet Bravo de Sobremonte *l. a. Sect. 5. Resol. 9. §. 6. p. 208.* ubi docet ipsarum inspectionem ac testimonium esse fallibile; simulque ex Nicolao Fer-

mosino admonet, quod matronæ debeant esse artis peritæ, honestæ, ac bonæ famæ, non leves aut viles, ne modico pretio subornatæ falso deponant. Deinde pergit: licet tales reperiantur, repugnat tamen inveniri aliquod evidens signum, per quod possint evidenter attestari, virginitatem adesse vel abesse alicui mulieri. Ex eo apparet, quod semper possunt per prædicta signa falli. Licet etiam antiquioribus obstetricibus fides est tribuenda, tamen non nostris; quin solum sciunt fœtum ab utero recipere, umbilicum abscindere & fasciis puerum involvere, quia sic viderunt, & ut in plurimum sunt rudes, ex plebe abjecta rustica; antiquiores vero medicæ fuerunt & scientificæ, quæ non solum insistebant in obstetricatu, sed omnes mulierum curabant morbos, Philosophiam & Medicinam discebant, & libros intelligendi & componendi compotes evaserunt, ut apud Augenium & Tiraquellum patet &c. Hanc obstetricum inspectionem etiam damnat Johannes von Beverwyck im Schertz der Gesundheit *Part. 2. cap. 5. f. m. 197.* juxta verba versionis Germanicæ: Man soll das ungeschickte Besichtigen und Befühlen, weil es unehrbar und unverschämt, billich verwerffen, und die Weh-Mütter, welche sich mit solchen schändlichen Dingen behelffen, vor Betrügerinnen lauffen lassen; sonderlich weil nicht allein durch die Ungeschicktheit der Weh-Mütter, sondern auch durch das fürwitzige Grübeln und Untersuchen der Jungfrauen selbst, die Jungferschafft vielmahls verlohren wird.

§. 5.

Exempla. In quantum etiam obstetricum inspectioni atque attestatis fidendum sit, patet ex Bravo de Sobrem. *l. a. p. 208.* ubi refert, quinque obstetrices cum jurejurando attestatas fuisse feminam quandam esse virginem, de qua tamen constitit, quod abhinc septem mensibus filium pepererat. Quod absque dubio idem exemplum est, quod ex Horatio Augenio, de sex probatæ famæ seu peritiæ obstetricibus, juvenculam quandam, quæ septem antea mensibus puerum pepererat, virginem intactam judicantibus, recenset Johannes Bohnius *de Offic. Medic. dupl. Part. 2. cap. 6. p. 637.*

Aliud

Aliud exemplum recenset Hermannus Fridericus Teichmayerus *l. a. p. 30.* inquiens: Perita olim credita & jam defuncta quædam obstetrix hic aliquot abhinc annis suspectæ virginis organa lustrabat, atque coram magistratu oppidano illibatam illam atque integram pronunciabat; præterlapsis autem aliquot deinceps septimanis in museo studiosi patris pariebat. En ergo scientiam & experientiam obstetricum. Sic etiam Vito Riedlino *Linear. Medic. an. 1696. Mens. Jun. Obs. 17. p. 283. seq.* suspectum est quatuor obstetricum de virginitate illæsa testimonium; Ipsius autem verba sic sonant: Quod dubia & incerta sint virginitatis signa, unanimi ferme ore omnes, qui hanc materiam tractarunt, testantur Autores. Licet enim varia narrentur, nullum tamen sufficiens esse, facile probatur. Hymenis quidem præsentia non omnino rejicienda esse videtur, ast quis ex ejusdem absentia indubitato de virginitate amissa testabitur? cum variis modis virginitate plane intacta lædi possit; quale obstetrices nostræ hoc in negotio dederint testimonium, jamjam narrabo: Luserat petulans quidam juvenis cum puella quadam haud ita pudice, quod cum mater puellæ resciviset, statim suspicata filiam inde gravidam factam fuisse, vinum in vase cupreo per noctem infusum eidem exhibitum, cum vomitus subsequeretur, se rei adhuc magis certam credens, ut juvenis illam uxorem ducere cogeretur, rem ad magistratum detulit, qui juvenem carceri incluſit, ubi cum nil solidi, quo se excusare posset, inveniret, tandem ad inspectionem provocavit, se enim certo scire, nisi alius stuprum intulerit, illam adhuc virginem inventum iri. Instituitur hæc ad ejusdem petitum, & quidem per quatuor seniores obstetrices, quæ testantur, se illam adhuc virginem invenisse. Juvenis hinc absolvitur, & e carcere liberatur. Cui tamen fundamento hoc obstetricum testimonium innixum fuerit, rescire non potui; haud ita validum vero fuisse, ex ignorantia illarum sat nota, facile mihi imaginari possum; felicem interea juvenem, quem harum inscitia maxime juvit. Ob tantam itaque obstetricum ignorantiam fidemque suspectam

ipsis

ipsis solis nunquam a magistratu inspectio atque relatio committitur, sed tantummodo medicis ideo associantur, ut ipsorum jussu partes pudendas dilatent, aliaque mandata faciant. Hinc etiam in responso facultatis medicæ Lipsiensis anno *1683. in* puncto incestus cum impubere dato, inculpatio in prudentis cujusdam Medici juratique obstetricis inspectionem & relationem redundabat. In ipsa tamen medici relatione nulla alia obstetricis fit mentio, nisi quod labia vulvæ diduxerat. v. Mich. Bernhard. Valent. *Novell. med. legal. Cas. 8. p. 230. seq.*

§. 6.

Observatio. Quod etiam ante aliquot annos hoc in passu mihi ipsi acciderit, paucis adducam: Uxor scilicet rustici cujusdam a marito suo in Consistorio accusabatur, quod per totum matrimonii tempus, per aliquot jam menses durans, eandem inire non potuerit, quapropter etiam divortium expetebat. Cum autem ipsa pro sua defensione nihil adduceret, neque etiam, an morbo vel vitio quodam laboret, revelare vellet, dicti Collegii mandato magistratus civitatis duas non solum obstetrices, sed quatuor etiam matronas ad *ipsius inspectionem* eligebat, easque ad status veritatem referendam juramento obstringebat, me tanquam Physico, tantummodo a latere auscultante. Dictæ vero obstetrices, internas pudendi partes indagaturæ, nullum in uteri vaginam ingressum, sed durum quoddam impedimentum se reperire dicebant; quapropter ipsarum ignorantiam exprobrans statim jubebam, ut, annon in isto obstaculo foramen quoddam deprehendatur, perscrutentur, atque immisso digito, sine dubio *ibidem* latitantem pessum extrahant. Quo facto non solum magnus pessus cereus cum angusto foramine apparebat, sed simul etiam uterus cum tota vagina uteri inversa, marsupii *instar*, prolabebantur. Hoc autem quid esset altera obstetricum, quæ satis sapiens sibi videbatur, se nescire, talemque casum, vaginæ videlicet uterinæ inversionem, *sibi* nunquam innotuisse fatebatur. Quapropter post ocularem inspectionem, quæ mihi antea interdicta quasi erat,

erat, non modo prolapsam uteri vaginam reponendam, sed pessum quoque, qui, secundum dictæ uxoris confessionem, jamdudum ibidem loci latitarat, iterum applicandum curabam. Hæc de obstetricum fallaci judicio sufficiant; de ipso autem prolapsu atque plenaria vaginæ inversione, cum aliquot sanguinis guttulis ex ipsius uteri stillantibus, integram observationem cum divortio in alio tractatu recensebimus.

§. 7.

Inspectio quando instituenda?

Interim negandum non est, quandoque etiam per inspectionem de virginitate læsa judicium non adeo incertum ferri posse, si nimirum statim aut saltem post unam aut alteram a cohabitatione horam vel diem talis partium pudendarum inspectio instituereturr; Siquidem si virgo de recenti violata sit, & plures congressus sustinuerit, ea, juxta Paul. Zacch. *Qu. med. leg. Lib. 4. Tit. 2. Qu. 3. fol. 379.* facili negotio, vel a quavis inexperta obstetrice, deprehendi poterit ex simplici locorum inspectione; nam & ipsæ uteri partes adhuc sanguinolentæ, & consueto rubicundiores & quasi inflammatæ conspicientur, si recens admodum stuprum fuerit; sin minus, aut si una aut altera hebdomada interceserit, vel etiam tertia, eæ naturali colore destitutæ apparebunt, & eo magis ad livedinem vergente laxiores etiam vias & humidiores notabit, quin etiam ad tactum dolorosas experietur &c. Cum hæc autem inspectio utplurimum ad aliquot septimanas & menses & ultra differri soleat, nullum sane illibatæ aut læsæ virginitatis seu concubitus indicium exinde promitti potest; imprimis si unico tantum congressu mulier defloratа fuerit; quatenus rubor ille seu color extraordinarius in virginum vulva a primo coitu exortus post tantum temporis spatium evanescit, viæque aliquantum expansæ iterum se constringunt atque coarctant; hinc etiam Paulus Zacchias *l. a. Tom. 3. Consil. 34. fol. 62.* pro defensione Stephani Nocetti, qui virginem violasse accusabatur, contra obstetricum depositionem ita excipit: Signa violationis, quæ ab obstetricibus adducuntur, non potuerunt ullo modo vere observari in di-

cta Maria Franciſca, quia jam pertranſierant quatuor ſeu quinque menſes, a quo violata præſumebatur. Deinde quod deponunt de quodam rubore, obſervato in ipſa vulva Franciſcæ, falſiſſimum eſt, quia hujusmodi rubor ſeu color mutatus, obſervatur primis diebus, & non ultra ſeptem aut quindecim, ut omnes medici fatentur, & ratio ipſa dictat: nam impreſſio facta a ſtupratore, & concurſus ſanguinis ad loca illa ob violentiam paſſam, omnino obliterantur prædicto dierum ſpatio ad ſummum; ita ut nimis a vero abſit, quod obſtetrices talem ruborem potuerint in Maria Franciſca obſervare; quod ſi aliquis forte rubor apparuerit, is ex alia multum diverſa cauſa apparere potuit, quam ex ſtupro. Et tanto minus obſervari potuit hic rubor in Franciſca, quanto magis illa loca ampla & humidiſſima habet, & prætenſus ſtuprator membro dotatur brevi, exili, flaccido & mutilato. Licet itaque dentur adhuc quædam ſigna, v.g. a pudendi labiis & nymphis petenda, ex quibus proxime poſt coitum cæteris paribus, ſatis probabiliter de virginis defloratione judicari poſſit, poſt paucum tamen temporis ſpatium iterum eadem diſparere confirmat etiam Nicolaus Venette *l. a. p. 87.* ubi de ſignis amiſſæ ſeu abſentis virginitatis ita loquitur: Si la defloration vient d'eſtre commiſe, ſi l'homme, qui en eſt l'auteur, eſt bien fourni de ſes parties, & enfin ſi la fille eſt naturellement étroite, il n'y a rien, à ce qu'ils diſent, de plus aiſe à connoître, que la perte de ſa virginité. Les leuvres & les nymphes de ſes parties naturelles toutes rouges de ſang & toutes enflées de douleur, ſont des témoins irreprochables de ſon impudicité. Il n'y a plus de liaiſon dans ſes parties amoureuſes. Mais ſi l'on attend quelque temps à chercher de marquer de ſa defloration, tout eſt reuni & tout ſemble naturel chez elle, on ne connoitra rien dans ſes parties, qui puiſſe la faire ſoupçonner d'avoir pris des plaiſirs illicites &c. Et *pag. 93.* ita pergit idem Autor: A moins qu'une fille ait eſté trouvée entre les bras d'un homme, & qu'on ne l'examine au même inſtant, il n'y a guere de moyen de connoitre

noitre sa defloration. Car si l'on attend quelque temps, tous les signes, qui l'accuseroient alors, ne paroîtront plus; & l'on n'oseroit sans luy faire injustice, la taxer d'impudicité. Si bien que je conclus hardiment, que, puisque la nature ou l'artifice peut cacher aux yeux de plus savans medecins, & de plus adroites matrones, les marques de la virginité, on ne peut avec certitude connoitre veritablement la defloration ou le violement d'une fille. Et Paulus Ammannus *Irenic. pag. 127.* ad quæstionem, an læsiones virginitatis a stupro violento post biennium in vulva adhuc superstint? respondet: exspirant hujus corruptionis vestigia intra hoc temporis intervallum, multo magis signa coitus non violenti, intra hoc temporis spatium evanescent, contra vitricum incestus accusatum, attestante sapientissimo Regum, Salomone, *Prov. 30. v. 20.* Die Ehebrecherin verschlinget und wischet das Maul (i. e. os uteri externum, vel labia matricis lavat, post coitum & abstergit) und spricht, ich habe kein übels gethan.

§. 8.

Cur inspectiones requirantur?

Causæ & occasiones, cur medicorum & obstetricum inspectiones atque renunciationes de juvencularum virginitate integra corruptave sollicitentur, variæ sunt, uti Johannes Bohnius *de Offic. Medic. duplic. Part. 2. cap. 6. p. 635.* annotavit, non raro, inquiens, simulatam seu ementitam virginitatem a genuina seu illibata discernere postulamur, si nempe glycerium vitiata castitatem integram jactet, infamiam ac pœnam metuat, v. g. lucrum & restitutionem in integrum anhelet, qualia exempla passim obvia sunt: aut si juvencula divortium quærat, ideo quod a marito cognosci seu comprimi haud potuerit; qualem casum Paulus Zacchias *Qu. med. leg. decis. 6.* narrat: aut si stuprator stupri culpam declinare contendat, qualis causæ decisionem quidam vicini cujusdam oppidi incola a collegio medico Lipsiensi anno 1683. petebat, incestus cum privigna accusatus: quemadmodum pariter, si puella sub conjugii aut dotis spe, vel simili dolo malitiave impulsa se a mare stupratam & violatam ajat: aut si denique juvenis

virginem aliquam se defloraſſe malitioſe jactitet; quali diffamanti, ad depoſitionem obſtetricum de integritate puellæ, pœnam fuſtigationis inclytum ſcabinatum Lipſienſem aliquando decreviſſe, Dedekennius *Vol. 3. Lib. 1. Sect. 9. n. 8.* refert. vid. etiam Joh. Bohn. *Medicin. Forenſ. Specim. 3. §. 7.* Andreas Ottomarus Gœlicke ita ſcribit *Medicin. Forenſ. Specim. 5. §. 11. p. 90.* Cum varii emergere poſſint, imo ſoleant caſus, quibus, ut virgo inſpiciatur, omnino neceſſarium, v. g. ſi juvencula, quæ ob mariti impotentiam devirginari non poſſe queritur, interim tamen illibatam adhuc virginitatem jactitet, ac perinde ex hoc capite divortium quærat; vel ſi quis juvenis, ſtupri culpam declinaturus, inſpectionem puellæ expetat; vel ſi quæ femina ſub conjugii vel dotis amplioris obtinendæ ſpe, a maſculo quodam ſtupratam ſeſe ipſamet publice in foro denunciet; vel ſi quis juvenis, decus in dedecore quærens, impudenter glorietur, ſe hanc vel illam virginem defloraſſe, eidemque non levem ignominiæ notam eo ipſo inurat &c. Hinc tales aliique caſus ſimiles inſpectionem puellæ omnino neceſſariam reddunt, ut, an *virginitas ejus adhuc dum genuina vel corrupta ſit, exploretur. Quid vero hic eſt conſilii?* Licebitne rem tam ſanctam, qualis eſt puellarum virginitas, lubrico obſtetricum judicio exponere? An vero ſatius eſt, inſpectioni Medicorum & Chirurgorum eandem concredere? ſic omnino videtur; quanquam prudentiores illorum ejusmodi inſpectiones & factas deſuper depoſitiones plerumque modeſte declinare ſoleant: quia ſatis norunt, difficillimum eſſe negotium, virginem a defloratа rite diſcernere, cum virginitatis, quæ vulgo adferuntur, indicia, admodum ſint ambigua, dubia, incerta & æquivoca. De hac materia ita loquitur Fortunatus Fidelis *de Relat. Medic. Lib. 3. Sect. 1. cap. 1. p. 337.* rara quidem, ſed aliquando tamen proponitur quæſtio, num, quæ virgines ſunt aut defloratæ, certo deprehendi poſſint indicio? Nonnulli enim ſunt, qui cum intactas ſe duxiſſe conjuges crederent, in devirginatas tamen incidiſſe ſuſpicentur, ac graviter ferant. Nec deſunt puellæ,

quæ

quæ se a quibusdam violenter fuisse compressas, spe fortasse conjugii aut aliter dolo impulsæ profiteantur. Sed & ipsi etiam judices hoc sedulo aliquando requirunt: si, ad quorundam crimina punienda, nulli, nisi in ipsa virginum defloratione testes proponuntur. Juxta Joh. Frider. Ortlob. *Histor. Part. Dissert. 34. §. 4. p. 266.* Dum virginem dicimus, eam, quæ nec peperit prius, nec viri congressus sustinuit, intelligimus. De hoc interdum a medicis judicium desideratur, dum vel defloration em, sponsi aut dotis obtinendæ gratia, simulant, vel famæ conservandæ causa eandem dissimulant. An ergo de integra pudicitia signum prostet, determinare est physiologi, cui omne id, quod ad integritatem partium & actionum spectat, declarare incumbit. Secundum Nicolai Venette *l. a. p. 83.* Il faut donc examiner soigneusement toutes les marques de la virginité, à fin de conserver l'honneur aux filles, à qui on veut le ravir & de donner de la confusion aux autres, qui veulent le conserver sans justice. Item Paulus Zacchias *Quæst. Medic. leg. Lib. 4. Tit. 2. Quæst. 1. fol. 375.* circa virginitatem gravia multa concurrere scribit dubia, quæ ipsis Jurisconsultis scitu sunt perquam necessaria; etenim in virginitatis violatione præcipue per vim facta gravissimum delictum consistit, quod quemadmodum frequentius patratur, quam oporteret, ita in illud a legibus debita severitate animadvertitur. Dubitant ergo ob id Jurisconsulti, an virgo aliqua defloratа sit, nec ne, & eam rem ad Medicos, ubi obstetricum judicium tutum non sit, aut illæ sint inter se discordes, tanquam ejus rei peritos, dijudicandam deferunt. Imo cum Jurisconsulti non semper infallibilem de virginitatis conditione certitudinem a Medicis experiri possint, ipsimet quoque alias in suspectis personis notas externas de vita anteacta indagare solent, uti inquit Nicolaus Venette *l. a. p. 92.* Les signes sont presque toujours équivoques & incertains, a moins qu'on n'usast de conjectures evidentes, ainsi que font aujourd'huy les Jurisconsultes, qui remarquent tout, quand il est question de juger de l'impudicité d'une fille.

Ils obſervent jusques à la rencontre des yeux, aux ſouris, aux rendez-vous, aux familiarités, aux collations, aux habits, aux viſites particulieres, en un mot, ils nous font remarquer ce que l'on peut connoitre de plus ſecret entre deux amants. Mais aprés tout ils ne ſavent pas encore certenement la verité. Vel juxta verba Autoris Belgici *pag. 100. ſeq.* Alle de teekenen ziin ſchier altiit twiiffelachtig en onſeker, ten ware men baerblykkeliike giſingen gebruikte, geliik de Rechtsgeleerde huidendaegs doen, die op alles acht slaen, wanneer dar geſchit is om te oirdeelen van de eerloosheit eener dochter. Si maken hare opmerkkingen tot ophet ontmoeten der oogen, op het heimeliik toelacchen, op d' aenduidingen van plaetſen, op de gemeenſaemheden, op het t'ſaemen eten, op de kleedingen, ob de ſonderlinge beſoekkens, met een woord, ſy doen ons aenmerkk al wat men het heimeliikt kan kennen tuſſchen twee Gelieven.

CAPUT IIX.

De Virginitatis Cuſtodia.

§. 1.

Per vulvæ conſutionem.

EX hactenus dictis nemo non ſufficienter videre atque judicare poterit, variis modis virginitatem corrumpi poſſe, cum nihilominus talis corrupta perſona aliis, externa ſigna intuentibus, pudicisſima atque incorruptisſima appareat. Mirandum proinde non eſt, cur barbari olim filiabus ſuis, tanquam puellis recens natis, quo ipſarum virginitatem reddant inſuſpectam, partes pudendas ſeu labia conſuerint, uti varii teſtantur Autores. Referente ſcilicet Roderico a Caſtro *de Natur. Mulier. Lib. 1. cap. 3. p. 9.* reperiuntur in felici Arabia nationes, non procul a regno Precioſi Joannis, juxta Babel Melec urbem, natione Arabes, ſecta Mahumetani, apud quas filiolarum vulvæ conſuuntur, medio relicto foramine, ſicque, quoad viris mature conjungantur, dimittuntur, quibus eas obſeratas & quaſi ſigillatas tradunt; ac tunc reſe-

rantur

rantur puncta & alæ uteri, adeo jam cohærentes, ac si ita a natura fuissent fabricatæ. Et Casparus Bauhinus *Theatr. anatom. Lib. 1. c. 40. p. 137.* in margine, ex Linscoto scribit: Incolæ Pegu puellis infantibus pudenda filo consuunt, ad usum naturæ duntaxat relicto exiguo foramine: postmodum sponsus membrum resecari suo arbitrio curat, unguento seu oleo ad medelam vulneri infuso. Ex ipso allegato Johanne Hugone Linscoto recenset etiam Johannes Rhodius *Tract. de Acia cap. 6. p. m. 99.* ipsum Linscotum in urbe Goa ex mulieribus unam spectasse, quam Archi-Episcopi Chirurgus ita complexui maritali aptam reddiderat. Et pagina sequenti dicit idem Autor; filo quodam, non obnoxio corruptioni, per acum bis terve trajecto idem fieri apud orientales, didicit Petrus de Valle, patricius civis Romanus, ob diuturnam inibi moram varia rerum notitia instructus: qui naturam filo etiam serico vel xylino consutam notavit, summaque veneratione id custodiæ genus haberi. Incorruptum hoc filum non infimi quidam ingenii Asbestinum putarunt. Eandem virginitatis conservationem ex Johanne Riolano confirmat etiam Casparus Theophilus Bierlingius *M. N. C. Dec. 1. An. 2 Obs. 208. pag. 310.* Hujus consuetudinis meminit etiam Paulus Zacchias *Quæst. med. legal. Lib. 4. Tit. 2. Qu. 2 & 3. n. 33. 34. fol. 377.* his verbis: Nusquam dari dixerim tutam virginitatem, nisi fortasse apud Æthiopum & barbarorum nonnullos, qui, ut virginum suarum pudicitiam nullo modo suspectam habeant, puellis, ubi primum natæ fuerint, pudenda consuunt, relicto libero tantum meatu ad urinam reddendam. Cum nuptui vero traduntur, ipsi sponso incumbit onus uteri labra dissuendi. Sic sponsæ ipsorum vel nolentes illibatam & incorruptam suam virginitatem sponsis suis conservant, & ipsi sponsi ab omni suspicione liberi existunt, cum non possunt ab aliis in ea re ullo modo decipi. Annectit autem allegatus Zacchias: Hoc ita narratur a Petro Bembo; an veritatem habeat, ambigo; an habere possit, non credo, quia consuta loca ab ipsis incunabulis ita cohærere necesse, ut non nisi summa cum vi & adhibita sectione dissui possint; unde

unde spasmum, inflammationem & alia symptomata in omnibus pullulare necesse est. Et Nicolaus Venette *l. a. p. 86.* inquit: Le meilleur expedient pour conserver la pudicité des filles, selon la distinction, qu'en font les medecins, & pour en estre bien assuré, ce seroit de coudre leurs parties naturelles, des qu'elles sont nées, ainsi que Pierre Bembe dit, qu'on fait aux vierges Africaines. Mais cette coûtume n'est pas usitée en France.

§. 2.

Tanto est in honore apud homines illos barbarissimos, in conjuge ducenda, virginitatis certitudo, inquit Joannes Wierus *l. a.* atque ita pergit: Iis si innotuisset illud linimentum Paracelsi, quod oris hiatui illitum, momento id (si diis placet) contrahere conglutinareque posset, acu, filo, & dolorificis puncturis in consuendo hoc meatu, opus fuisset minime. Quod autem Wierus de linimento Paracelsi refert, quidam ex Paracelsi assectis non indoctus lingua nimis petulanti, ne dicam mendaci, effutire jactareque suo more ausus fuerat, ita a suis doctus magistris. Et Johannes Wolffius *Lect. memorabil. Tom. poster. Centenar. 16. fol. 562.* post eandem relationem ex Petri Bembi *Histor. Venet. Lib. 6.* scribit: Mirum equidem, barbaros tum Dei, cum æternæ vitæ ignaros, castitatem tam constanter colere, cum tamen illi, qui certam sibi faciunt æternæ salutis spem ex juratæ castitatis votis, ad servandam ipsam, nec hujusmodi mediis, nec medicamentis (qualia in promptu essent ad perennem continentiam præsentissima) utantur: verum sic horrea (ut Gallis est in proverbio) vacarent trituratoribus. De hoc virginitatis conservandæ modo scribit Johannes Riolanus *l. a.* Crudelis virginitatis custodia, quæ tamen hoc depravato sæculo non foret inutilis, quo virginum pudicitia auro, blanditiis & lasciviis facile expugnatur; Virgines autem vel mentis imbecillitate, vel invidentia pene virili se vinci patiuntur. Idem quoque ex Riolano refert Johannes Georgius Simon *de Impotent. conjug. cap. 2. Thes. 2. p. 67.* inquiens: moris erat apud Nigrorum nationem, quæ hymeni, utpote fragili labilique sepimento,

mento, minus confisa validioribus certioribusque præsidiis filiarum virginalia munire assolebat. Etenim puellis, ubi primum natæ erant, pudenda consuebant, sed ita ut urinæ liberior meatus non interciperetur; illæ autem, ubi adoleverant, sic consutæ nuptum dabantur, sponsoque ea relinquebatur incumbebatque cura, ut ferro conglutinata cervicis labra secaret & divideret; ubi addit: Verum hæc opinio, cum contra communem recte statuentium affirmationem militet, tantumque analogiam quandam vere ac proprie dictæ castrationis secum trahat, non immerito tanquam nos non stringens, a nobis rejicitur & relinquitur. vid. etiam Joh. Wier. *Observ. Lib. 1. Oper. p. 942.* Joh. Riolan. *Anthropogr. Lib. 2. cap. 35. fol. 195.* Casp. a Reies *Jucund. Elys. Camp. Qu. 39. p. 482. seq.*

§. 3.

Infibulatio virginum.

Huc pertinet etiam infibulatio, qua nonnullæ nationes pro conservanda virginum atque mulierum seu uxorum castitate uti solent. Sicut enim de marium seu juvenum infibulationis modo & usu in Spermatol. nostr. *cap. 11. §. 17. seq. p. 548. seqq.* egimus; ita hoc loco de feminarum infibulatione pauca ex Johanne Rhodio adducemus. Inquit scilicet Rhodius *de Acia cap. 6. p. 100.* Vidus Vidius, de re chirurgica bene meritus, filo argenteo vel aureo præputium infibulari scribit. Ferreo etiam aliove; pro fortunæ modulo, affabre contorto, atque in scorpii speciem ad incessus facilitatem reflexo, in servitio genitas virgines Æthiopicas vulgo custodiri, fidem mihi fecit vir clarissimus Joannes Veslingius eques, qui in magna Memphi illustrissimis consulibus Venetis Aloysio Cornelio & Joanni Donato quinquennium a valetudine fuit. In promontorio Sagres memorat Aloysius Mustus, Venetus, Regis ac procerum feminis ad majestatem perforatis pudendi labris annulos imponi aureos, quos ad arbitrium eximere licet. Et Michael Alberti *Jurisprudent. Medic. Part. prior. cap. 2. §. 24. pag. 39.* inquit: Mos infibulationis etiam antiquioribus in sexu sequiori receptus fuit, sicut Nigri ad virginitatem puellarum conservandam pudenda consuebant; aliis vero (velut interdum

in equorum regimine consuetum est) per labia vaginæ annulum ducebant, quod vulgo appellatur das Ringeln, si non alio claustro & arte tales partes occludere in more positum ipsis fuerat. Plura etiam de infibulatione labiorum oris, narium &c. pro alio tamen scopo adhibita, apud Rhodium reperies.

§. 4.

Infibulatio equarum. Tales infibulationes etiam equisones cum equabus instituere solent, & quidem pro impedienda ingravidatione, a qua tamen non semper sunt securæ, uti recensetGuilielmus Harveus *de Part. p. m. 518.* inquiens: Serenissima Angliæ Regina equam candidissimam formæque eximiæ dono acceperat, ejusque genitalia (ne ab equis admissariis inita corporis gratiam atque equitandi usum amitteret) equisones (ut fieri solet) annulis ferreis infibulaverant. Eadem tamen (nescio quo pacto, nec custodes mihi modum indicare poterant) facta est gravida, tandemque, cum nihil tale suspicarentur, noctu peperit, pullusque vivens mane ad matris latera conspicitur. Id cum mihi nunciaretur (pergit Harveus) adii illico locum, vidique ambo vulvæ labia annulis consuta, totumque pudendum versus siniſtrum latus detrusum, abruptum & a dextra coxendice laceratum adeo, ut soluta per incredibilem fœtus vim, partis robustissimæ unitate, facile ei per ingentem illum hiatum exitus patesceret. Hujus infibulationis tam equarum, quam mulierum, meminit etiam Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. 2. cap. 35. fol. m. 183.* his verbis: quemadmodum infibulatis naturalibus equarum, quas concipere & parere nolunt, ferreis circulis ordine trajectis naturalia claudebantur, ita mulieres olim castrabantur. Et eodem modo zelotypos Italos uxores a rivalibus conservare audio. Præterea etiam notum est claustrum pudicitiæ dentatum Italis consuetum, quo partes virginum atque mulierum ab antica & postica parte obfirmare solent.

§. 5.

Quemadmodum autem in maribus pro variis scopis, quandoque etiam pro impedienda sobolis procreatione feminarumque

que imprægnatione castratio institui solet, de qua in Spermatol. noſtr. *cap. 8. p. 358. seqq.* prolixe egimus; ita feminas olim pariter pro differente intentione huic operationi chirurgicæ subjectas, dictamque castrationem, tam in brutorum, quam hominum sexu sequiore, jamdudum exercitam fuisse, hinc inde legimus. *Castratio feminarum in brutis extracto utero.* De suum enim seu porcarum castratione ita loquitur Galenus: Sues feminas apud nos non in Asia tantum, sed in superioribus etiam nationibus, in Cappadociam usque, exsecare consueverunt; qua similes omnes castratis evadunt obesæ admodum ac pingues, carnisque suavitate aliis feminis, quemadmodum etiam castrati mares aliis maribus præstant. v. M. Ant. Ulmi *Physiolog. Barb. hum. Sect. 3. cap. 22. fol. 231.* & ipse Galenus *de Semin. Lib. 1. cap. 15. fol. m. 131.* De suum & camelorum castrationis modo ita scribit Aristoteles *de Histor. Animal. Lib. 9. cap. 50. fol. m. 476.* Apria scropharum castratur, ne præterea coitum appetat, sed brevi tempore obesetur. Castratur autem, cum biduo jejunarit, suspensa pernis prioribus, recisa cute inter femina, qua maribus testes maxime continentur. Hac enim parte adhæret vulvis apria dicta, cujus exigua parte abscissa consarcinant. Cameli etiam feminæ castrantur, cum eis uti in prælio libet, ne concipiant utero. Duplici autem modo in suibus castratio institui solet, & quidem vel exsectione ipsius uteri, vel testiculorum. Rem quoad sues, inquit Joh. Benedictus Sinibaldus *Geneanthr. Lib. 3. Tr. 3. cap. 12. p. 344.* probat quotidianum experimentum: siquidem sunt inter porculatores, qui feminas ejus generis innumeras, nullo fere labore, artificiosa industria, tuto singulis annis evnuchant, aperto, ut audio, abdomine, & integro utero extracto, ut mihi non multo ante ex visu retulit peritissimus Chirurgus Nicolaus Larghes, vir sane doctrina ac dexteritate nemini secundus, dum inter nos de muliebri evnuchismo familiare sermocinium subrepsit. Juxta Paul. Barbette *Prax. med. Lib. 4. cap. 10. p. m. 187.* a rusticis Belgicis suibus trimestribus totus uterus exscinditur, facta apertione in latere sinistro & ligatis venis arteriisque. Idem *loco all.* affirmat etiam Mangetus Annot.

apud nos, inquiens, a rusticis exscinditur suibus uterus, quod sæpe a me visum nullo prorsus periculo incurrentibus istis animalibus. vid. etiam Laurent. Bausch. *de Hæmatit. Proœm. p. 73. seq.*

§. 6.

exsectis ovariis.

Alii porcarum exsectores non uterum, sed testiculos seu ovaria per foramen in utroque ile seu inguine apertum extrahunt, hisque abreptis seu avulsis tubas seu reliquas partes simul extractas iterum in abdominis cavitatem reponunt, vulnusque consuunt atque consolidant, uti mihi ipsi aliquoties videre contigit. Johannes Jacobus Wepfferus *M. N. C. Dec. 1. an. 3. Obs. 129. p. 228.* mentionem facit scrophæ, cui nondum adultæ alterum cornu excisum fuit a castratore, altero relicto : cum prægnanti sumen auctum admodum esset, pinguefactam sagina opima credidit villanus: illa mactata & porcellorum & lardi jacturam fecit. Talem modum quoque olim in castrandis vaccis in usu fuisse liquet, quia Varro scribit, vaccas exsectis testibus, si statim coeant, concipere; quod quidem de masculis castratis verum esse, non autem de femellis, concedit Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 12 p. 303.* Id quod etiam ratione non caret, siquidem exsectis testiculis sterilitas adest, nisi in tali sue forsan quoddam ovulum per tubas jamjam ante castrationem ad cornua, tanquam habitacula fœtus suilli seu vaccini descenderit, vel castratio legitime peracta non fuerit. De qua vaccarum castratarum conceptione ita scribit Thomas Bartholinus *Epistol. medic. Cent. 3. Ep. 64. p. 260.* in istis vaccis seminis pars vel in uterum fluxerat ante castrationem, vel in vasis deferentibus, quæ remanserant, hæserat, nec nisi pro unica conceptione profuit, vaccæ enim postea perpetuo steriles fuerunt. Unde quoque feminas, ut sues castratas, æque ut mares, cessare esse prolificas, ait Matthias Tilingius *de Placent. Uter. Antesat. p. 5.* De tali animalium castratione seu testium exsectione scribit Felix Platerus *Observ. Lib. 1. p. m. 261. seq.* Testes in abdominis cavitate, utrimque peritonæo annexi, cum vasis seminariis inde productis, in quibusdam bestiis, sectione facta, in eo loco abdominis, ubi intrinse-

cus

cus latent, eximi solent, & sic, ut pingueſcant, nec ſtimulo venereo ad congreſſum incitentur, caſtrantur. Quod in porcellis feminis frequentisſimum eſt, ut pasſim hoc fieri videmus. Sed & in comitatu Zollerenſi hoc idem in vitulis feminis hoc modo caſtratis, indeque admodum pinguefactis, ac ideo Nonnen, id eſt, monialibus vocatis, fieri, ego ipſe, cum in aula illius comitis eſſem, vidi, ubi plurimæ ejusmodi vaccæ, ſumme obeſæ, illic oberrabant, mactabanturque, & earum caro, quam & comedi, in ſummis delitiis habebatur. Nec dubium mihi eſt, ſi illud in aliis feminini ſexus tentaretur animalibus, quin ſic quoque caſtrari poſſent: Uti & in muliebri ſexu, in alterutro latere, aperto abdomine, unus vel alter ipſarum teſtis extrahi atque amputari. Quod vero, cum nulla inde, vel illis, vel aliis, niſi forte ad quarundam ſalacitatem ſic reprimendam, eveniret utilitas, & non ſine aliquo vitæ periculo fieret, hactenus nullibi tentatum fuiſſe, legimus. In avibus maſculis præſertim, cum teſtes non propendeant, ſed in ventre ipſarum ſint incluſi, frequens eſt hæc caſtratio, teſtesque ipſarum aperto & ſecto ventre, qui inter podicem & ſternum abdominis inſtar occurrit, extrahuntur, quod & in gallinaceo fit genere, & capones poſtea dicuntur: uti & in pavone Indico aliisque majoribus hoc fieri vidi, ut pinguiores fiant caroque ipſarum ſuavior reddatur. Hæc Platerus. Et Thomas Bartholinus *Epiſtol. med. Cent. 3. Ep. 64. p. m. 259. ſeq.* ad Joelem Langelottum ita ſcribit: Uterus, quanquam feminis neceſſarius, innoxie aufertur. Eſtque veteribus caſtrandi modus. Uterum enim abſciſſum in ſuibus Galaticis Soranus Medicus teſtatur. Autorque eſt Plinius, ſues feminas caſtratas reciſa vulva, ut magis pingueſcerent amiſſo libidinis uſu. Noſtri tamen ruſtici in feminis vulvam relinquunt in ſuibus, ovibus, vaccis & equabus caſtrandis. Ex diſſecto inguine ſiniſtro manu utrumque teſticulum cum utero eximunt, ſed avulſo tantum teſticulo utroque uterum ſuo loco reponunt, & ſine alio apparatu vulnus conſuunt. Quippe majori periculo brutis uterum, quam teſticulos auferri credunt. Poſſe etiam

canes non modo masculos, sed etiam femellas eadem ratione, per exsectionem scilicet ovariorum, castrari, quotidiana testatur experientia, hocque modo omnia feminini sexus animalia, quæ testibus sunt privata, non solum fœcunditate destituuntur, sed omnem quoque venereæ voluptatis stimulum deponunt; cum econtra, quamvis ab ejusmodi operatore ipse brutorum uterus absque testiculis exscindatur, fieri tamen posse, credibile est, in remanentibus ovariis ab orgasmo venereo unum vel alterum ovulum imprægnari posse, cum conceptio non in utero fiat, sed in ovariis, quamvis postea fœtus ad partum pervenire non possit.

§. 7.

Castratio virginum an detur.

Utrum vero in puellis seu virginibus & aliis mulieribus pariter ac in brutis castratio institui possit aut exerceri debeat? differunt Autorum sententiæ, quorum alii negativam, alii vero, & quidem ideo affirmativam defendunt, quia non solum hujusmodi feminarum castrationis Autorem, verum etiam exempla apud Autores reperire liceat.

§. 8.

Castrationis inventor.

Castrationis virilis inventrix legitur femina quædam celebris atque bellatrix, scilicet Semiramis, dum multos adolescentes, quos gynæceo suo præficere volebat, castrari jussit, referente Petro Bellonio *Observ. Lib. 3. cap. 29. fol. m. 189.* Quod etiam confirmat Ludovicus Cælius Rhod. *Lection. antiqv. Lib. 13. cap. 29. f. m. 503.* proditum, inquiens, memoriæ ab opinatissimis est, Semiramidem Reginam omnium principem teneros mares adortam castrare, velut naturæ injecta vi, quam instituto cursu retorsit, quum inter ipsa nascendi crepundia per primigenios seminis fontes tacita quodammodo lege vias illa posteritati propagandæ dictaret. Econtra vero feminarum vel virginum castratio a viro, Lydorum scilicet Rege, Andramyte, ortum sumsisse dicitur, dictum enim Andramytem omnium primum feminas castrasse seu evnuchas fecisse, iisque evnuchorum vice usum fuisse refert idem Ludovicus Cælius *l. a. Lib. 20. cap. 14. f. 775.* Quamvis etiam idem Autor

tor *Lib. 19. cap. 29. f. 757.* scribat: Gygem omnium principem, dum Lydis imperaret, mulieres evnuchas feciſſe, ut illis perpetuo juveniliter florentibus uti valeret. vid. etiam Joh. Riolan. *Anthropog. Lib. 2. cap. 35. fol. m. 183.* Georg. Franc. *Satyr. med. 1. p. 40.* & Joh. G. Simon *de Impotent. cap. 3. p. 66.*

§. 9.

Deinde recenſent etiam atque allegant nonnulli Autores exempla caſtratarum feminarum, ſiquidem mulieres quoque exemptis teſticulis caſtratas olim fuiſſe, ex Athenæo refert Thomas Bartholinus *Epiſt. med. Cent. 3. epiſt. 64. p. 260.* Feminas homines caſtratas, auctores habeo certos ſcribit Julius Alexandrinus; hoc Lydii primo per luxum fecerunt, uti ex Georgio Franco recenſet Theophilus Bonetus *Medicin. ſeptentr. Part. 2. Lib. 4. Sect. 1. fol. 27.* Inquit etiam Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib. 1. cap. 24. fol. 136.* Olim ſatis turpiter ac crudeliter in mulieribus tentatam fuiſſe caſtrationem, teſtantur hiſtoriarum monumenta. Creophagi (gens ita appellata) in Arabia, teſte Alexandro ab Alexandro, non viris ſolum, verum etiam mulieribus teſtes exſcindebant, ad exemplum Ægyptiorum, qui mulieres eodem modo caſtrare ſolebant. Exemplum parentis propriam filiam caſtrantis narrat Johannes Wierus *Oper. Lib. 4. de Maleſic. affect. cap. 20. pag. m. 327.* Quidam nomine Johannes ab Eſſen, ab illuſtriſſimo Clivenſi duce, numerata certa pecunia, caſtrandi jumenta & pecora in Marchiæ comitatu poteſtatem pro ſe ſolo impetrarat. Hic ubi quendam familiarius conjunctiusque ſua frui filia animadverteret, ita incitatus, eam manu injecta e veſtigio in cubiculum abripit, violenterque uterum eidem, quemadmodum pecori ſolet, exſecat, conceptionique porro inidoneam ſanat. Hujus facinoris ergo centenorum aliquot thalerorum mulcta a principe punitur, nec quidem immerito. Inquit etiam Georgius Francus *l. a. Satyr. 2. p. m. 41.* certe novi nobilem matronam, cui puellæ per injuriam externam vulnus obtigit in regione pubis, huic teſtes auferebantur; quæ cætera ſana hactenus ſterilis permanſit.

Exempla.

Cuidam

Cuidam feminæ uterum ob petulantiam sine vitæ dispendio plane exsectum testari historias medicas, ait Johannes Jonstonus *Thavmatograph. Class. 10. cap. 5. Artic. 4. p.m. 467.* Johannes Georgius Fuchs, Episcopus Bambergensis, retulit Hermanno Birckmanno, Medico Herbipolensi, quendam porcorum castratorem in diœcesi Bambergensi propriam castrasse filiam, ut securius cum illa libidinem nefandam exercere posset, qui etiam ob eam causam tandem per ignem cum filia hujus criminis pœnas luit. vid. Joh. Laur. Bausch. *de Lap. Hæmat. Proœm. Hæmatol. p. 73.* & G.W. Wedel. *Physiolog. Sect. 3. cap. 28. p. 195.*

§. 10.

An sit possibilis? & suadenda?

Videtur equidem, per adducta castrationis tam in brutorum, quam hominum feminis exercitæ exempla, dicta operatio, seu testiculorum vel ipsius quoque uteri exsectio non modo possibilis, sed etiam non adeo difficilis; huic tamen sententiæ tum ratione difficultatis, vel impossibilitatis, tum etiam non obtinendi finis, alii contradicunt. Inquit etiam Joannes Riolanus *Anthropogr. Lib. 2. cap. 35. fol. m. 183.* a castratione, quæ perficitur exemptis testiculis, vel detracto utero, utroque modo mulieres in maximum vitæ discrimen adduci, certum est. Et Galenus admonet *de Semin. Lib. 1. cap. 15. fol. m. 131.* non advertunt Medici, si cui testes ea moderatione fuerint exsecti, uti supergeminalis membrana intacta relinquatur, seminarium vas nulla læsione affici; inde tamen animal non tantum feminis generandi facultate, id enim iis, qui venere volunt abstinere, commodum remedium esset, sed virilitate omni, &, ut diceret quispiam, masculitate, hoc est, masculo ingenio privari. Pari modo si femina sit, quæ id patiatur, neque in venerem amplius incitari, neque virum coeundi præsertim causa appetere, sed omnem prorsus femineam naturam amittere; non tamen ita tuto in feminis, uti in suibus, testium extractio administrari potest ob sedem, in qua collocati sunt. Vulvarum enim lateribus ex utraque parte adjacent ad arteriam & venam, quemadmodum marium, seminale vas excipientes,

pientes, quod revolutum ipsis annectitur, atque ad utrumque cornu pertendit. Unde utraque ilia scindere necesse est, si quis feminas castrare voluerit, majusque in hoc, quam in maribus periculum est. Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib. 1. cap. 24. f. m. 136.* ad quæstionem: utrum, sicuti viri castrantur, ita etiam mulieribus testes exsecari, eæque sic castrari possint? respondet: mulieres sine maximo vitæ periculo castrari non posse: nam utrimque ipsis ilia secanda forent, quod periculo non vacat, cum ex quolibet abdominis & præcipue ilii vulnere, in cavitatem abdominis penetrante, mox intestina foras prorumpant: quæ vulnera hic mediocrem magnitudinem habere deberent, ut digiti inseri, & intestina removeri, atque sic testes commode inveniri & educi possint. Præterea exsectione testis etiam resecantur vasa spermatica, quorum hæmorrhagiam in interiore ventre sistere difficillimum foret, ut ex eo liquet, quod satis difficulter sistatur in viris, quorum tamen vasa in testis ablatione commode ligari vel actuali cauterio, urgente necessitate, inuri possunt. Miratur etiam dictus Autor, quod Felix Platerus, vir magni judicii, putet ad exemplum castrationis brutorum etiam mulieres castrari posse, non considerans operationis difficultatem ac crudelitatem, mille periculis conjunctam, quæ a tanto actu vel potius a tanto scelere aut facinore quoslibet homines, præcipue Christianos, abstinere & abhorrere jubent. Thomas Bartholinus etiam castrationem mulierum, qua uterus exscinditur, nimis difficilem & periculosam operationem existimat. Enimvero arctissime uterus per ligamenta lata & rotunda ossibus alligatur, ut sine ingenti dolore avelli vix possit: Præterea vesicæ & recto intestino firmissime adnascitur, quæ separari sine damno nequeunt. Vasa præparantia spermatica utero, & vaginæ plurima alia inseruntur, quæ sine maximis doloribus, hæmorrhagia & internorum viscerum consensu dilacerantur nunquam. v. Th. Barthol. *Hist. Anat. Cent. 2. Hist. 91. p. m. 292.* Imo sive uterus detrahatur, sive testes avellantur, utroque modo in maximum vitæ discrimen

adduci mulieres certum est. vid. Theoph. Bonet. *Medicin. sept. Part. 2. Lib. 4. fol. 27.* Juxta Joh. Riolan. *l. a. f. 183.* utrumque ile secare necessum esset ei, qui feminas castrare voluerit, opus periculosæ plenum aleæ; at majus periculum imminet utero detracto. Licet Paulus Barbette *Prax. Lib. 4. cap. 10. p. 87.* suibus uterum exscindi posse defendat, in Chirurgia tamen *Part. 1. cap. 8. p. 28.* uterum sine vitæ periculo posse exscindi, uti multi Doctores scribunt, perito anatomico intolerabile censeri scribit. Idem Paul. Barbette *Anat. pract. Lib. 4. cap. 2. p. 128. seq.* inquit: quæ veteres de exstirpatione uteri referunt, totum nempe eum auferri posse absque insigni damno, erroribus reliquis annumerari debent. An hoc animal in animali, necessariam hanc partem, multis aliis partibus cohærentem, copiosisque adeo arteriis præditam, absque periculo vitæ exscindere licet? Aliud a castratione incommodum annotat Johannes Theodorus Schenckius *Schol. Part. hum. corp. Sect. 1. Part. 2. cap. 3. pag. 13.* quod scilicet femellæ castratæ non castratis debiliores & plus pusillanimes esse observentur. Quamvis etiam contra difficultatem castrationis seu testium muliebrium exsectionis juxta Joh. Benedict. Sinibald. *l. a. p. 345.* excipi posset, quod, si Chirurgi dexteritas atque peritia præsto essent, hujusmodi sectio forte non major foret provincia, quam parvam efficere paracentesin; nec locorum ad ilia vulneratio adeo periculosa sit, quemadmodum uteri sectio, qui nexum & sympathiam cum toto corpore habet. Verum enim vero tametsi nullo discrimine isthæc testium apud mulieres exsectio patrari posset, haud idcirco tamen ad veneream voluptatem prurire desinerent, aut virum valde minus appeterent. Siquidem oblectantur mulieres non modo ob proprii seminis effusionem, sed etiam ob virilis receptionem & sui pudendi attritionem. Quin uteri toti substantiæ multoque magis ejus cervici insita est a natura virtus quædam titillans ac voluptuosa independens a testibus ipsis, adeo ut, quamvis cessent isti influere, maneat nihilominus mulcedo, & virilium cupido multo major, quam in viris exsectis

relin-

relinquatur, qui etiam coeunt ac delectantur. Quamobrem si castrari debeant mulieres, ut sterilescant, non irritus erit labor. At si excidi curentur, ut venerem aversentur, utique opus ibit inane. Juxta Thom. Whartoni *Adenograph. cap. 33. p. 209.* demonstrat castratio femellarum cujusvis generis, testes feminarum efficaciter ad prolis generationem concurrere, quia ex eo tempore steriles plane evadunt. De possibilitate castrationis feminarum vid. etiam Georg. Franc. *Satyr. 2. p. 36 & 40. seq.*

§. 11.

Sicuti autem primarius castrationis scopus tam in maribus, quam mulieribus, eo tendit, ut nimius veneris appetitus atque lascivia, indeque derivanda varia mala, in iis extinguantur, ita etiam castrationis denominatio ad aliarum quoque partium, in quibus salacitas consistere dicitur, resectionem seu amputationem referri solet; & primo quidem, quia mulierum salacitas, juxta *Organ. muliebr. Sect. 2. §. 9.* primario clitoridi adscribitur, il læque feminæ, quibus dicta pars seu mentula muliebris, a frequenti & impudica fricatione & attractione in nimiam longitudinem excrescit, malitiose hoc instrumento ad implendam lasciviam abutuntur, eoque aliis feminis, marium instar, cohabitant, ita ut propter hanc lasciviam aliasque rationes illis quandoque dicta clitoris resecetur, ideo quibusdam autoribus talis operatio interdum circumcisionis vel etiam castrationis nomine quamvis improprie venire solet. Deinde ex Muliebribus quoque satis notum est, in lascivis, partesque pudendas digitis petulcis ab infantia sæpiusque titillantibus atque emulgentibus mulieribus, non modo clitoridem, sed nymphas etiam, tam ratione longitudinis, quam crassitiei majores evadere, ita ut quandoque viri cohabitationem impediant, sæpe etiam pro alio usu nefando applicentur; quapropter tum veteres, tum recentiores Chirurgi nimiam talem atque deformem nympharum molem simulque ejusmodi mulierum salacitatem atque petulantiam seu pravam cohabitandi consuetudinem itidem sub nomine circumcisio-

Castrationis nomine venit etiam

Clitoridis resectio.

Nymphotomia.

cisionis, vel etiam castrationis, potius nymphotomiæ, resecare tentant, de qua operatione pariter *Muliebr. l. a.* §. *37.* egimus. De his castrationis modis ita scribit Johannes Benedictus Sinibaldus *l. a. p. 344.* qua ratione quove modo castrari possint mulieres, non ita facile determinari licet. Marcus Antonius Ulmus in eam sententiam ire videtur, quod mulieres castrari dicantur, si pars illa pudendi superior, quæ nympha (improprie vel potius clitoris) nuncupatur, & in qua libidinis thronus amorisque sedes collocatur, reciditur; & hoc probare nititur auctoritate Aetii & aliorum, qui secandæ hujus particulæ modum ad libidinem infringendam describunt; quod etiam apud Ægyptios non raro contingere ob infrenem ejus nationis mulierum petulantiam, testantur. Atqui recisio nymphæ nulla ratione castratio appellari debet; quando nulla inde sterilitas, imo nulla minor in venere mulcebra exoritur. *Infibulatio.* Imo infibulationem, de qua paulo ante egimus, nonnulli etiam ad castrationem referunt; inde dicit Georgius Francus: de modo castrationis Autores non conveniunt; putabant fuisse castratas muliebribus infibulatis, ut equarum, quas concipere & parere nolunt, ferreis circulis ordine trajectis naturalia clauduntur, quod Galli vocant boucler; alii putant exemtos uteros, alii testes. vid. Theoph. Bonet. *l. a.* Quia vero neque a fibulatione, neque a clitoridis atque nympharum resectione, neque etiam ab ipsius uteri extractione, partes ad conceptionem atque imprægnationem necessariæ minime destruuntur, non nisi in sola testiculorum muliebrium sive ovariorum exsectione proprie mihi castratio muliebris consistere videtur, nisi cum utero simul testes extrahantur. Utrum vero feminarum uterus absque vitæ periculo exscindi vel extrahi possit, §. 10. paucis vidimus.

§. 12.

Virginitatis laus. Ex tam variis proinde virginitatem puram atque illibatam custodiendi modis sufficienter apparet, quanti semper æstimata fuerit ipsa virginitas, unde diversi Autores varia ipsius scripserunt

runt elogia, uti jam supra §. 24. ex Catullo adduximus. vid. etiam Nicol. Venett. *de la Generat. de l' Homme Part. 2. cap. 1. Artic. 1. p. m. 80. seq.* & Venus Minsieke Gasthuis *p. 88.* van Lof des Maegdoms, item Henric. Kornmann. *de Virginitat. cap. 90. p. 198.* ubi ad quæstionem, quare primum præponatur & distribuatur in mensa cibus virginibus puellis? ita respondet: Hocce moris est ubivis gentium, ut in mensa & in conviviis primitiæ ciborum virginibus a præciforibus offerantur. Quare? num, quia antiqui sationem frugum inventionemque omnium leguminum Cereri tribuere? *Natal. Com. in Mytholog. Lib. 5. cap. 14. de Cerere.* Num, quia Vesta a Jove virginitatem perpetuam, & primitias omnium, quæ diis offerrentur, ab hominibus poposcerit? idem *Lib. 2. cap. 1. de Jove.* Num, quod in eo habeatur ratio gloriæ virginitatis, quæ semper apud omnes gentes magni æstimata fuit? Num, quod habitus fuerit respectus ad appetitum illum muliebrem, qui insatiabilis pene est, moræque impatiens? Imo virginum pudicarum honores tueri, pietatis quoque fuit officium a priscis jam seculis observatum. Romani enim virgines maleficii reas & jam damnatas necari non sinebant, a carnifice autem prius virginitas eripiebatur: tanti earum pudicitiam custoditam faciebant. v. Casp. Theoph. Bierling. *Thesaur. Theor. pract. Cas. 37. Schol. p. 518.* Quod confirmat etiam Joannes Riolanus *Anthropol. Lib. 2. cap. 35. fol. m. 195.* olim, inquiens, nefas erat Romæ virgines strangulari, idcirco Tiberius jussit immaturas puellas more tradito, vitiari prius a carnifice, dein strangulari, quod factum est in filia Sejani, vid. etiam Joh. Ludov. Gottfrid. *Histor. Chronic. fol. m. 309.* Venett. *p. 82.* Adeo magna etiam semper fuit æstimata virginitas ejusque integritas, ut & Mahomet in Alkorano *cap. 64.* ubi de Paradiso ejusque deliciis refert, formosissimarum puellarum cohabitationem effinxerit. Illic quidem, inquit, credentes accubabunt tapetis sericis, stramentisque purpureis, omnibusque sibi *dilectis* perpetuo potientur, ducentque puellas formosissimas, ut sunt Hyacinthus & Margaritæ, ab hominibus atque diabolis nunquam devirginatas

nec menstruatas. Rationem reddit, si ullum oblectamenti in Paradiso genus isthic deesset, beatitudo minime plena esset. Frustra ergo deliciæ adessent, si voluptas deesset. vid. Henr. Kornmann. *l. a. cap. 126. p. 266. seq.* ubi Autor pergit: Stulte persuasit Mahomet suis Saracenis, corpora glorificata & spiritualia, ut tunc erunt, mundanas istas delicias & præteritas referre & revocare, cum hæc exercitia spiritus animalis sint. Et secundum eundem Autorem *cap. 114. p. 248.* celebratur Virginia virgo, quam pater Virginius Icilio uxorem desponderat, quamque Appius unus ex decemviris vitiare tanquam servam satagebat, ob idque a patre peremta fuit; cujusque indubitatam fidem facit multæ antiquitatis marmorea tabella in S. Maria Monticelli extante.

D. M.

Virginis filiæ meæ carissimæ Virginiæ nimiam ob pietatem propriis meis manibus interemptæ, proh dolor! quantum fuit carissima in Anno XVI. juventutis ejus. Menses. V. D. III.

§. 13.

Virgo a serpente amata,

Virginum amasios aliquando serpentes fuisse deprehensos, omniaque & amoris & nequitiæ signa præbuisse, ex Plutarcho memorabile exemplum refert Philippus Camerarius *Horar. subcisiv. Cent. 1. cap. 69. p. 308.* Serpens scilicet Ætolæ cujusdam virginis amore captus, noctu eam adire suetus, puellæ corpori circumfusus, hac atque illac labens illam nunquam, neque ultro neque invitus lædebat, opportuneque sub diluculum recedebat. Quod quum ii, quibus puella curæ fuerat, intellexissent, eam alio migrare compulerunt. Serpens per triduum & quatriduum non adesse, sed diligenter accurateque circumire, illam quæritans, quam ubi mox invenit, casu illi obviam factus, non, uti solitus erat, mitis & blandus, sed asper & horridus in illam insiliit, manibusque primum spira ad corpus adstrictis, caudæ residuo femora flagellabat, levem quidem iram præ se ferens, sed quæ, licet indulgentia aliqua permixta esset, castigationem tamen aperte demonstra-

monſtraret. Item exemplum aquilæ virginem amantis recenſet Henricus Kornmannus *l.a. cap. 136. p. 177.* apud Seſton urbem a pulcherrima virgine educata aquila, a puella libero cœlo permiſſa gratias quotidie eidem referebat; aves enim primo deinde venatus ſedulo aggerebat. Atqui cum contigiſſet, virginem mortuam efferri, gemebunda ſubſtitit aquila, poſtremo in accenſum rogum ſe mittens cum puella ſimul conflagravit. Id quod Plinius *Natur. Hiſtor. Lib. 10. cap. 5. fol. 169.* ſequentibus verbis refert: Eſt percelebris apud Seſton urbem aquilæ gloria: educatam a virgine retuliſſe gratiam, aves primo, mox deinde venatus aggerentem. Defuncta poſtremo in rogum accenſum ejus injeciſſe ſeſe & ſimul conflagraſſe. *ab aquila.*

§. 14.

Denique claudat hoc de virginitate caput Carmen ex Johannis Beverovicii *Theſaur. Sanitat. Part. 2. cap. 5. fol. m. 197.* *Carmen.*

1.

Eine Jungfrau, jung von Jahren,
Stach die Kützel-Sucht ſo ſehr,
Daß das Mägdlein wolt erfahren,
Wo des * Magdthums Wohnung wär,
Und mit was vor ſüſſer Krafft
Sey begabt die Jungferſchafft. **i.e.* Jungferſchafft.

2.

Ihre Mutter ließ ſich düncken,
Dieſes möcht ihr ſchädlich ſeyn;
Darum ſchloß ſie einen Fincken
In ein güldnes Schächtlein ein,
Und gieng eilend zu der Magd,
Die ſo neurend nachgefragt.

3.

Hier, mein Ließgen, liegt verhohlen,
Sagte ſie, was ich forthin
Dir will haben anbefohlen.
Schau! ich thue deinen Sinn; Schau!

Schau! ich geb in deine Hand
Diß so theure Jungfer-Pfand.

4.

Aber weil du nun genossen
Diese Gunst, so bitt ich dich,
Laß die Schachtel stets geschlossen;
Weil das Ding, so bald es sich
Fühlt zu seyn in freyer Lufft,
Stracks entreist aus seiner Krufft.

5.

Kaum war dieses ausgesprochen,
Da gieng Ließgen schon bey seit,
Und die Schachtel ward erbrochen,
Da der Vogel seine Zeit
Alsobald in Obacht nahm,
Und der bangen Hafft entkam.

6.

So stund Ließgen recht betrogen;
Denn ihr anvertrautes Gut
War ihr aus der Hand entflogen:
Das entseelt ihr Hertz und Blut.
Seht! so ist die Jungferschafft,
Die im Finden wird vergafft.

Vel juxta alium Poetam:

Virginitas speciosus honos, pignusque decorum,
Perdita quæ nunquam redditur artis ope.

SYLLABUS AUTORUM.

A.

ACta Anglicana philoſophica, 4. Lipſiæ 1697.
Berolinenſia, 8. Berolin. 1717.
Eruditorum Lipſienſia, 4. Lipſ. 1682. ſeq.
Hafnienſia, Thomæ Bartholini, 4. Hafn. 1673. ſeq.
Actuarius, Johannes, de prævidentia ex urinis, 8. Francof. 1670.
Æliani opera, fol. Tigur.
Aetii ſermones, 8. Venet 1549.
Agrippæ, Cornel. opera, pars poſter. 8.
Alberti, Mich. introductio in univerſalem medicinam, 4. Halæ 1713.
Syſtema Jurisprudentiæ medicæ, 4. Halæ 1725.
Salom. oratio de Sudore ſanguineo, 8. Witteb. 1590.
Amati, Luſitani curationes medicæ, fol.
Ammanni, Paul. Irenicum Numæ Pompilii, 8. Franc. Lipſ. 1689.
Medicina critica, 4. Stadæ 1677.
Ariſtotelis opera, fol. Baſil. 1542.

B.

Babſts, Michael Artzeney-Buch, 4. Leipzig 1596.
Baglivus, Georg. de fibra matrice, 8. Londin. 1703.
Barbette, Paul. opera omnia, 4. Genev. 1682.
Barckuſen, Joh. Conr. Hiſtoria Medicinæ, 8. Amſtelod. 1701.
Baricelli, Jul. Cæſ. Hortulus genialis, 12. Colon. 1620.
Bartholini, Caſp. inſtitutiones, 8. Roſtoch. 1626.
Thom. Acta Hafnienſia, 4. Hafn. 1663.
Anatomia renovata, 8. Lugd. 1673.
Ciſta medica, 8. Hafn. 1662.
Epiſtolæ medicinales, 8. Hafn. 1663.
de Flagrorum uſu, 8. Franc. 1670.
Hiſtoriæ anatomicæ, 8. Hag. Hafn. 1659. ſeq.
de morbis biblicis, 8. Francof. 1673.
de inſolitis partus viis, 8. Hafn. 1664.
Bauhinus, Caſp. de Hermaphroditis, 8. Oppenheim. 1620.
Bauhini C. Theatrum anatomicum, 4. Baſil. 1621.
Bauſchius, Joh. Laur. de Hæmatite & Ætite, 8. Lipſ. 1665.
Bayle, Th. Diſſertationes medicæ, 12. Hagæ 1678.

Becke, Dav. van der, Experimenta circa rerum naturalium principia, 8. Hamburg. 1664.
Becheri, Joh. Jac. Oedipus Chymicus, 12. Amstelod. 1664.
Beckheri, Dan. Medicus microcosmus, 4. Lugd. 1633.
Becmanni, Christ. manuductio ad latinam linguam, 8. Frf. 1672.
Bellefontaine, Louis de la Medecine dogmatique mechanique, 8. Amsterd. 1712.
Bellonii, Petr. Observationes. vid. Clusii Opera, fol.
Benedictus, Alexander, de re medica, fol. Basil. 1549.
Benedicti (Benit) Christ. Theatrum tabidorum sive de Phthisi, 8. Lond. 1696.
Benivenius, Anton. de abditis morborum causis, 8. v. Dodonæi observat.
Bergeri, Joh. Gothofr. Physiologia medica seu de natura, 4. Witteb. 1702.
Beverovici, Joh. quæstiones epistolicæ, 8. Roterod. 1665.
Beverwick von, Schatz der Gesundheit oder Artzeney-Kunst, fol. Franckf. 1674.
Bierlingii, Casp. Theoph. Adversaria curiosa, 4. Jenæ 1679.
Thesaurus theoreticus practicus, 4. Jenæ 1690.
Binningeri, Joh. Nic. Observationes, 8. Montbelg. 1673.
Blancardi, Steph. Anatomia reformata, 8. Lugd. 1687.
Opera medico-theoretico-practica, 4. Lugd. 1690.
Institutiones. vid. Opera.
Collectanea medico-physica, 8. Leipzig 1690.
Lexicon medicum, 8. Lugd. 1690.
Blasii, Gerard. Commentarius in Joh. Veslingii syntagma anatomicum, 4. Patav. 1677.
Medicina curatoria, 8. Amsterd 1686.
Observata anatomica, 8. Lugd 1674.
Observationes medicæ, 8. Amsterd. 1686.
Blegny, Nic. de, Zodiacus medico-Gallicus, 4. Genev. 1680.
Bohnii, Joh. Circulus anatomico-physiologicus, 4. Lipf. 1686.
de officio medici duplici, 4. Lipf. 1704.
Medicinæ forensis specimen III. 4. Lipf.
Bonaciolus, Lud. de fœtus formatione. v. Sever. Pinæus de virginitate.
Boneti, Theoph. medicina septentrionalis, fol. Genev. 1686.

Boneti, Theoph. Mercurius compitalitius, fol. Genev. 1683.
Polyalthes, fol. Genev. 1691.
Sepulchretum ſeu anatomia practica, fol. Genev. 1679.
Borelli, Petri, obſervationes medico-phyſicæ, 8. Fr. Lipſ. 1676.
Boſelli, Franc. Amaltheum medico-hiſtoricum, 4. Patav. 1668.
Bourgeois, Louyſe, Hebammen-Buch, 4. Oppenheim.
Boyle, Rob. de utilitate philoſophiæ experimentalis, 4. Lindav. 1692.
Bravo de Sobremonte Caſp. diſputationes, 4. Colon. 1671.
Brendelii, Adami, obſervationes anatomicæ, 4. Witteb. 1716. ſeq.
Brœckhuſen, Benj. a, œconomia corporis animalis, 8. Norimb. 1672.
Brœn, Joh. opera medica, 4. Amſtelod. 1703.
Bulgetius, Attilius, de affectionibus cordis & morbis venenatis, 4. Patav. 1657.
Busbequii, Aug. Geſt. epiſtolæ legationis turcicæ, 12. Amſt. 1660.

C.

Cælii, Rhodigini, Lud. lectiones antiquæ, fol. Baſil. 1550.
Calceolarii, Franc. Muſeum, fol. Veronæ 1622.
Camerarii, Eliæ, medicina conciliatrix, 4. Franc. 1714.
Joh. Rudolphi, memorabilia medicinæ, 8. Tubing. 1683.
Philippi, horæ ſubciſivæ, 4. Francof. 1658.
Capivaccii, Hieron. practica medicina, 4. Franc. 1594.
Caſe, Joh. compendium anatomicum, 12. Amſterd. 1696.
Caſſanæi, Barthol. catalogus gloriæ mundi, fol. Francof. 1586.
a Caſtro, Roder. de morbis mulierum, 4. Colon. 1689.
de natura mulierum, 4. - - -
Medicus politicus, 4. Hamburg. 1662.
Catullus.
Chalvet, Matthieu de, verſio Senecæ in linguam Gallicam, fol. a Paris 1603.
Claudianus.
Claudini, Jul. Cæſar. reſponſiones & conſultationes, 8. Franc. 1607.
Clerc de la medicine aiſee, 12.
Cluſii, Carol. exotica, fol. Antwerp. 1605.
Cockburn, Gugl. œconomia corporis animalis, 12. Auguſt. 1696.
Columbus, Reald. de Re anatomica, 8. Franc. 1595.
Comitis, Nathan. mythologia, 8. Genev 1651.

Conſuetudines Ducatus Burgundiæ, fol. Francof. 1574.
Cornarus, Janus, in Dioſcoridem, fol. Baſil. 1557.
Cornelius Tacitus.
Craan, Theod. diſſertatio de homine, 4. Lugd. 1689.
œconomia animalis, 8. Amſterd. 1703.
Crollii, Oswald. Baſilica chymica, 8. Colon. 1661.
Cypriani, Abrah. epiſtola de fœtu tubario, 8. Lugd. 1700.

D.

Dedekenni, Georg. conſilia, fol. Hamburg 1623.
Dekkers, Freder. exercitationes practicæ, 4. Lugd. 1694.
Annotationes in Barbette praxin, 4.
Deventer, Henr. a, ars obſtetricandi, 4. Lugd. Batav. 1701.
Diemerbroc, Isbrand. de, anatome corporis humani, fol. Ultraj. 1685. item 4. Lugdun. 1679.
Dionis, Petr. anatomia corporis humani, 8. Genev. 1696.
Cours d'operations de chirurgie, 8. a Bruxelles 1707.
Dolæi, Joh. Encyclopædia medica, 4. Francof. 1684.
chirurgica, 4. Francof. 1689.
Dodonæi, Remberti, obſervationes medicinales, 8. Colon. 1581.
Donatus, Marcellus, de hiſtoria medica mirabili, 8. Francof. 1613.
Donatii, Joh. Bapt. commentationes medicæ, 8.
Dubravii, Jani, hiſtoria Bohemica, 8. Francof. 1687.

E.

Ephemerides academiæ naturæ curioſorum, 4. Norimb. 1715. ſq.
Ettmülleri, Mich. opera, fol. Francof. 1695.
J. V. E. Venus Minſiecke Gaſthuys, 8. t'Amſterdam. 1687.

F.

Fabricii, Guilh. Hild. opera omnia, fol. Francof. 1646.
Hieron. ab Aquapend. opera anatomica & phyſiologica, fol. Lipſ. 1687.
Fehr, Joh. Mich. de abſinthio, 8. Lipſ. 1667.
Feltmannus, Georg. de cadavere inſpiciendo, 4. Bremæ 1692.
Fernelii, Joh. opera ſeu univerſa medicina cum notis Heurnii, 4. Traject. 1656.
Fidelis, Fortunatus, de relationibus medicorum, 8. Lipſ. 1674.
Fiſcheri, Lævini, corpus medicinæ imperiale, 8. Herbipol. 1686.
Foreſti, Petr. obſervationes medicæ & chirurgicæ, fol. Frf. 1602.
Fouquet, Madame de, remedes charitables, 12. a Lyon 1686.

Fraca-

Fracastorius, Hieron. de sympathia & antipathia, 8. Lugd. 1554.
Franci, Georg. satyræ medicæ, 8. Lipsi. 1722.
annotationes in P. Zacchiæ quæstiones med. legales.
Frauendorfferus, Phil. de morbis mulierum, 12. Norib. 1696.
Freind, Joh. emmenologia sive de fluxu muliebri menstruo, 8. Roterod. Lugd. 1711.
Frommannus, Joh. Christ. de fascinatione, 4. Norimb. 1675.
de hæmorrhoidibus, 12. Norib. 1677.

G.

Gabelchoveri, Wolffg. Curationes & Observationes, 8. Tub. 1611.
Galeni, Cl. Opera, fol. Venet. 1562.
Garmanni, Chr. Fr. Epistolæ, 8. Rostoch. Lipsi. 1715.
Oclogia curiosa, 4. Cygneæ.
de Miraculis Mortuorum, 4. Dresd. Lipsi. 1709.
Gasseri, Achill. Observat. vid. Velschii Curationes, 4. Aug. 1667.
Geierus, Joh. Dan. de Cantharidibus, 4. Francof. 1687.
Geuderus, Melch. de Fermentatione, 8. Amsterd. 1680.
Gladbachii, Jo. Bernh. Praxis Medicæ Idea novissima. 8. Herb. 1694.
Gockelii, Eberh. Gallicinium seu Consilia & Observationes, 4. Ulmæ 1700.
Consilia & Observationes, 8. August. 1683.
Gœlicke, Andr. Ottomar. Medicina Forensis, 4. Francof. 1723.
Historia anatomica, 8. Halæ 1713.
Gottfrieds, Joh. Ludw. chronica, fol. 1674.
Graaf, Regner. de Organis mulierum. v. Opera, 8. Lugd. 1677.
Græbneri, Dav. medicina vetus restituta, 4. Lipsi. 1678.
le Grand, Antonii historia naturalis, 8. Norimb. 1678.
Curiosus rerum abditarum perscrutator, 12. Franc. 1681.
Groenlands Beschreibung, 4. Nürnberg 1679.
Güldenklee, Bald. Timæi, opera medica, 4. Lipsi. 1677.

H.

Hagendornii, Ehrenf. historiæ medico-physicæ, 8. Rudolphst. 1690.
Harderi, Joh. Jac. apiarum sive observationes, 4. Basil. 1687.
& Peyeri exercitationes anatomico-medicæ, 8. Basil. 1682.
Hartmanni, Joh. praxis chymiatrica. vid. opera, fol. Frf. 1687.
Harveus, Guil. de generatione animalium, 12. Hagæ 1680.
Heer, Henr. ab, observationes medicæ, 12. Lugd. 1685.

Heer, Henr. ab, Spadacrene, 12. Lugd. 1685.
Heisteri, Laur. compendium anatomicum, 8. Altdorf. 1718.
Helwigii, Joh. observationes physico-medicæ, 4. August. 1680.
Hellwigs, Christoph Lexicon pharmacevticum, 8. Franckf. 1709.
Helmontii, Joh. Bapt. opera, fol. Lugd. 1667.
Franciſci Mercurii alphabetum naturæ, 12. Sulzbac. 1657.
Helvetii, Joh. Frid. diribitorium medicum, 8. Amstelod. 1670.
Henckelius, Elias Henr. de philtris, 8. Francof. 1690.
Herfeld, Jac. Geneeskundige Anmerckingen, 8. t' Amsterd. 1693.
Herodotus.
Heurnii, Otton. observationes. vid. Fernelii opera.
Highmori, Nath. corporis humani disquisitio anatomica, fol. Hagæ 1651.
de passione hysterica, 12. Jenæ 1657.
Hippocratis opera, fol. Basil. 1586.
Historia morborum Vratislavienſium An. 1702. 4. Vratisl. 1702.
Hœchstetteri, Phil. observationes medicinales, 8. Frf. Lipſ. 1674.
Hœferi, Wolffg. Hercules medicus, 4. Norimb. 1675.
Hoffmanni, Dan. annotationes in hypotheſes Goveyanas, 8. Francof. 1719.
Frid. Clavis Schrœderiana, 4. Halæ 1681.
Methodus medendi, 4. Lipſiæ 1678.
Annotationes in Petr. Poterium, 4. Frf. 1698.
Hoffmanni, Joh. Mauricii, idea machinæ humanæ anatomico-physiologica, 4. Altdorf. 1703.
Disquisitio corporis humani anatomico-pathologica, 4. Altdorf. 1713.
Hollerius, Jac. de morborum internorum curatione, 8. Pariſ. 1567.
in aphorismos Hippocratis, 8. Lipſiæ 1597.
Hoogstraten, Dan. van, de hodierno medicinæ statu, 8. Dordrecht 1683.
van Horne, Joh. Microcosmus. vid. opera, 8. Lipſ. 1707.
Microtechne. vid. opera.
Horstii, Gregor. opera medica omnia, fol. Norimb. 1660.

I.

Jacobæus, Oliger. de ranis & lacertis, 8. Hafniæ 1686.
ab Indagine, Joh. introductio in Chiromantiam &c. 8. Urſell. 1603.
Jonstoni, Joh. Thavmatographia naturalis, 12. Antwerp. 1633.

Joſe-

Joſephus, Flavius, de antiquitatibus Judaicis, 8. Francof. 1617.
Journal des Sçavans, 12. a Amſterdam.
Junckeri, Joann. conſpectus medicinæ, 4. Halæ 1718.

K.

Kæmpfferi, Engelbert. amœnitates exoticæ, 4. Lemgo 1712.
Kerckringii, Theod. ſpicilegium anatomicum, 4. Amſterd. 1671.
Kergerus, Mart. de fermentatione, 4. Witteb. 1663.
Kœnig, Eman. Regnum animale, 4. Baſil. 1682.
Selectus remediorum. - -
Kornmannus, Henr. de jure virginitatis, 12. Francof. 1629.
Kyperi, Alberti, anthropologia, 4. Lugdun. 1660.

L.

Lamzweerde, Joh. Bapt. hiſtoria molarum uteri, 8. Lugd. 1686.
Appendix ad Sculteti armamentarium, 8. Amſterd. 1671.
Langii, Chriſtiani Joh. opera, fol. Lipſ. 1704.
Johann. epiſtolæ medicinales, 8. Hanov. 1608.
Lanſii, Thom. conſultationes, 8. Tubing. 1678.
Laurentii, Andr. hiſtoria anatomica, fol. Francof. 1600.
Ledelius, Samuel, de centaurio minori, 8. Franc. 1694.
Lemnius, Lævin, de occultis naturæ miraculis, 12. Francof. 1604.
Lentilii, Roſin. *Miſcellanea medico-practica*, 4. Ulmæ 1698.
Iatromnemata theoretico-practica, 8. Stutgard. 1712.
Linden, Joh. Antonid. van der, meletemata medicinæ Hippocraticæ, 4. Francof. 1672.
Lipſii, Juſti, commentarius in Tacitum, 4. Antverp. 1600.
Liſter, Martin. de humoribus, 8. Amſterd. 1711.
Lœberi, Valent. Andr. anchora ſanitatis, 8. Francof. Lipſ. 1688.
Lommii, Jodoc. obſervationes medicinales, 12. Frf. Lipſ. 1688.
Lotichii, Joh. Petri, commentarii in Petron. 4. Francof. 1629.

M.

Majoli, Sim. dies caniculares, fol. Francof. 1647.
Major, Joh. Dan. de cancris & ſerpentibus petrefactis, 8. Jen. 1669.
Mandelsloo, Joh. Albrechts, Perſianiſche Reiſe, vid. Olear. Reiſe.
Matthiæ, Chriſtian. theatrum hiſtoricum, 4. Francof. 1684.
Joh. Dan. obſervationes & experimenta, 12. Frf. 1683.
Matthiol. Petr. Andr. commentarius in Dioſcoridem, fol. Baſil. 1674.
Mauriceau, Franç. des obſervations ſur la Groſſeſſe, 4. a Paris 1695.

Mead,

Mead, Richard, de imperio ſolis & lunæ. vid. Musgrave de Arthritide.

a Meekren, Joh. obſervationes medico-chirurgicæ, 8. Amſt. 1682.

Meibomius, Henr. de uſu flagrorum in Re venerea. v. Th. Bartholin. de uſu flagrorum.

Memoires concernans les arts, 12. a Bruxel 1684.

Mercatus, Lud. de mulierum affectibus. v. Iſr. Spacchii Gynæc.

Mercurialis, Hieronymus, de morbis mulierum in Spacch. Gyn.
de venenis & morbis venenatis, 4. Venet. 1588.

Mercklinus, Georg. Abr. de incantatione, 4. Norib. 1698.

Mercurio, Scipione, della commare oriccoglitrice, 8. in Milano 1618.

Michaelis, Joh. opera medico-chirurgica, 4. Norib. 1688.

Miſcellanea naturæ curioſorum.

Mizaldus redivivus, 12. Noriberg. 1681.

Mocquet, Jan, Reiſe-Beſchreibung in Aſia, Africa, 4. Lüneburg 1688.

Mœbii, Gothofr. fundamenta phyſiologica, 4. Jenæ 1661.

Mœllenbroc, Val. And. cochlearia curioſa, 8. Lipſ. 1664.

Moroni, Matthiæ, directorium medico-practicum, 4. Frf. 1663.

Morton, Rich. opera medica de phthiſi, 8. Amſterd. 1696.

Mülleri, Petr. diſputatio de jure prægnantium, 4. Jenæ 1686.

Muralt, Joh. de, clavis medicinæ ſeu vademecum, 12. Tigur. 1672.
Collegium anatomicum, 8 Nürnberg 1697.

Musgrave, Guilh. de arthritide anomala, 8. Amſterd. 1710.

Muſitani, Carol. trutina chirurgica, 4. Colon. 1698.
de morbis mulierum, 4. Colon. 1709.

Mylii, Joh. Dan. Baſilica chymica, 4. Francof. 1618.

Mynſingeri, Joach. obſervationes Judic. Imperial. Camer. fol. Baſil. 1576.

N.

Nenteri, Georg. Phil. theoria hominis ſani ſive phyſiologia medica, 8. Argentin. 1714.

O.

Ortlobii, Joh. Frid. hiſtoria partium ſeu phyſiologia. 4. Lipſ. 1697.

Overcamp, Heydentr. œconomia animalis, 8. Leipzig 1698.
Neu Gebäude der Chirurgie, 8. Leipzig 1689.

Ovidius.

P. Pache-

P.

Pachequi, Petr. obſervationes. vid. Riverii obſervationes communicatas.

Pæonis & Pythagoræ exercitationes anatomicæ & medicæ, 8. Baſil. 1682.

Pagenſtecherus D. de cornibus v. idem de inſpectione ventris, 12.

Palfyn, Jean, de la deſcription anatomique des parties de la femme, 4. a Leyde 1708.

Palmarius, Julius, de morbis contagioſis, 8. Hagæ 1664.

Panaroli, Dominici, obſervationes medicinales, 4. Hanov. 1654.

Pancirollus, Guido, de rebus memorabilibus ſeu deperditis, 4. Francof. 1660.

Pandolphinus, Joſeph. de ventoſitate ſpinæ, 12. Norimb. 1674.

Paracelſi, Theophraſt. opera, fol. Straßburg 1616.

Paræi, Ambroſii, Theſaurus chirurgiæ, fol. Francof. 1610.

Pauli, Joh. Gugl. annotationes in Joh. van Horne opera, 8. Lipſ. 1707.

Sim. quadripartitum Botanicum, 4. Argentor. 1666.

Paullini, Chriſt. Franc. de Aſino, 8. Francof. 1695.

de candore, 8. Fr. Lipſ. 1704.

Dreck-Apothecke, 8. Franckf. 1696.

Lycographia, 8. Francof. 1694.

de morte verminoſa, 8. Fr. Lipſ. 1703.

obſervationes medico-phyſicæ, 8. Lipſ. 1706.

de ſalvia, 8. Auguſt. 1688.

de theriaca cœleſti, 8. Francof. 1701.

Pechlini, Joh. Nic. obſervationes phyſico-medicæ, 4. Hamb. 1691.

Petrarcha, Franc. de remediis utriusque Fortunæ, 12. Roterd. 1649.

Peyeri, Joh. Conr. exercitatio de glandulis inteſtinalibus, 8. Amſterd. 1681.

exercitationes cum Hardero, 8. Baſil. 1682.

Piens, Fr. de febribus, 8. Noviomag. 1668.

Pighii, notæ ad Valerium Maximum, 8.

Pinæus, Severinus, de notis virginitatis, 12. Amſtelod. 1663.

Piſo, Carol. de morbis ſeroſis, 8. Lugd. 1650.

Plateri, Felic. obſervationes, 8. Baſil. 1641.

praxis medica, 4. Baſil. 1621.

quæſtiones phyſiologicæ. v. Praxin.

Plazzonus, Franc. de partibus genitalibus, 12. Lugd. Bat. 1644.
Plempii, Vopiſci Fortunati, fundamenta medicinæ, fol. Lovan. 1644.
Plinii, hiſtoria mundi, fol. Baſil. 1554.
Portæ, Joh. Bapt. magia naturalis, 12. Amſterd. 1664.
Primeroſius, Jacob. de vulgi erroribus in medicina, 12. Roter. 1668.
Propertius.

Q.

Quercetani, Joſeph. diæteticon polyhiſtoricon, 8. Lipſiæ 1607.

R.

Rallius, Georg. Frid. de generatione, 12. Stetin. 1669.
Ramazzinus, Bernh. de morbis artificum, 8. Ultraj. 1713.
Rattray, Sylveſt. de ſympathia & antipathia, 12. Tubing. 1660.
de Rebecque, Joh. Conſtant. obſervationes, 12. Genev. 1691.
a Reies, Caſp. Campus Elyſius jucundarum quæſtionum, 4. Francof. 1670.
Reusneri, Hier. obſervationes medicæ. v. G. Hier. Velſchii curationes.
Rhodii, Joh. obſervationes, vid. Petr. Borelli obſervat.
Rhodius, Joh. de Acia, 4. Hafn. 1672.
Riedlini, Viti, parentis, obſervationum medicarum Centuriæ III. 12. Auguſtæ 1691.
filii, obſervationes, 12. Auguſtæ 1682.
Lineæ medicæ, 8. Auguſt. 1705 ſeq.
Millenarius curarum medicarum, Ulmæ 1709.
Riolani, Joan. Anthropographia ſive opera anatomica, fol. Lutet. 1649.
Enchiridion anatomicum & pathologicum, 8. Lipſ. 1674.
Parent. ars bene medendi, 8. Pariſiis 1601.
Riverii, Lazar. praxis medica, 8. Lugdun. 1660.
Obſervationes medicæ, 8. Hagæ 1656.
Rolfincius, Guern. de partibus generationi inſervientibus, 4. Jenæ.
Epitome methodi cognoſcendi affectus, 4. Jenæ 1675.
Rondeletii, Gulielmi, methodus curandorum morborum, 8. Pariſ. 1574.

Ronſſeus,

Ronſſeus, Balduin. de Primordiis vitæ humanæ, 8. Lugd. 1618.
Rulandi, Mart. curationes empiricæ & hiſtoriæ, 8. Rothom. 1650.
Rumleri, Joh. Uldar. obſervationes. v. G. Hier. Velſch. Sylloge obſervat.
Ruyſchii, Frid. obſervationes anatomico-chirurgicæ, 4. Amſtel. 1691.

S.

Saars, Joh. Jac. Oſt-Indianiſche Reiſe oder Kriegs-Dienſte, fol. Nürnb. 1672.
Sachſii, Phil. Jac. Gammarologia ſeu de cancris, 8. Fr. Lipſ. 1663.
de miranda lapidum natura. vid. Joh. Dan. Major de cancris & ſerpentibus petrefactis.
Salmuthi, Henric. annotationes in Guid. Pancirollum, 4.
Philip. obſervationes medicæ, 4. Brunſvig. 1648.
Salzmanni, Joh. Rudolph. obſervata anatomica, 12. Amſterd. 1669.
Scaliger, Jul. Cæſar, de ſubtilitate, 8. Hanov. 1634.
Schenckii, Joh. obſervationes medicæ, fol. Francof. 1665.
Joh. Georg. hiſtoria monſtrorum, 4. Francof. 1609.
Joh. Theod. Schola partium corporis humani, 4. Jenæ 1664.
Schrœckii, Lucæ, Scholia in Joh. Helwigii obſervationes, 4.
Schrœderi, Joh. Pharmacopœa medico-chymica, 4. Ulmæ 1685.
Schurigii, Mart. Spermatologia, 4. Francof. 1720.
Muliebria, 4. Lipſiæ 1729.
Scriptura ſacra.
Sebizius, Melch. de notis virginitatis. v. Sever. Pinæus.
Seneca.
Sennerti, Dan. inſtitutiones medicæ, 4. Witteb. 1667.
Practica medicinæ, 4. Witteb. 1654. ſeq.
Severinus, Marc. Aurelius, de recondita abſceſſuum natura, 4. Francof. 1669.
Simon, Joh. Georg. de impotentia conjugali, 4. Jenæ 1718.
Præſidium academicum, 4. Jenæ.
Sinibaldi, Joh. Bened. Geneanthropœia ſeu de generatione hominis, 4. Francof. 1669.
Smetii, Henr. Miſcellanea medica, 8. Francof. 1611.
Snellen, Henr. delineatio theoriæ mechanicæ, 8. Lugd. 1705.

Sobremonte, Bravo de, disputationes, vid. Bravo.
Solenandri, Reiner. consilia medica, fol. Hanov. 1605.
Solini, Jul. Cæs. polyhistor seu collectanea rerum memorabilium, 8. Gothæ 1665.
Spacchii, Israel, Gynæciorum libri, fol. Argentor. 1597.
Sperlingius, Joh. de formatione fœtus in utero, 8. Witteb. 1641.
Spindleri, Pauli, observationes medicinales, 4. Francof. 1691.
Stahlii, Georg. Ernest. theoria medica in Physiologia & Pathologia, 4. Halæ 1700.
de motu tonico vitali, 4. Jenæ 1692.
Stalpart, Cornelius, observationes rariores, 8. Lugd. 1687.
Strausii, Laurent. Palæstra medica, 8. Giss æ 1686.
Stupani, Eman. Aphorismi Hippocratis, 8. Basil. 1615.
Sylvii, Franc. opera medica, 4. Amsterd. 1660.
Dictata, v. Opera, fol. Avenione 1671.

T.

Tacitus, Cornelius.
Tabernæmontanus, Joh. Theod. Kräuter-Buch, fol. Franckf. 1613.
Tauvry, Dan. anatomia nova rationalis, 8. Ulmæ 1694.
Taranta, Valescus de, Philonium pharmacevticum, 4. Francof. 1680.
Teichmeyeri, Herm. Frid. institutiones medicinæ legales vel forenses, 4. Jenæ 1723.
Tenzelii, Andr. medicina diastatica, 12. Jenæ 1629.
de Tertiis, Josephus, de curiositatibus physicis, 8. Lugd. 1686.
du Tertre, Marguerite, de l'instructions des sages femmes, 12. à Paris 1677.
Tertulliani, Septimii Flori, opera, fol. Basil. 1521.
Thesaurus secretorum compositorum curiosorum, 4. Colon. 1709.
Thomson, Georg. acus magnetica, 12. Francof. 1686.
Tilingius, Matthias, de placenta uteri, 12. Rinthel. 1672.
de fermentatione, 12. Bremæ 1674.
Timæus, Bald. a Güldenklee, opera medico-practica, 4. Lipf. 1677.
Torreblanca, Franc. de magia, 4. Lugd. 1678.
Trillerus, Mauricius, de officio medici, 12. Jenæ 1701.
Tulpii, Nicol. observationes medicæ, 8. Amstelod. 1652.

U. V. Ulmi,

U. V.

Ulmi, Anton. Physiologia barbæ, fol. Bonon. 1603.
Valentini, Mich. Bernh. praxis medica infallibilis, 4. Frf. 1711.
Polychresta, 4. Francof. 1700.
Nosocomium academicum. v. in praxi med. chirurg.
Dissertationes epistolicæ, 4.
Novellæ medico-legales, 4. Francof. 1711.
Vallesii, Franc. Philosophia sacra, 8. Francof. 1608.
Valerius Maximus cum notis, 8.
Vateri, Christiani, Physiologia experimentalis, 4. Witteb. 1701.
a Vega, Christoph. in prognostica Hippocratis, 12. Lugd. 1551.
Velschii, Georg. Hier. consilia medicinalia, 4. August. 1698.
Episagmata in Sylloge Curat. 4. - - - 1667.
Curationes exoticæ, 4.
propriæ, 4. Aug. 1698.
Chiliades.
Velthuysius, Lambertus, de generatione, 12. Traj. 1657. item Opera.
Venus Minsiecke Gasthuys J. V. E. a Amsterd. 1697.
Venette, Nic. de la generation de l'homme, 12. a Cologne 1696.
Verduc, Jean Bapt. de l'usage des parties, 12. a Paris 1696.
des operations de chirurgie, 8. a Paris 1694.
Verduin, Petr. Hadr. observationes chirurgicæ, 8. Lugd. 1693.
Verheyen, Phil. Anatomia corporis humani, 8. Lipsi. 1699.
Verzaschæ, Bernh. observationes medicæ, 8. Amsterd. 1677.
Vesalii, Andr. Anatomia, fol. Venet. 1614.
Veslingii, Joh. Syntagma anatomicum, 4. Patav. 1647.
Vesti, Justi, œconomia corporis humani, 8. Erford.
Vieussens, Raym. de corporis humani vasis novis, 8. Amst. 1705.

W.

Waldschmidii, Joh. Jac. praxis medicinæ, 8. Francof. 1690.
Warlizius, Christ. de morbis biblicis, 8. Witteb. 1714.
Scrutinium lacrymarum, 8. Witteb. 1705.
Weckerus, Joh. Jac. de secretis, 8. Basil. 1600.
Wedelii, G. W. Physiologia medica, 4. Jenæ 1682.
Weickardi, Arnold. Thesaurus pharmaceuticus, fol. Frf. 1626.

Whartoni, Thom. Adenographia sive de Glandulis, 12. Noviomag. 1664.
Wieri, Joh. opera omnia, 4. Amstelod. 1660.
Willis, Th. opera, 4. Lugd. 1681.
Wolffii, Joh. lectiones memorabiles, fol.
Ido, observationes chirurgico-medicæ, 4. Quedlinb. 1704.
Wolffs, Jac. Scrutinium amuletorum, 4. Lipsi. 1690.

Z.

Zacchiæ, Pauli, quæstiones medico-legales, fol. Francof. 1688.
Zacuti Lusitani opera omnia, fol. Lugd. 1684.
Zieglers, J. Ansh. Schauplatz der Zeit, fol. Leipzig 1700.
Zittmanni, Joh. Fr. medicina Forensis, 4. Francof. 1706.
Zypæi, Franc. fundamenta medica, 8. Bruxellis 1684.

INDEX RERUM.

A.

ABortus a menſium fluxu 74. 227.
bimeſtris, ſecundinis involutus, per vomitum rejectus 103.
per Abſceſſum ſub coſtis menſes rejecti 116.
Acus S. Wilfridi quid ſit? 275. indicat virginitatem ibid.
Æmilia pro ſigno innocentiæ candens ferrum portavit 276.
Agatha pudicitiam ſuam igne confirmavit 278.
Aloes lignum præbet ſignum virginitatis 281.
ex Alveolo dentis menſes 94.
per Alvum menſes 110.
Ambuſtio pedum 115.
contra Amorem ſanguis menſtruus 253.
ab Amore ſuppreſſio menſium 157.
Andramites, Lydorum Rex, fuit inventor caſtrationis feminarum 374.
Anguſtia naturalium partium genitalium an ſignum virginitatis 306. 311.
Aortæ truncus deſcendens amplior in feminis, quam viris 37.
Aphonia a menſium ſuppreſſione 161.
Apoplexia a menſium ſuppreſſione 172.
Aqua cribro portata ſignum virginitatis 279.
Menthæ vomitum ſanguinis ſiſtit 99.
per Aquam probatur ſignum virginitatis 279.
Aquila amans virginem 383.
Arbor pulcherrima poſt linteorum ſanguine menſtruo infectorum in ea ſuſpenſionem 228. ſeq.
Arbores poſt fructus a menſtruata decerptos arefactæ 238. ſeq.
Arcanum ad ſuppreſſionem menſium 243.
Arctitudo vaginæ uterinæ a plicis & rugis an ſignum virginitatis 309.
Ardor circa ſpinam dorſi prodromus menſtruationis 111.
ex Arteriis an fluat ſanguis menſtruus? 77.
Atretæ mors a ſuppreſſione ſanguinis menſtrui 186.
in Atreta uterus ſanguine plenus 186.

Atretas sine penis immissione concipere posse 352.
Atrophia a philtro 250.
Auctio virginum apud Babylonios 25. sq.
ab Ave Porphyrione nota virginitatis 276.
ex Auribus sanguis menstruus 90.
Autoris observatio de Ictero nigro 216.
de menstruo fluxu in mare 124. seq.
in obesis 150.
de pubertate 11.

B.

Babaras radix sanguine menstruo evellitur 262.
Babylonii virgines suas puberes per modum auctionis vendunt 25.
Barba in mulieribus a mensium suppressione 185.
nulla in viro depilis 122.
Basiliscus an ex sanguine menstruo generetur 265.
Beneficium vocatur menstruum 27.
ad Bitumen colligendum adhibetur sanguis menstruus 261.
Bombyces a menstruatarum mulierum accessu lædi 229.
Bruta nonnulla menstruationem patiuntur 125.
Brutorum castratio in feminis 371.
Bufones ad pentacula 263. seq.

C.

ad Calculum sanguis menstruus 242.
Calendulæ florum odor in sanguine menstruo 52, 217. 235.
Camelorum castratio 371.
Cancer in præputio a coitu cum impura 139.
Canes menstruo laborantes 126.
a sanguine menstruo rabidi 227.
Caniculus ordinarium menstruum habens 127.
Canum castratio 373. 374.
Carbonum pica a mensium suppressione 178.
Cardinalis vocatur menstruum 28.
Caries cranii a mensium suppressione 160.
per Carpum menses 160.
a Carunculis an coarctatio vaginæ 307. 308.
an signum virginitatis 307.
Castitas Cunegundæ per ignem probata 276. seq.
Castratio in brutis 371.

Castratio camelorum 371.
Canum 373. seq. equarum 373.
porcarum 371.
suum 371.
vaccarum 372. seq.
vitulorum 373.
Virginum an detur 373. 374.
Castrationis feminarum inventor fuit Lydorum Rex 374.
virorum inventrix fuit Semiramis 374.
exempla 375.
modus 371. seq. 373.
an possibilis 373. 376. seq.
nomine venit etiam Clitoridis resectio 379.
Infibulatio 380.
Nymphotomia 379.
Catalepsis a mensium suppressione 165.
Cephalalgia prodromus menstruationis 211.
ex Chiromantia an virginitas cognoscenda 281.
Chunigundæ castitas 276. seq.
a Cibis crudis mensium suppressio 153.
Cingarorum Arcanum contra incendia 261.
Claudiæ virginitatis probatio per ignem 276.
Clavi pedum sanguine menstruo curantur 259.
Clitoridis resectio nomine castrationis venire solet 379. seq.
Coalitus vaginæ uterinæ an signum virginitatis 310.
Coarctatio vaginæ a carunculis an virginitatis signum 307.
Coitus primus tempore menstruationis est facilis sponsoque suspectus 302. seqq. 345
cum menstruata an noxius? 230. 231.
sine voluptate 316
a Coitu cum menstruata lepra 240.
præputium cancrosum 239.
testiculus sphacelatus 239. 240.
amittitur virginitas 268. 269.
Cœcitas a Colapho 156.
menstrua a mensium suppressione 182.
a Colapho cœcitas 156.
Colli mensuratio pro signo virginitatis 283.

Color menſium 215. ſeq.
Conceptio requirit tempus pubertatis 1.
ſine prægreſſa menſtruatione 194. 195. 196. 200.
ſine penis immiſſione 301.
Conjugium ſine Coitu.
Conſtantinus Imperator fuit caſtiſſimus.
Conſutio vulvæ pro virginitatis cuſtodia 366. ſeq.
Contractura a menſium ſuppreſſione 173.
ad Contracturam equorum (Verſchlagen) ſanguis menſtruus 251.
Convulſiones a menſium ſuppreſſione 161.
Cordis palpitatio ab adſtantibus audita.
Cranii Caries a menſium ſuppreſſione 160.
Cribro portata aqua proba virginitatis 279.
Criſis in morbis malignis 46.
Cruentatio in primo coitu an ſignum virginitatis? 306. 311. ſeq. 346. 345. 323. ſeq. 327. 330. 334. 336.
Cruentationis cauſa 307. 311. 313.
abſentia an ſignum defloratiouis? 328. 339. ſeq. 345. ſeq.
ſine Cruentatione defloratio 329. 333. 338.
Cucurbitulæ ſiccæ ſupra pudenda in menſium ſuppreſſione applicatæ.
Cunigunda, Conjux Imperatoris Henrici III. caſtitatem ſuam per duellum nani cum gigante probavit 279.
Cunigunda, Henrici I. conjux adulterii falſo inſimulata, ſuper candens ferrum nudis pedibus ambulavit 276. ſeq.
maritum in matrimonio non attigit 277.
Cunigundæ Epitaphium 278.
Cura magnetica ad menſes per vinum ex manu puellæ menſtruatæ abſorptum 244.
per panem, a menſtruo impræguatum 244.
Cuſtodia virginitatis per vulvæ conſutionem 366.
per infibulationem 369.
per Cutem menſes 113.

D.

Defloratio virginis ſine cruentatione 305.
Delictorum occultorum proba 274.
Delirium a ſanguine menſtruo 248.
Dementia a menſium ſuppreſſione 170.

Dens caninus per alvum excretus 119.
a Dentis alveolo menſes 94.
Dentium dolor prodromus menſtruationis 214.
Depilis quidam toto corpore 122.
Diarrhœa prodromus menſium 213.
Dilatatio partium genitalium fallax ſignum.
a menſtruatione 315.
Dolor a menſium ſuppreſſione 176.
dentium prodromus menſtruationis 214.
in Dorſo menſes erumpentes 115.
Duellum nani cum gigante pro defenſione caſtitatis 280.
Dyſenteria a menſium ſuppreſſione 177.

E.

Ecſtaſis a menſium ſuppreſſione 164.
Elephantiaſis an a coitu cum menſtruata? 230. negatur 231.
Ens primum vegetabile menſes pellit 140.
Epilepſia a menſium ſuppreſſione 161.
ecſtatica 163.
an a ſanguine menſtruo oriatur?
contra Epilepſiam ſanguis menſtruus 241. ſeq.
Epiſcopi Simplicii caſtitas 278.
Epitaphium *Cunigundæ caſtiſſimæ* 278.
Equa infibulata peperit 370.
Equarum infibulatio 370.
Menſtruatio 127.
Equorum contractura ſanguine menſtruo curata 251.
ad Eryſipelas ſanguis menſtruus 255.
ab Eſu panis calidi obſtructio menſium 152.
Eva & omnes mulieres cur menſes patiantur? 266. ſeq.
Exanthemata a menſium ſuppreſſione 180.

F.

Faſcinatio per menſtruum 246.
contra Faſcinationem ſanguis menſtruus 246. 261.
Febres a menſium ſuppreſſione 177.
ad Febres ſanguis menſtruus 246.
Febris quintana ſyncopalis 242.
cum Fecibus alvinis menſtrua 110.
Feminæ cur citius pubeſcant quam mares 5. 9. ſeq.

Fœminæ tempore menstruationis suspensæ 68.
Fermentum an causa menstruationis? 42.
per Ferrum candens castitas probatur 276. 277.
Fervor an causa menstruationis? 55.
Filia a Patre castrata 375. 376.
Fistula sonans signum virginitatis edit 275.
Flos dicitur menstruum cur? 27. seq.
Fluor albus anno nono incipiens 131.
in puella sexenni 133.
in puella unius anni 138.
Fluxus menstruus in brutis 125.
Fœtus an sanguine menstruo nutriatur? 224. 225.
Fons ab accessu feminæ menstruatæ exsiccatus 229. seq.
signum virginitatis indicans 276.
post Fonticulum in crure feminæ septuaginta sex annorum fluxus menstruus redit 142.
Frenum labiorum an signum virginitatis? 294. 310.
a Frigore mensium suppressio 154.
a Funere viso menses suppressi 157.
Furor uterinus a mensium suppressione 171.
incipit tempore pubertatis 15.

G.

ex Gagatæ suffitu signum virginitatis 280.
ad Gangrænam sanguis menstruus 263.
per Gingivam menses 95. 135.
Gracilitas an signum virginitatis? 292.
Gravidæ cuidam menses per quatuor menses continuo fluebant 148.
post quintum mensem fluentes 105.
Gravidarum fluxus menstruus 202. seq. 138.
sine noxa 205. seq.
cum noxa 205. seq.
lethalis 208.
Graviditatis signa an ex mensium suppressione sumenda? 240.
ad Guttam rosaceam 257.
Gyges dicitur inventor castrationis feminarum 375.

H.

Hæmoptysis a retentione mensium 100. 101.
Hæmorrhagia narium halitu edentulæ fœtido sublata 230.

Hæmorrhagia lethalis 92. 93.
per penem 121.
Hæmorrhagiæ cura ſympathetica 149.
ad Hæmorrhagiam ſanguis menſtruus 253.
Hæmorrhoides menſtruales in feminis 110.
in maribus 118. 119.
in ſenibus 119.
Halitus edentulæ fœtidiſſimus hæmorrhagiam narium ſiſtens 230.
Hirciſmus an ſignum virginitatis 286.
Hirſuties a menſium ſuppreſſione 184.
Honor virginitatis 271.
Hydrops a menſium ſuppreſſione 175.
Hymen relaxatur tempore menſtruationis 302.
interdum in defloratis reperitur 305.
an ſignum virginitatis 296. ſeq. 300. 307.
an ſemper in puellis reperiatur? 296. ſeq. 306. 332.
quando non abrumpatur in primo coitu? 304.
conſiſtere in carunculis 308.
non ſemper reperitur 297. 299.
Hymenis præſentia an ſignum virginitatis? 300. ſeq.
ab Hymenis abſentia ad coitum minime concludi poteſt 298. 305. ſeq.
ſine Hymene interdum puellas naſci 297.
Hymene manente integro conceptio datur 306.

I.

per Ignem proba caſtitatis 276. ſeq.
Imberbis vir 122.
ad immunitatem ſanguis menſtruus 252. 264. 260.
Incendia ſanguine menſtruo extingui 260.
in India puellæ ſeptennes menſtrua patiuntur 132.
Infanti recens natæ menſtrua fluebant 136.
pubes crinita 14.
Infibulatio virginum 369.
interdum nomine caſtrationis venit 379.
equarum 370.
penis 2.
Inſpectio an circa pubertatem in virginibus inſtitui debeat? 12. ſeq. 14. ſq.
Virginum circa virginitatem 352.
ſuſpecta 352.

Inſpectio quando inſtituenda? 361.
cur requiratur? 361. 363. ſeq.
an obſtetricibus committenda? 353. 354. 364.
ex Inſpectione nullum certum virginitatis ſignum peti 361.
Inventor caſtrationis feminarum fuit Andramites Lydorum Rex 374.
Inventrix caſtrationis virorum dicitur Semiramis 374.
Iphygenia Æthiopum Regis filia ob innocentiam ſeu caſtitatem concremari non potuit 270.
Ira in gravida menſtruationis cauſa 138.
ab Iracundia menſium ſuppreſſio 155. ſeq.
ſanguinis menſtrui vomitus 98.
Judæi an menſtruatione laborent? 123.
Judæorum ſanguinem eſſe valde calidum 344.
matrimonii tempus 345.
Kunegunda, v. Chunegunda vel Cunegunda.

L.

Labia pudendi an ſignum virginitatis præbeant? 293.
Labri tumor prodromus menſtruationis 214.
Lac per vulnus pedis effluens 109.
per vulvam 217.
in ſexagenaria rediens 139.
in mammis virorum 118. 122.
an ſignum violatæ virginitatis? 290. 339.
a Lactis eſu menſium ſuppreſſio 153.
Lacrymæ ſanguineæ 89. ſeq.
Lactantes menſtruatæ 202. 209.
Lanugo ſupra regionem pudendorum vocatur Pubertas 1.
eſt ſignum Pubertatis 18. ſeq.
Lapathi ſuffimigium caſtitatis ſignum indicare dicitur 280.
Laus virginitatis 271. 380.
Lepores ſanguine menſtruo capiuntur 263.
Lepra a coitu cum menſtruata 230. 240.
Ligni Aloes ſuffimigium virginitatem probat 281.
Lintea ſanguine menſtruo infecta eſſe noxia 228.
ſponſæ ſanguine tincta apud Judæos erant ſigna virginitatis 340. ſq.
Lintei pica 178.
Lipothymia a menſium ſuppreſſione 158.

Labia per Tubas Fallopianas ad abdominis cavitatem erumpentia 117.
nulla post partum 194. 196. 198.
Loquelæ defectus a mensium suppressione 164.
Lothi uxoris statua 265. seq. an lapidea fuerit? 266.
Luna an causa menstruationis? 40. seq. 42. seq.
a Lupuli odore mensium suppressio? 187.

M.

Maculæ per cutem a mensium suppressione 113. seq.
ex Magnete signum virginitatis 280. seq.
Mammæ flaccidæ in sexagenaria iterum turgidæ fiunt 139.
in infante recens nato 136.
Mammarum tumor a mensium suppressione 183.
Sphacelus 184.
Ulcera fistulosa
turgescentia est signum Pubertatis 15.
ex Mammarum interstitio menses 88.
per Mammas menses 84.
ex Mammis signum Pubertatis 15. 18. 20.
virginitatis 289. 290.
in Mammis virorum Lac 116. 122.
Mania a mensium suppressione 170.
Mania a philtro 247.
per Manum menses fluentes 104.
per Manus digitos menses 105.
Marchese magnifico dicitur Italis menstruum 27. cur? 29.
Maria, Salvatoris mater, an fuerit menstruata? 266. seq.
Matrimonii tempus 21.
ritus apud Babylonios 25.
Maturitas puerorum & puellarum 5. seq.
Melancholia a mensium suppressione 167.
prodromus mensium 211.
Membrana hymenis quid proprie sit? 303.
Menses per uteri fundum & cavitatem fluere 63. seq. ex ductibus glandularum uteri 81.
per uteri vaginam fluere 67. seq.
per utrumque locum 72. seq. 74. seqq.
an ex arteriis, an venis profluant? 77. seq. 79.
per vias insolitas 83.
per abscessum sub costis 116.

Menſes per anum poſt uteri ablationem 112. 110.
per aures 90.
per carpum 106.
per cutem 113.
per dentis alveum 98.
per digitos 105. 123.
per dorſum 115.
per ductus glandularum 83.
ſalivales 102
per genam 103. 113.
per gingivas 95. 96. 136.
per hæmoptyſin 100. ſeq.
per hæmorrhoides 76. 129. 118.
per inguina 117.
per labia vulvæ 87.
per lochia 117.
per mammas 84.
per manum 105. 113.
per manus pollicem 59. 110.
per nares 97.
per oculos 88.
per os 92. 95. 99. 103. 120.
per palpebras 90.
per penem 119. 121. ſeq.
per pedes 106.
per pulmones 100. ſeq.
per ſputum 102.
per talum 97. ſeq. 118.
per venam jugularem 103.
per verticem 87.
per veſicam 109.
per umbilicum 76. 116.
per vomitum 96. 98.
per vulvæ labia 87.
Menſes in maribus 118.
in brutis 118. 125.
in canibus 126.
in equabus 127.

Menſes in pica 127.
in ſimiis 125. 267.
in raja 127.
præcoces 129.
in *puella* decenni 130.
novenni 130.
octenni 131.
ſeptenni 132.
ſexenni 133.
quinquenni ibid.
quadrienni 134.
trienni 135
bienni ibid.
unius anni 136.
recens nata 136. ſeq.
Menſes in vetulis 139.
in ſexagenaria 139.
in ſeptuagenaria 140.
in octogenaria 143. ſeq.
in nonagenaria 145.
in centenaria & ultra 145.
tempore pubertatis incipiunt 15.
mature ceſſantes 149.
ſerotini 189.
nimii 142. 147.
frigidi 219.
lactei 216. 221.
verminoſi 223.
ante coitum non apparentes 191.
horis tantum matutinis fluentes 220.
poſt mortem fluentes 220.
in gravidis fluentes 130. 202.
per quatuor menſes 153.
per totum tempus 202.
fluxus lethalis 208.
non niſi in gravidis 203. ſeq. 240.
in lactantibus 202. 209.
Menſium quantitas incerta 146.

Menſium fluxus a terrore 187. ſeq.
odor 217.
fœtor 217.
denominationes variæ 27. ſeq.
prodromi 210.
loco vermes 222.
ceſſatio incerta 149.
ceſſationis cauſa 150.
ſuppreſſio ab animi affectibus 155.
ab ambuſtione 115.
ab amore 157.
a cibo crudo 153.
a potu frigido 153.
a refrigeratione 154.
a lacte 159. 246.
a mœrore 156.
ab odore lupuli 187.
a pane calido 152.
a placenta ceraſorum 152.
a prunis 159.
a terrore 156.
a Menſium ſuppreſſione varia ſymptomata 158. 186.
Aphonia 168.
Apoplexia 171.
Barbæ proventus 185.
Caries Cranii 160.
Catalepſis 165.
Cœcitas 182.
Contractura 173.
Convulſiones 168.
Dementia 170.
dolores 176.
dyſenteria 177.
Ecſtaſis 170.
Epilepſia 161.
ecſtatica 163.
Exanthemata 180.
Febres 177.

a Menſium ſuppreſſione furor uterinus 172.
Hirſuties 184.
Hydrops 175.
Lipothymia 158.
Mammarum tumor 183.
Mania 170.
Melancholia 167.
Mors 186.
Mutitas 161.
Nauſea 178.
Oblivio 160.
Oculi procidentia 159.
Paralyſis 172.
Phrenitis 171.
Phthiſis 174.
Pica 178.
Procidentia oculi 159.
Pruritus dorſi 180.
Scabies 179.
Sternutatio triduana 159.
Suffocatio hypochondriaca 167.
Tympanites 175.
Varices 184.
Verrucæ 184.
Vertigo 182.
Viſus debilitas 182.
Menſium defectus 191. ſeq. 197. ſeq.
ſine conceptione 193.
cum conceptione 194. 195. 197. ſeq.
in Menſium ſuppreſſione quo loco venæſectio ſit inſtituenda 177.
cum Menſibus varia excreta 221.
Ovula 221.
Ranula 222.
Vermes ibid.
Veſiculæ ibid.
Menſtrui definitio 29.
variæ denominationes 27. ſeq.
ex Menſtruo ſigna 240.

Menstruatio in maribus 118. seq.
in Judæis an detur? 123.
in brutis 124.
prima an signum pubertatis? 19. 128.
Menstruationis causa 26. 29.
an desidia & plethora? 29. sq.
an Luna? affirm. 40. negatur 45.
an fermentum? affirm. 47. negatur 52. seq.
an motus intestinus? 55.
an tinctura renum? 56.
an certæ particulæ? 43. 58.
an portio spirituosa? 58.
causa est incerta 59.
finalis 60.
locus 62. seq.
tempus 177.
tempore suspensa femina 74.
coitus facilis sponsoque suspectus 302. 304.
symptomata antecedentia 210.
Menstruatæ feminæ varia corrumpunt 226. seq.
a viris Ceylonibus evitantur 218.
ab ingressu templorum arcentur 218.
a Menstruatæ feminæ accessu exsiccabatur fons 229. 230.
Mensuratio colli pro signo virginitatis 283.
Miracula ad signum virginitatis 274.
a Mœrore mensium suppressio 156.
ad Morphæam sanguis menstruus 257.
Mors a mensium suppressione 186.
a Philtro 250.
Mulieres quando sint puberes? 15.
Mures ex sanguine menstruo 264.
Mutitas a mensium suppressione 161.

N.

Nævi sanguine menstruo curantur 257.
Nanus quidam contra gigantem Cunigundæ Imperatoris Henrici III. uxoris castitatem per duellum defendebat 279. seq.
per Nares menses 92.
Nasi apex indicat virginitatem 288.
Nausea a mensium suppressione 159.

Nota castitatis ex suffimigio lapathi 280. item gagates & seminis portulacæ 280.
Notæ pubertatis 14. seq.
Nuptiæ perfectæ 13.
quo tempore puellis concedendæ. 21. sq. juvenibus ? 22.
ex Nymphis virginitatis signum 293.
Nymphotomia dicitur etiam castratio vel circumcisio 379.

O.

Obesæ mulieres an menstruatione careant? 149. seq.
Oblivio a mensium suppressione 173.
Obstetrices non possunt testari de virginitate 354. 364.
Obstetricum inspectio suspecta 355. seq.
Errores 358. 360.
Oceani fluxus & refluxus 40. causa 41. seq.
Oculi procidentia a mensium suppressione 159.
ex Oculis menses 88. seq.
signum virginitatis 289.
ad Oculorum vitia sanguis menstruus 258.
Odontalgia prodromus menstruationis 214.
Odor fœdus & impudicus a mensium suppressione 87.
hircinus in defloratis 28.
Orificii uterini dilatatio non est signum violatæ virginitatis 313. 315. 316.
ex Orificio uteri an signum virginitatis petendum? 314. 315. 348.
Ovaria exsecta in castratione 372.
Oves menstruatæ 129.
per Os menses 96. 120.

P.

Palpitatio cordis ab adstantibus audita.
Panis menstruo impregnatus ad mensium suppressionem 244.
a Pane calido suppressio mensium 152.
Papillæ mammarum a fluore uterino ad digiti altitudinem protuberantes 286.
ad Papillarum fissuras sanguis menstruus 259.
ex Papillis mammarum signum virginitatis 289.
Paralysis a mensium suppressione 172.
Partium genitalium muliebrium primarius usus 1.
Inspectio 11.
Pater propriam filiam castrans. 375.

Partus sine sanguine 195. 196.
Pavonis Indici castratio 373.
sine Penis immissione conceptio 301.
per Penem menstruatio 119.
Pentacula ex sanguine menstruo 263.
Philtra ex sanguine menstruo 247.
Philtrum ex sanguine mulieris & servi post venæsectionem commixto 250.
a Philtro mors 250.
Philtrorum symptomata 248. 249.
Phrenitis a mensium defectu 171.
Phthisis a mensium suppressione 174.
Pica a mensium defectu 178.
carbonum 179. lintea 178.
in Pica, ave, menstruatio 127.
Pili circa pubem & mentum signum pubertatis 5. 11.
Plethora an causa menstruationis? 29. seq. 32.
causa salacitatis.
ad Podagram sanguis menstruus 256.
Porphyrio, avis, ad scorti conspectum moritur 276.
Portulacæ semen ad signum virginitatis 280.
a Potu frigido mensium suppressio 153.
Præputium cancrosum a coitu cum menstruata 239.
Probæ virginitatis 274. seqq.
Procidentia uteri 65. 66.
Prodromi menstruationis 210. seq.
Pruritus dorsi a mensium defectu 180.
uteri intolerabilis ab ascaridibus.
Pubertas quid sit? 1. seq.
an inspectione cognoscenda? 12.
matura puellarum 6.
Pubertatis derivatio 1.
tempus 2. incertum 5. 6.
cur prius in feminis, quam maribus? 6. 9.
tempore pili circa pubem sub axillis &c. proveniunt 1.
causa 6. sq.
descriptio 17. finis 10.
signa 12. 14. 15. 17. 18. incerta 14.
differentia a temperamentorum diversitate 5. seq.

Puden-

Pudendum piloſum in infante unius anni 136.
Puellæ cur citius quam pueri pubeſcant? 6.
Ægyptiacæ anno ſeptimo patiuntur menſes 137.
immaturæ 5.
in Puellis parvis menſtruatio 129.
Pueri generantes 3.
per Pulmones menſium fluxus 100.
Puſtula in facie prodromus menſtruationis 214.

Q.

Quantitas ſanguinis menſtrui aucta & diminuta 146.
Quartana a menſium ſuppreſſione 93.

R.

Radix Barbaras ſanguine menſtruo evellitur 262.
Raja piſcis menſtruo laborat 127.
Ranula cum menſibus excreta 222.
a Refrigeratione ſuppreſſio menſium 154.
Richardis Caroli Craſſi uxor pudicitiam igne probavit 276.
Raja, Roſarium, eſt nomen menſtrui fluxus 27.
Roſen-Ader unde dicatur? 27.
Roſeolæ a menſium ſuppreſſione 180.
Rugoſitas vaginæ an ſignum virginitatis? 313.

S.

Salivatio menſium prodromus 214.
Sanguis menſtruus an idem cum reliquo? 26. 60. 217. 232. 234. ſeq.
an ſit noxius? 226. negatur 233. 234.
an in lac mutetur? 225.
ore hauſtus 241. 245.
in primo coitu an ſignum virginitatis?
Sanguinis menſtrui denominatio 27.
quantitas 146.
uſus naturalis 223.
an ad fœtus nutrimentum? 224. negatur 225.
noxæ 226. ſeq.
uſus Medicus an ſuadendus? 241.
Tinctura quomodo extrahenda? 241.
Uſus externus 241.
in Calculo 242.
in Epilepſia 241.
in equorum contractura 251.

San-

Sanguinis menstrui Usus ad fascinationem 246.
ad febres 246.
ad immunitatem 252.
in mensium nimio fluxu 246.
in mensium suppressione 243.
ad philtra 247. 249.
Usus externus 253.
contra amores 253.
ad Erysipelas 255.
ad fascinationem 261.
ad febres 259.
ad Gangrænam 258.
ad Guttam rosaceam 257.
ad Hæmorrhagiam 253.
ad Herpetem 257.
ad immunitatem 252. 260.
ad incendia 260.
ad lepores capiendos 263.
ad maculas 257.
ad mensium suppressionem 254.
ad morphæam 257.
ad morsus canum 259.
ad mures 264.
ad nævos 257.
ad oculorum vitia 258.
ad papillas mammarum 259.
ad pestem 258.
ad podagram 256.
ad scabiem volaticam 256.
ad strumas 258.
ad vermes 259.
ad verrucas 259.
ad evellendam radicem Babaras 262.
a Sanguine menstruo Lue venerea affecti scorti mentis alienatio 150. 151.
ex Sanguine menstruo Basiliscus 265.
Scabies fœda capitis a mensium suppressione 179.
Scabies volatica cur ita appellatur? 256.
quolibet menstruationis tempore rediens 179.

ad Scabiem volaticam sanguis menstruus 256.
Scaurus, Mamercus, Consul Romanus, ancillarum suarum sanguinem menstruum ore hiante excepit 241.
Scrofæ laborant menstruo 127.
Scrofarum castratio 371.
a Semine portulacæ nota castitatis 280. sq.
Septimana mala significat menses 28.
Semiramis Assyriorum regina fuit inventrix castrationis marium 374
Serpens amans virginem 382.
Sexagenaria femina concipiens & pariens 140.
Signa virginitatis per miracula 274.
Simiæ fluxum menstruum patiuntur 125. 267.
Simplicii, Episcopi, castitas per ignem probatur 278.
Singultus menstruationis prodromus 213.
Sphacelus testiculi virilis a coitu cum femina menstruata 239. 240.
Spina ventosa a mensium suppressione 186.
Sputum cruentum in gravida 103.
per Sputum menses 97.
Statua salis uxoris Lothi 265.
an lapidea fuerit? 266
a Statua, la Bocca di Verità dicta, signum virginitatis 274.
Sternutatio mensium Prodromus 212.
triduana a mensium suppressione 159.
ad Strumas sanguis menstruus 258.
Sudor cruentus 114.
Suffimigium ex Lapatho signum virginitatis 284.
Suffocatio hypochondriaca a mensium suppressione 167.
Suppressio mensium a variis causis. vid. mensium suppressio.
in Suppressione mensium supra pudenda cucurbitulæ siccæ applicentur 88
Suspensio feminæ tempore menstruationis 68.
Suum castratio 371. 373.

T.

Tabes a Philtro ex menstruo 250.
Tacia castitatem suam per ignem probavit 276.
Tempus matrimonii 21. 25.
vocatur menstruum 27. sq.
a Terrore suppressio mensium 156. 188.
mensium fluxus 187.

Testiculus muliebris pugni magnitudinem æquans.
Testiculi virilis sphacelus a coitu cum menstruata 239. sq.
Tinctura sanguinis menstrui quomodo extrahenda? 241.
Tributum lunare cur vocetur menstruum? 25.
Tucia ad probandam suam pudicitiam cribro aquam ex Tyberi portavit 279.
Tumor labri prodromus menstruationis 214.
clavicularum 215.
Tympanites a mensium suppressione 176. sq.

U. V.

ex Umbilico resecto expressus sanguis contra Epilepsiam usurpatur 242.
Unguentum armarium 264.
ex Urina an signum virginitatis petendum? 281.
Uterus abscissus in castratione 373.
exsectus 376.
an possit exscindi? 377. seq.
Uteri procidentia 61. seq.
incrementum 215.
Uxoris Lothi statua salis 265. sq.
Vaccarum castratio 372.
Vaginæ uterinæ inversio 66.
occlusio an signum virginitatis? 296.
angustia a variis causis 313.
Varices a mensium defectu 184.
disruptæ 184.
Venæsectio in extraordinario mensium fluxu noxia 92.
in mensium suppressione quo loco instituenda? 177.
per Venam jugularem menses 103.
Verecundia signum virginitatis 187.
Vermes cum mensibus excreti 222.
contra Vermes sanguis menstruus 259.
Verrucæ a mensium defectu 184.
ad Verrucas sanguis menstruus 259.
Vertigo a mensium defectu 182.
Vesiculæ post aures prodromus menstruationis 214.
Vetula anno sexagesimo tres filios peperit 140.
Virago 198. 268. quid proprie sit? 189.
Viraginis descriptio 189.
Virginum menses 190.

Virginum exempla 190. 191.
Virgo ab aquila amata 383.
a serpente amata 382.
Virginal vocatur pudendum muliebre 2.
Virginis definitio 269.
Virgines immaturæ non debent nubere 22.
Virginum auctio apud Babylonios 25. sq.
castratio an detur?
inspectio ratione pubertatis 12.
ratione virginitatis est suspecta.
Virginibus pessi & clysteres uterini non sunt applicandi.
Virginitas quid sit? 269.
Virginitatis definitio 269.
derivatio 268.
distinctio 270.
honor 271.
laus 380.
custodia per vulvæ consutionem 366.
per infibulationem 369.
probæ vel signa varia 274.
per acum S. Wilfridi 275.
per aquam 279.
per avem 276.
per colli mensurationem 283.
per duella 279.
per fistulam 275.
per fontem 276.
per hircismum 286.
per ignem 276.
per suffimigia 280.
per statuam 274.
per verecundiam 287.
per vocem 286.
per urinæ missionem 281.
ex labiis pudendi 293.
ex lacte 290.
ex mammis 290.
ex mammarum papillis 289.

Virginitatis Probæ ex naſo 288.
ex oculis 289.
ex pilis pudendi 292.
ex hymene 296.
ex nymphis 293.
ex vaginæ anguſtia 296. 306. 309. ſq. 312. 313. 316. ſeqq.
ex carunculis 306. 307. 308. 309.
ex cruentatione 306 309. 311. 323.
ex rugoſitatibus 309. 313.
ex inſpectione virginum 352.
ex uteri orificio 348.
ex coalitu 310.
ex plicis vaginæ 310.
Virginitatis nullum datur certum ſignum 317. 330. ſq. 344. 348.
Viri in mammis lac habentes 295.
Viſus debilitas a menſium defectu 182.
Vocis mutatio ſignum pubertatis 15. 18.
amiſſæ virginitatis 286.
per Vomeres ignitos caſtitatem ſuam probavit Chunegunda 273.
Vomitus prodromus menſium 213.
per Vomitum ſanguis menſtruus 96. 98.
Vox acuta ſignum virginitatis 286.
Vomitu abortus rejectus 103.
per Vulnus pedis lac & lochia effluxerunt 108.
a Vulnerum curatione arcentur feminæ menſtruatæ 215.
Vulva ob cuſtodiam virginitatis conſuta ad nuptias usque ſervabatur 366.
Vulvæ conſutio 366.
dilatatio non eſt ſignum violationis.

W.

Wilfridi acus quid ſit? 275.
an ſignum virginitatis ib.

Z.

Zenith vocatur ſanguis menſtruus prima vice excretus. 241. 247.
ad pentacula 264.
contra incendia 260.

ERRATA.

P. 19. lin. 13. adduxerim. p. 20. l. 34. lege ante ordinatum. p. 24. lin. 9. leg. inter veteres. p 53 l. 34. loco varius leg. rarius. p. 54. l. 27. & ipſe p. 55. l. 11. Harderus. p. 56. l. 24. ſequeſtret. p. 101. l. 17. leg. Tabidorum. p. 146. l. 4 loco ſive lege ſic. p. 235. l. 25. non æque purus. p. 254. l. 11. petiam. p. 273. l. 18. gedaenten. p 282 l. 14. ſeq. leg. compreſſarum p. 286. l. 2. Ranchino. p. 288 l. 2. paſſæ. p. 289. l. 9. colli. p. 296. l. 1. mentre. p. 310. l. 10. contactu. p. 354. l. 5. deflorata. l. 26. præcipitent. p. 358. l. 16. Schatz. p. 360. l. 6. juratæque. l. 28. prolabebatur.